


V. f. 9

Accessions 342,180.
Shelf No. *5040.30

FOUNDED 1852
SICUT PATRIBUS SIT DEUS NOBIS
BOSTONIA CONDITA A.D. 1630.
CIVITATIS REGIMINE DONATA A.D. 1822.
BOSTON PUBLIC LIBRARY

Received, Feb. 7, 1884.

3499905900 3077

# REGNI DAVIDICI ET SALOMONÆI DESCRIPTIO GEOGRAPHICA ET HISTORICA,

UNA CUM DELINEATIONE

## SYRIÆ ET ÆGYPTI

PRO STATU TEMPORUM

*SUB SELEUCIDIS ET LAGIDIS REGIBUS*

MAPPIS LUCULENTIS EXHIBITA,

ET PROBATIONIBUS IDONEIS INSTRUCTA.

JUNCTA EST HUIC OPERI

## CONSIDERATIO URBIUM MAXIMARUM VETERUM ET RECENTIORUM,

AC OPERUM QUORUNDAM

APUD ANTIQUOS CELEBRIUM.

*AUCTORE*

*JOHANNE MATTHIA HASIO*

*MATHEM. PROF. WITEMB.*

IMPENSAS FACIENTE

HOMANNIANO COHEREDE

I. M. F. LL. & Math. Cult.

---

*NORIMBERGÆ,*

PROSTAT IN OFFICINA HOMANNIANA.

Typis Joh. Henr. Gottofr. Bielingii. A. MDCCXXXIX.

Exchange
B. 06.
342,180

# CELSISSIMO AC SERENISSIMO
*PRINCIPI AC DOMINO*
# FRANCISCO XAVERIO
AUGUSTISSIMI
*POLONIARUM REGIS*
ET
ELECTORIS SAXONIÆ
# FILIO
DUCI SAXONIÆ, JULIACI, CLIVIÆ ET MONTIUM, ANGRIÆ ET WESTPHALIÆ, LANDGRAVIO THURINGIÆ, MARCHIONI MISNIÆ ET UTRIUSQUE LUSATIÆ, BURGGRAVIO MAGDEBURGENSI, COMITI ET PRINCIPI HENNEBERGICO, COMITI MARCÆ ET RAVENSBURGI, BARBIÆ, ET HANOVIÆ, DOMINO RAVENSTEINII &c.
# DOMINO
AC
# PRINCIPI MEO
GRATIOSISSIMO

JOHANNES MATTHIAS HASIUS
MATHEMATUM ACADEMIÆ QUÆ EST IN SAXONIA, PROFESSOR.



# CELSISSIME atque SERENISSIME PRINCEPS DOMINE GRATIOSISSIME

DEbet hoc pietas mea argumentis clementiæ & gratiæ ſingularis in me editis ab AUGUSTISSIMO AVO & AUGUSTISSIMO PARENTE CELSITUDINIS TUÆ utroque REGE Poloniarum & ELECTORE Saxoniæ, ut omne illud, quod in me eſt, non ſolum HUJUS Perſonæ Sacratiſſimæ, ſed & Familiæ & Proſapiæ EORUM Auguſtiſſimæ & Sereniſſimæ devotum exiſtat.

At-

Atque adeo cum in FRATRE majore CELSISSIMO, inque CELSITUDINIS TUÆ Perſona ipſa tantus exſplendeſcat non ſolum regiarum & principalium mentem divinam ornantium dotium, ſed etiam inſtinctus atque indolis ad omnes pacis bellique artes arripiendas, nobiliſſimasque ſcientias cognoſcendas, perfectiſſime comparatæ fulgor illuſtraturus aliquando non patriam ſolum Saxoniam, Germaniam, Poloniam, verum & orbem univerſum; ut huic ardori aliquo modo & pro tenuitate virium mearum ſubſervire conarer, tum illa officii mei ratio, cum inſtinctus quidam peculiaris me perpulit.

At cum in poteſtate equidem hominum meæ conditionis nihil ſit potius ad hanc rem & finem faciens, quam fœtus ingenii & productiones utiles publico, grat æque lectoribus, nec indignæ Summorum Virorum & Mæcenatum attentione, auſus ſum ſperare de meo qualicunque opere, quod humillima demiſſiſſimaque mente offero, & in ara gratitudinis quaſi conſecratum depono, idem nec faſtigio nec Perſona CELSITUDINIS TUÆ judicatum iri plane inconveniens.

Nam cum CELSISSIMUS, ſummaque cum veneratione mihi dictus, FRATER jam verſetur in illis regionibus, quæ IPSI antiquitatum in Occidentalibus Orbis noſtri partibus occurrentium ſpectacula exhibent magnificentiſſima & curioſiſſima, quæ urbium tum magnitudine tum ſplendore conſpicuarum, regnorum & principatuum inſtitutis politicis & naturæ dotibus præcellentium exempla præbent eminentia; præſens hoc opus TE invitat ad oblectationem contemplandi & cognoſcendi antiquitates, quæ Oriens oſtentat non minus ſpectabiles, & nulla fere parte illis aliis cedentes: Certe ad conſiderandas regiones ubertate & pulchritudine, nec non rerum in iis geſtarum gloria celeberrimas, regna & ſanctitatis & famæ præſtantia inclyta, prætereaque

que ad æſtimationem talium rerum, quæ & in politica ſcientia, & in hiſtoria ad prudentiam formandam nata, momentum habent multo maximum.

Eſt idem inſuper accommodatum eo, ut AUGUSTISSIMI PATRIS ideam reddat animis omnium præſentem, cum de SALOMONE inſcribitur, ad cujus exemplum IPSE Clementiæ & Sapientiæ ſingularis ope fata noſtra & regnorum maximorum temperat; utque, dum DAVIDIS extat in eo commemoratio, PARENTIS EJUSDEM AVIque CELSITUDINIS TUÆ Divi memoriam nobis renovet, qui non abſimili ratione, ac ille Iſraëliticam gentem in ſublimiori gradu collocavit, rebus bello fortiſſime geſtis auxit Saxonici nominis decus.

Quod ſi adeo TUÆ CELSITUDINI idem de meo videatur opere, accipiaturque id a TE mente, qua ſolent ſuperi propitii, perque TE habeam PARENTEM AUGUSTISSIMUM quoque propitium, quid eſt, quo mihi magis gratulari poſſim, quem mihi potiorem tutelarem optem?

Atque id quidem cum ſit ex votorum meorum maximis, illud tamen mihi eſt potius, ut DEO eadem pietate ductus ſupplicem, quo cum PARENTE AUGUSTISSIMO CLEMENTISSIMOQUE, MATRE AUGUSTISSIMA Seculi & Sexus ſui ornamento ſine pari, FRATRE CELSISSIMO, reliquaque Proſapia Auguſta, ſobole domus divinæ lætiſſima, TUAM imprimis CELSITUDINEM omnibus, quæ Reges & Principes juvare poſſunt, commodis & proſperitatibus abundantiſſime ornatam in ſpem Orbis, delicias PARENTUM faciat ulterius ſuccreſcere, faciat perennare.

PRÆ-




Proſtat Noribergæ in Officina Homanniana


TYPVS ÆTIOLOGICVS II.
Siſtens uno obtutu Ductum totius itineris Xenophontæi, et Stathmorum Parthicorum Iſidori Characeni, juncta deſcriptione PONTI EVXINI juxta Arrianum, litoris Perſici et PERIPLI Nearchi juxta eundem Arrianum et Marcianum Heracleotam,
una cum diſtantiis quibusdam ASIÆ, profunda juxta Alexandri menſores et Plinium.
NOT. Iuncta eſt Deſcriptio limitum IMP. Seleucidarum integri. Colores SCHEM. I. exhibent Statum ſub Seleuco I, SCHEM. II. Stat: ſub Antiocho M.
Medium hujus Profectionis, cætera ſtereographice, vel Locus Oculi est in grad. 65. Longit. et grad. 37½ Latit.
SCHEM. II
SCYTHIA ASIATICA
PONTVS EVXINVS
CASPIVM MARE
MEDITERRANEVM MARE
ARABIA DESERTA
ARABIA
SINVS PERSICVS
ARMENIA
IBERIA
SOGDIANA
INDIÆ PARS
Deſerta Gedroſiæ
Scalæ menſurarum Geographicarū Mediarum
STADIA vetera Græca 1100 in Grad.
STADIA recentiora Græca et Romana 600 in Grad.
PARASANGÆ v. SCHOENI 33 in Gr.
MILLIARIA Romana 75 in Grad.
MILL. Germanica 15 in Grad.
LEVCÆ Gallicæ 20 in Grad.
Plin. L. 2. c. 27 Charax primo fuit a litore 10. Stad. maritimum. Iubæ vero prodente 5. mill. paſs. Nunc abeſse a littore 120 mill. paſs. legati Arabum noſtrique negotiatores, qui inde venere, affirmant. Nec ulla in parte plus aut celerius profecere terræ fluminibus invectæ.
65 Longitudinis ab I. Ferri 70
Proſtat Norimbergæ in Officina Homanniana


TYPVS ÆTIOLOGICVS
Siſtens uno obtutu Ductum totius itineris Xenophontæi, et Stathmorum Parthicorum
one PONTI EVXINI juxta Arrianum, litoris Perſici et PERIPLI
Arrianum et Marcianum Heracleotam,
una cum diſtantiis quibusdam ASIÆ profundæ juxta Alexandri
Medium hujus Profectionis, cætera ſtereographice, vel Locus Oculi est in grad. 63.
SCYTHIA ASIATICA
PONTVS EVXINVS
CASPIVM MARE
MÆOTIS PALVS
IBERIA
ALBANIA
ARMENIA Poſterior
PHRYGIA
CAPPADOCIA
CARIA
TAVRVS
CYPRVS
MEDITERRANEVM MARE
SYRIA
MESOPOTAMIA
MEDIA ATROPATENE
MEDIA SVPERIOR
ARABIA DESERTA
BABYLON
SVSIA
ARABIA Petræa
ÆGYPTVS
HYRCANIA
PARTHIA
ARIA
Solitudo maxima, cui nulla reperitur æqualis in terra
Deſerta

# PRÆFATIO.

Inſtitutum operis.

PRinceps & primarium operis hujus inſtitutum fuiſſe regni Davidici & Salomonæi, vel Israëlitici, quando florentiſſimum fuit, delineationem, potiſſimum Geographicam, & deſcriptionem in mappa aliqua, id eſt, quod lectores noſtros ignorare nolumus.

Quoniam vero, ſuſcepto eo, veterum inprimis autorum monumenta excutientibus multa ſe offerebant, quæ ad illuſtrationem vicinarum regionum, Syriæ præſertim & Æpypti, facerent, harumque etiam comparatio cum Israëlitico regno ad hujus conſtitutionem noſcendam non parum factura videbatur; quin & ipſæ illuſtrationem & inquiſitionem peculiarem & exactiorem, quam vulgo habetur, merebantur: has etiam mappa eadem comprehendere placuit. Etſi a deſcriptione earum in textu abſtinendum duximus, utpote negotii & operæ plus expoſcentium, quam nos impræſentiarum nobis imponi pati poſſemus.

Difficultas operis.

Dolendum eſt vero hoc ipſum, mappam ejusmodi ex obſervationibus recentioribus Geographicis, partim ope Aſtronomiæ aut Geodæſiæ, partim relationum a peritis peregrinatoribus editarum, perfectam concinnari haud poſſe, obſtante barbarie Turcarum, illas provincias poſſidentium, & literis ac literatis aditum in terras ſuas vel plane negantium, vel difficilem admodum reddentium.

De aliis adeo ſubſidiis cum diſpiciendum fuiſſe pateat, ipſos veteres, qui tunc, cum cultiores gentes, Græci & Romani, rerum in his regionibus potirentur, deſcriptionem earum ſuſceperunt, aut qui ex veteribus monumentis ſua hauſerunt, conſulendos fuiſſe, eosque demum ex recentioribus, quantum liceret, ſupplendos fuiſſe intelligitur.

At vero ipſum hoc opus ſummam habuiſſe difficultatem, facile quivis primo intuitu perſpicit, ſed non niſi expertus interius & plane novit.

*Ptolemæi*, qui data opera Geographiam illuſtrare niſus eſt, diligentia maxima quidem laude digna. Verum multa ſunt, quæ faciunt, ut vix ab eo juvemur, aut ſolidi quid petere queamus. Profecto enim videtur ſua hauſiſſe ex mappis ſui temporis privata induſtria concinnatis, nec debita circumſpectione examinatis quantumvis ipſe multus ſit in taxando *Marino Tyrio*, qui ante eum ſimile opus ſuſcepit. Certe ſitus locorum apud ipſum vix unquam cum itinerariis, quæ mox laudanda erunt, Romanis publicaque autoritate confectis conſentit. Quod mirum. Cum non improbabile exiſtat, ejus tempore, quo vixit, jam illa itineraria, ſi non ex toto, tamen ex parte publici juris facta, lapidibus miliaribus jam inde ab Auguſti tempore toto Romano imperio diſpoſitis. Rejici quædam poſſe videntur in corruptiones, quæ numeris librorum ejus accidere potuerunt, ſed minimam hujus culpæ partem hæc cauſa videtur habere. Etſi certum eſt quoque, numeros haud paucos, qui recte pridem apud eum ſe habuerunt,

poſtea per deſcriptores depravatos fuiſſe. Unde fit, ut, quemadmodum & Relandus obſervavit, ipſam Palæſtinæ mappam e Ptolemæo perficere plane ſit impoſſibile, trajectis mirum in modum locorum longitudinibus & latitudinibus. Ut nihil dicamus de aliis regionibus.

Tale eſt ſphalma, quod in latitudinibus Rhinocoluræ & Oſtracinæ occurrit L. IV. c. 5. non animadverſum editoribus vel commentatoribus. Cum loco minutorum, quæ gradui 31 adhærent 50, utrobique legenda eſſe 30 vel 20, id manifeſto exiſtit indicio, quia alias latitudines hæ majores eſſent Gazæ, & Anthedonis atque Aſcalonis latitudine.

Qui ad Norici & Germaniæ reliquæ loca juxta eundem digerenda animum applicuerit, adeo vitioſam deprehendet ejus deſcriptionem, ut ſemper fere contrarium potius ejus, quod ipſe de ſitu eorum tradit, ſtatuere tuto poſſit.

*Cellarii* quidem, qui & hanc Geographiæ antiquæ partem mappis ſuo more expreſſit, diligentiam, & in plerisque judicii ſoliditatem pariter non laudare non poſſumus. Sed quod primarium fuerat, manum circino non admovit, & ſubſidiis aliis itinerariorum & quæ ſunt reliqua, non recte vel ſatis uſus eſt, nimis in plerisque fidem Ptolemæo habens. Unde ejus mappæ non niſi turpiſſimæ deformationes, velut de induſtria poſitiones & ſitum turbantes, exiſtunt. Brevibus ſubſidiorum in genere, quæ ex Matheſi ad Geographiam requiruntur, vel non ſatis gnarus vel incurioſus fuit.

*Adrichomium*, *Biſſelium*, etiamque *Sanſonium*, alios plures, qui Palæſtinam, partem adeo mappæ noſtræ, delineare conati ſunt, commemorare vix, laudare minus etiam poſſumus, utpote cum eorum aliqui vix vituperium effugere poſſint, temerario fere auſu, ad quod ſubſidiis plane nullis inſtructi fuerunt, opus aggreſſi, & imaginationis ſuæ fœtus publico obtrudentes.

*Guilielmus Islæus* vel ſolus vel primus recte paratus ad Geographiam accedens, pluribus mappis Geographiæ veteri lucem accendit, de Syria vero & Cypro Inſula, quam edidit, mappæ ex Catalogo ſaltem mapparum ab eo editarum, quæ extat in appendice Commentariorum Regiæ Scient. Acad. Pariſ. 1733. notitiam habemus, in noſtris oris rariſſimæ, & nobis nunquam viſæ, etſi de ea aliquid promiſſum fuiſſe pridem nobis conſtiterit. Ea tamen quæ de hoc tractu extant in mappa Perſiæ, cum cautione ſaltem admittenda deprehendimus.

*Relandus* maximo cum judicio in hac parte verſatus, & diligentia non ſatis laudanda; ſed timidior quaſi fuit in projicienda integra mappa, etiam ſubjectum anguſtius, nempe ſolam Palæſtinam elegit. Non taxamus ejus circumſpectionem & ἐποχὴν. Sed hac ratione non admodum promovetur Geographiæ ſtudium. Hoc etiam facit, quo minus felix in ſuorum ſchematum, quæ proponere ipſi viſum fuit, delineatione fuerit, quod, ut dictum, anguſtius ſubjectum ſuæ tractationis fecerit, vel inquiſitionem ſuam intra arctiores limites continuerit. Cum Geographicæ rationes non patiantur, ut regio aliqua ſine vicinarum collatione deſcribatur, ita ut Palæſtina ſine Ægypti & Syriæ deſcriptione ſimul facta exhiberi haud poſſit. Quarum ſitum & habitudinem ad illam cum examinare neglexerit, factum eſt hinc inter alia, ut ductus litoris, quod a Joppe ad Ægyptum usque protenditur, ſitum habeat in meridiem directo procurrentem, quod contra naturam eſt, nec cum diſtantiis, quæ ex veteribus tabulis & itinerariis, aut longitudinibus & latitudinibus Geographicis habentur, nec cum recentioribus obſervationibus de Alexandriæ & Hieroſolymæ longitud. & latitud. conciliari poteſt. Nos vero ex conjecturis cum aliqua ratione factis licere aliquid in deſignatione mapparum, ſumere nobis poſſe credidimus. Quo ipſo vero eorum partes defendendas non ſuſcipimus, qui temerario auſu non ſatis vel plane non ſcientiis Mathemathicis, aut arte critica & lectione autorum inſtructi, multoties quoque ſolum turpi lucri cupidine ducti ad mapparum deſcriptionem accedunt. Subſidia vero, quibus nobis utendum duximus, fuere partim Mathematica & Geometrica ſtrictius dicta, partim hiſtorica ex autoribus promenda, & Geographica ſpeciatim dicenda. De illis poſtea, de his vero prius.

Inter hæc adeo fuere *Itineraria vetera* tria illa potiſſimum, *Antonini*, *Hieroſolymitanum* vetus, quod jungi ſolet illi priori, in editionibus ejus modernis, & *tabula Peutingeriana* vel *Auguſtana*. Publica enim auctoritate cum conſtitutos fuiſſe lapides miliarios per menſores à Principibus Imperatoribusque inde jam ab Auguſto miſſos conſtet, patet multo maximam quo-

Subſidia Geographica & hiſtorica, quorum uſus fuit.

quoque fidem horum itinerariorum, qui diſtantias ab illis aſſignatas exprimunt, exiſtere. Quorum utilitas etiam foret maxima & plane abſoluta, ſi modo plagæ, in quas quævis itinerum pars, ſive a ſtatione ad ſtationem directa via, ducebat, notatæ quoque reperirentur.

Præter eadem conſuluimus alios autores veteres & recentiores Geographos & peregrinatores. Inter Geographos *Ptolemæum* ipſum, *Oluc Begi Regis Samarcandæ*, & *Naſſir Etuſæi* tabulas, quarum in locis orientalibus Perſiæ, Choraſanæ & Sogdianæ ſumma eſt autoritas, notata ſaltem reductione longitudinum, quam in noſtris tabulis indicavimus. Porro *excerpta ex Abulfedæ Arabia* apud *Dn. la Croix* in Timuri hiſtoria exiſtentia. Nec ſine inſigni uſu nobis fuit collatio *Nubienſis*, qui vocatur, *Geographi* vel *Ebn Idriſi*, qui expoſitionem climatum edidit; *Alfraganum* vel *Alferganenſem* a *Golio* illuſtratum, quoque conſulere noſtrum duximus. De *Cellario, Relando* per ſe intelligitur, itemque de iis, quæ in mappis ſuis *Islæus* exhibuit, etſi manum emendatricem ab ipſo ſummo viro poſtulantibus.

Ex veteribus quoque Geographis *Plinium* & *Strabonem* contulimus, ut de minus celebrioribus & inter eos *Agathemero*, *Agatarchide*, aliisque nihil dicamus. Inter recentiores peregrinationibus *Pauli Lucæ* per Syriam & Ægyptum, *Roquæi* vel Domini *de la Roque, Maundrelli*, *Thevenoti* aliorumque per Syriam nos uſos vel index excerptorum ex iis inferior indicabit.

Imo & veterum itineraria conferre noſtrum duximus, idque non ſine inſigni fructu præſtitum eſt. Talia ſunt *Xenophontis* & *Iſidori Characeni* inſignia ex antiquitate monumenta.

Quo referimus etiam *Periplum Arriani*, *Paraplum Nearchi* ab eodem Arriano ad nos transmiſſum, *Marciani Heracleotæ Periplum.*

Omnia hæc cum Aſtronomico-Geographicis Obſervationibus recentiorum quoque, quibus has regiones cum inſtrumentis Mathematicis adire contigit, diligenter contulimus.

Atque hos quidem cum pro ſitu & diſtantiis locorum determinandis in conſilium vocaverimus, de cæteris, qui propter reliquas regionum conditiones cognoſcendas adhibiti fuere, prolixius commemorare nihil attinet.

Quam arduus interim improbusque labor fuerit, ex hiſce ſubſidiis perfectiorem aliquam mappam procudere, non niſi expertus animo valeat concipere. Quod vero nihil præter rationem ſtatuerimus aut elegerimus, & qua ratione in Criticæ parte hujus praxeos ex contradictoriis infinitis fere ſententiis ſeligendo eam, quæ maxime probabilis foret, verſati fuerimus, oſtendere & demonſtrare quidem provinciæ noſtræ videretur & officii, & jure quodam a nobis id poſſe poſtulari. At vero ſi circa ſingulas illas locorum poſitiones, quæ controverſæ, vel dubiæ, aut probationis indigæ forent aut videri poterant, argumenta & ratiociniorum noſtrorum contextum diſertius explicare conaremur, verendum nobis eſſet, ne in tædioſam adeo prolixitatem incideremus, & opus ſurgeret adeo vaſtum, inque tot capita diffuſum, cui nulla patientia tam lectorum eadem cognoſcere volentium, quam noſtra ſufficiat.

Ne tamen hoc a nobis prætextus ſaltem loco allegari, metu ne ſolidis probationibus deſtituta noſtra apparerent, quisquam crederet, quantum fieri poſſe nobis viſum, repræſentare, noſtri officii duximus. Atque adeo non ſolum ex methodicæ tractationis legibus, verum etiam ut haberent ii, quibus integrum foret eadem examinare, vel etiam eundem laborem ſuſcipere atque retexere, facultatem illud præſtandi commodiorem, conſultum duximus præmittere partem proœmialem, in qua velut in tabulis fundamenta & momenta noſtrarum theſium exhibita exſtarent. Quæ adeo & eo conducunt, ut cuilibet experiri liceat, an concluſiones noſtræ ſequantur, an aliæ deduci poſſint juſtiores conſequentiæ ex iisdem datis vel principiis.

In illis vero tabulis, quæ principia exhibent & oculis exponunt, quibus in deſcriptione mappæ uſi fuimus, repræſentanda duximus potiſſimum loca, quæ apud autores ſparſim hinc inde occurrunt, adeoque ſub unum obtutum erant colligenda. Ipſum vero continuum textum itinerariorum *Antonini* & veteris *Hieroſolymitani*, nec non *Arriani* textum, itemque integram ejus partis tabulæ *Peutingerianæ*, quæ huc ſpectat, figuram vel ſchema quominus hiſce inſereremus, propterea abſtinendum duximus, quia videri potuiſſet, nos illa voluminis noſtri augendi ſaltem gratia attuliſſe; & quod paſſim ea in omnium manibus extare præſumantur. Catalogus locorum ex autoribus collectorum.

Pariter Maundrelli integrum itinerarium, quamvis maximo cum judicio ſcriptum, magnique uſus, in tabulas dige-

digeſtum, nec non integras|Pauli Lucæ peregrinationes hic repræſentare ob easdem fere cauſas noluimus.

Ex his demum principiis quales concluſiones deduxerimus, cum, uti dictum, prolixius fuſiusque explicare ſit laboris fere infiniti, ſpeciminis tamen loco quædam afferre nobis placet, modo prius aliqua de menſuris diſtantiarum in ſequenti parte prooemiali, & ipſa deſignatione mappæ, adhibitis dixerimus.

Menſuræ Geographicæ in hoc opere adhibitæ, Mill. Roman.

Menſuras adeo quod attinet, ſciendum, nos tabularum partis prooemialis plerasque, vel potiores inter eas reduxiſſe ad *milliaria Romana*: quod nonſolum itineraria dicta *Antonini*, vetus *Hieroſolymitanum*, & *Peutingeri* tabula, ex quibus potiſſimum perfectam diximus mappam, illis utantur; verum & veterum Autorum plerique omnes, ut *Plinius*, *Strabo* &c.

Præterea quod eadem propter magnitudinem mediocrem admodum commoda & habilia exiſtant, diſtantiis accuratius exhibendis. Reductio tandem eorum ad ſtadia & alias menſuras veteres facilis; præterea vero tum proportio eorum ad gradus circulorum telluris, tum partium, ex quibus conflantur, paſſuum nempe humanorum, mediocri maxime ſtaturæ convenientium magnitudo & numerus, utpote millenarius in milliari, adeo concinna exiſtunt, ut in uſum revocari eadem noſtra quidem ſententia deberent. De horum vero quantitate tenenda ſunt, quæ *Guilielmus Islæus* inprimis, Caſſinio quoque confirmante, demonſtravit, & quæ circa praxin deſignationum Geographicarum verſantibus, recentioresque obſervationes Aſtronomorum & Geographorum cum veterum monumentis conferentibus centenis millenisque experientiis ſe comprobant, nempe 75 eorum computanda eſſe in gradum circuli maximi telluris, quam ponimus hactenus ſphæricam.

Stad. recentiora.

Ex quo ſequitur, *ſtadiorum Græcorum*, quorum 8 continebat milliare Romanum, & quæ Romana & recentiora quoque vocamus, in gradum telluris computanda eſſe 600. Qualia etiam nos in ſcalis mappæ exhibuimus.

Stadia vetera.

De *ſtadiis* vero *Græcorum in reconditiori antiquitate*, quæ idem acutiſſimus *Islæus in Commentar. Acad. Reg. Pariſ.* 1721. obſervavit, eadem nos noſtra quoque facimus, convicti inſtituto examine diſtantiarum ab autoribus antiquioribus memoratarum, & cum obſervationibus & notitiis Geographicis recentioribus fide dignis collatarum. Sunt adeo ex iſthac obſervatione 1100 ſtadia ejusmodi ad minimum in gradum telluris computanda, qualia & ipſa in ſcalis mappæ exhibita proſtant.

Dubium circa ſtadia Herodotæa.

Quam obſervationem vero, ut uſum habere maximum in multis locis inferioribus pro explicandis diſtantiis locorum, inprimis Aſiæ ulterioris & profundæ, quæ a *Nearcho*, *Arriano*, *Marciano Heracleota*, menſoribus *Alexandri* a *Plinio* memoratis ſuppeditantur, in plurimis etiam ipſius *Herodoti* locis, (ut quæ in Cap. III. partis prooemialis de latitudine litoris Ægyptii allata exiſtunt, & pluribus aliis) manifeſtum futurum confidimus, ita diſſimulare aut diffiteri non poſſumus, videri ei hypotheſi derogare ipſas diſtantias *Herodotæas*, quæ iter ab Epheſo ad Suſa usque exhibent, in quibus ut intelligantur recentiora, ſive quorum 600 numerantur in gradu, ipſa videtur res efflagitare. Nam etſi textus ille *Herodotæus* infra Cap. XI. partis prooemialis ejusque TAB. III. in excerpto exhibendus lacunis quibusdam deformetur, ſummam tamen ſtadiorum 13500 recentiorum a Sardibus ad Suſa vel 14040. Epheſo ad Suſa legitimam & *Herodoti* menti conformem eſſe probabile admodum facit, quod eorum numerus talis ex noſtris aliis hypotheſibus & deſcriptione in Typo 3 reſultet.

Quod ſi vero hæc difficultas eſſet ſaltem circa uſum diverſorum autorum, veluti ſi menſores *Alexandri* & qui ab ipſis dimenſiones ſuas mutuati ſunt, *Arrianus* & *Marcianus*, *Plinius* &c. alio quam *Herodotum*, menſuræ genere uſos fuiſſe deprehenderemus, non multum in illo ſolvendo ſudandum eſſe videretur. Hos enim alia & breviora ſtadia ex more Macedonum adhibuiſſe dici poſſet: ſecundum quem morem etiam *Ariſtotelem*, qui inter Macedones vixit, circumferentiæ maximi terreſtris circuli 400 millia ſtadiorum tribuere obſervatio eſt acuta *Islæi*. Sed dum apud *Herodotum* occurrunt loca, quæ manifeſte requirunt vetera ſtadia, qualia extare in TAB. III. mox monuimus, in dicto vero itinere alia adhiberi videntur & recentiora quidem, an hoc imputandum ſit *Herodoti* lapſui, qui per confuſionem pluribus uſus fuerit ſtadiorum generibus, illud eſt, de quo etiam ipſo nobis nunc non ſumimus judicium. Ut integrum foret idem aliis, in TAB. III. & ultima Capitis XI. prooemialis partis

partis textus *Herodotæi* compendium propoſuimus.

Mill. Arabica.

*Milliaria Arabica* variæ eſſe quantitatis apud varios aliunde conſtat. Sed experimentis circa diſtantias alias notas inſtitutis centenis deprehenſum nobis, *Nubienſem*, cujus ſubſidiis inter Arabicos ſcriptores potiſſimum utimur, adhibere ejus generis, quæ ſunt $56\frac{2}{3}$ in gradu telluris.

Subſidia Mathematica, quorum in mappa conſtruenda uſus.

Jam cum de ſpeciminibus methodi noſtræ, qua in deducendis conſecutionibus ex principiis ſuperioribus uſi, vel fundamentorum, quæ in deſignatione mappæ noſtræ tam principalis quam reliquarum ſecuti fuimus, dicendum ſit.

Projectio ſtereographica.

Primum, quod moneamus, eſt, primarium nos ſubſidium vel fundamentum poſuiſſe in legitima *projectione ſuperficiei noſtræ ſphæræ*. Quam *ſtereographicam* eſſe oportere rationibus plane ſonticis alibi explicandis convicti ſumus.

Hæc nempe talis eſt, ut retis, quod vocamus, ex meridianorum & parallelorum repræſentationibus conſtantis, ſingulas partes vel cellulas faciat plane ſimiles ipſis reſpondentibus cellulis talis retis in ſuperficie ſphærica. Hoc eſt: talis eſt, ut quemadmodum illæ partes retis in globi ſuperficie habent figuram eam, ut meridiani parallelos ad angulos rectos ſemper ſecent, ita & repræſentationes cellularum, non earum ſolum, quæ circa medium mappæ ſunt, ſed & verſus extrema longius excurrentium, habeant eandem figuram parallelorum & meridianorum rectangulariter ſe ſecantium: Quo ipſo fit, ut figura regionum quam minime deformetur, etſi ex ſuperficie ſphærica in planam projecta, & diſtantiæ verſus quaſcunque plagas ſumtæ tanquam projectiones arcuum circulorum maximorum ſphæræ, quibus diſtantias illas in ipſo globo metimur, conſiderari poſſint. Unde & ſcalæ menſurarum Geographicarum legitime iis adſcribi poſſunt, hac prærogativa gaudentes, quod eodem ſcalæ genere diſtantias & circa medium mappæ & circa extrema unica circini apertura venari liceat.

Id quod nulla aliarum projectionum præſtat, minimeque omnium ea, qua frequentiſſime utitur Sanſonius, cujus ſane meridiani & paralleli plane inter ſe & ab angulis in globo exiſtentibus diverſos & obliquos, acutos vel obtuſos faciunt, maximeque, quæ a medio recedunt cellulæ, a reliquis differunt, rhomboidicam vel trapezoidicam referentes figuram, dum mediæ eam ad parallelogrammicum accedentem habent. Unde & talibus projectionibus ſcalas menſurarum Geographicarum appingere fruſtraneæ plane & abſurdæ eſt operæ, cum partes diſtortas & deformatas circa extrema eadem ſcalæ quantitate dimetiri ſit abſonum & erroneum aperte.

Conditio ſpecialis hujus projectionis ſtereograph.

Sed ut ſcopo hoc diſtantias facili ratione & legitime per ſcalas adſcriptas inveſtigandi felicius potiamur, providetur a nobis inſuper faciendo, ut *oculus* in projectione noſtra ſtereographica *medio* & *centro mappæ* immineat, quo omnia ex utraque ejus centri parte æque ſe habeant: quia non eſt diffitendum, in iis, quæ proxime oculo objecta ſunt, quam accuratiſſime hoc, quod petimus, præſtari ab iſto projectionis modo. Hanc nobis legem adeo ut in aliis noſtris operibus ſemper nobis proponimus, ita in mappa noſtra prima & principali hoc ſancte obſervatum eſt. In reliquis duabus quia rationes erant, cur alium eligeremus modum, idem hoc ſollicite annotandum duximus.

Deſcriptio linearum diſtantiarum in typo 1 vel mappa 2.

Alterum quod moneamus, eſt, medium nos, quo & lectoribus & nobis maxime res expedita redderetur, multa ſuper hac re deliberatione apud animum noſtrum habita, credidiſſe iſtud, quo integram deſcriptionem aliam mappæ noſtræ, omiſſis reliquis, quibus mappæ exornari ſolent, ſolas diſtantiarum lineas exhibentem daremus in typo, quem propterea Ætiologicum vocamus, primo vel mappa ſecunda. Ex qua perſpicuum foret, quibus uſi fuerimus hypotheſibus. Ex quarum collatione adeo partim cum tabulis operi noſtro præfixis, partim *Antonini* itinerario & *Tabula Peutingeri* vel Auguſtana partim *Arriano* intelligi poſſit, an recte calculos noſtros poſuerimus.

Cautiones in examine noſtrarum hypotheſium obſervandæ.

Sed circa hoc ipſum examen eſt, quod ulterius præſtruamus. Quod ſi quædam in harum diſtantiarum annotatione occurrant, quæ contra autorum ipſorum, quos citavimus in Tabulis, verba & ſententiam pugnare videantur, ne hoc præter rationem aut plane per inadvertentiam a nobis factum ſtatim quis inferat; cum manifeſtum ſit, in quæſtionibus, quæ ad criticas regulas examinari poſtulant, plurium circumſtantiarum conſiderationem neceſſariam exiſtere, & vel plurium ſententiis ſtandum, vel pro re nata ipſa autorum verba emendanda.

Propterea etiam cavendum quivis ſciat, ne carptim & ſingulatim quælibet aggrediatur, ne totum mappæ & diſtantiarum reliquarum nexum turbet.

Quod eo valet, ut neminem debere ſibi judicium in his arrogare ſciendum ſit, qui non etiam inquiſitionem ſuam in partes terrarum ultra mappæ limites excurrentes protulerit. Id quod & nobis obſervandum duximus, qui non ſine totius Aſiæ, quam vocant, minoris & Meſopotamiæ atque Babyloniæ, etſi earum provinciarum in principali mappa modica appareat pars, deſcriptione atque examinatione, ipſam illam noſtram mappam abſolvendam eſſe judicaverimus. Unde demum factum eſſe patebit, ut rationem eſſe crederemus, cur tertia aliqua mappa, quam Typum Ætiologicum ſecundum vocavimus, adjiceretur a nobis.

Fundamenta, & a mappæ deſcribendæ.

De prima vero & ſecunda in genere pro illuſtratione, & quo prærogativa vel bonitas noſtræ operæ cognoſci poſſit, hoc ſubnotamus:

Poſitiones Alex. Cahir. & Scander.

Pro fundamento reliquarum poſitionum cum Aſtronomia & cœlo comparandarum nobis ſumtas *Alexandriæ Ægypti*, *Cahiræ* & *Alexandriæ ad Iſſum*, quæ *Scanderona* vel Alexandretta Syriæ dicitur, poſitiones. Quarum longitudines ſcilicet & latitudines per obſervationes regiæ Societatis Pariſienſis accurate haberi nobis gratulandum eſt.

Harum ope diſtantiæ ab itinerario Antonini & Auguſtana Tabula proditæ, itemque eæ, quæ in Tabulis noſtris proœmialibus ſuppeditantur, recte æſtimatæ nobis produxerunt latitudinem & longitudinem *Hieroſolymæ* ad ejusdem ſocietatis obſervata accurate comparatam, differentia in longitudine ejusdem ad unum aut alterum minutum primum vix accedente.

Hieroſolymæ poſitio.

Sed tamen & hac in parte annotandum venit, quamvis in dicto itinerario Antonini & Tab. Peutingeriana legatur diſtantia *Aſcalonis* & *Hieroſolymæ* 44 mill. Rom. ſaltem, nempe compoſita ex 20 & 24, legiſſe tamen nos cum ipſo Relando potius 30 & 34, ut ſumma 64 prodiret, maxime accedens ad 65 mill. Rom. ſive 520 ſtadia, qualia Joſephum eidem diſtantiæ tribuere probabile exiſtit. Quamvis Rufinus male 725 eo loco Joſephi legat: de quibus videri etiam ipſum Relandum juvabit. Hæc enim ex regulis criticis aſſumta, cum per conſpirationem reliquarum circumſtantiarum in collatione diſtantiarum & menſurarum aliunde cognitarum v. g. quæ ab *Hieronymo* quoque proditur, 46 mill. Rom. ab Joppe ad Hieroſolymam confirmentur, merito nobis demonſtrationis habere vim cenſa fuerunt. Quemadmodum & circa diſtantiam *Cæſareæ* & *Hieroſolymorum*, quæ a *Relando* diſputata ſunt, noſtra facienda duximus: ſcilicet ducendo viam itineris ex hac ad illam non directo, ſed per Lyddam vel Dioſpolim.

Aſcalon.

Cæſarea.

Qua ratione & de diſtantiis Neapoleos vel *Sichemi* & Bethelis ab Hieroſolyma apud autorem itinerarii Hieroſolymitani & Tabulæ Auguſtanæ occurrentibus judicandum.

Sichem.

De *Jerichuntis* a Neapoli diſtantia in eadem Tabula Auguſtana tradita rectius cognoſcitur ex obſervatione *Maundrelli*, qui Jerichuntem paulo ſeptentrionaliorem Hieroſolymis, non directo verſus orientem, ut alii rentur, ſitam annotat.

Jericho.

In diſtantia inter Cæſaream & *Scythopolim* vetus Itinerarium Hieroſolymitanum potius ſequimur, quam diſtantias Relando placentes.

Scythopolis.

*Petræ*, unde parti Arabiæ nomen, ſitus ex fundamentis dictorum apud Relandum, ratione diſtantiæ ejus a Gaza, probe determinatus exiſtit. Mire vero confirmamur in ea hypotheſi, ſi a Damaſco via ad eandem ducatur ea ratione, ac in mappa noſtra 2 expresſum extat ex ipſa Tabula Auguſtana, nempe per Philadelphiam, Thormam, Neglam.

Petra.

Verum eſt autem, magna eſſe opus dexteritate, ut Tabula illa Auguſtana recte utamur, præcipue circa illum tractum. Quia enim id habere eam imperfectionis diximus, ut plagas poſitionum locorum alteret, & inprimis vel deſcribentium pictorum & chalcographorum vitio vel in ipſo originali ibi locorum ſit paulo confuſior, non niſi per divinationem fere de hiſce locis ut ſtatuatur, poteſtatem habemus. Nihil nos juvante Ptolemæo, qui diſtantias exhibet ab illis diſtantiis, quas Tabula proponit, plane abhorrentes, & alias in plurimis falſi deprehenſus habetur.

In ſitu tamen *Thamaris* aſſignando aliquod momentum ei damus, cum Thamaronem ipſe in partibus occidentalibus cis Aſphaltitem lacum ponit. Cujus diſtantia ab Ælia, quam ex Tab. Auguſt. habemus, nempe mill. Rom. 53, cum eam removeat ad ipſos limites Palæſtinæ & partes Judæ tribus extremas: *Ezechiel* autem c. 47 *v.* 19 Thamar in extremo limite Judæ verſus auſtrum prope Kadeſch (cujus ſitus quoque eo quadrat) ponat: junctim hæc ſumta nos, ut credimus, de ſitu Thamaris, qualis eſt in noſtra mappa, ſecuros ſatis reddunt. Quam adeo non confundendam cenſemus cum *Chazezon Thamar*, quod nomen *Engeddi* quoque habuit juxta 11.

Thamar.

*Chron.* XX. 2. Quæ ſcilicet ab extremis limitibus regionis, quos in animo habuit Ezechiel Propheta, qui terminum borealem & auſtralem notare voluit, remotior exiſtit, utpote ad Jordanis in mare mortuum introitum, non longe a Thekoa, prout ex verſu 20 dicti capitis patet, ſita.

Areopolis, Rabbat Moab,

Quibus de Thamaris ſitu ita ſe habentibus, quod diſtantiam 68 mill. Rom. quæ inter eam & Rabbabatoram in Tab. Peut. exiſtere videtur, circumducamus circa litus maris mortui, quo ſcilicet *Ar* vel *Areopolim*, quam pro Rabbat Moab, ſub illa Rabbabatora ſubintelligendam habemus, aſſequamur, nemini mirum videri debet.

Itineris in Tab. Peuting. a Damaſco per Ænum, Chamatham &c. Boſtram ducentis rationem quidem a nobis expeditam cenſemus: Hoc ſaltem lapſu dictæ Tabulæ in tranſitu notato, quo *Hieramacem*, qui nullus alius eſt, quam Jabok, ex quo Jarboch, Jarmoch & tandem Hieramax pro rotunditate oris Græci factum, in lacum Aſphaltitem deducit, qui teſtantibus aliis fide dignioribus monumentis in Jordanem prope mare Tiberiadis (etſi non in illud) influit.

Hieramax,

Loca circa Petram.

Sed locorum circa Elanam & Petram reliquorum ſitum nobis adeo in dubio linquit Ptolemæus & Tabula Peutingeriana, hæc ſcilicet ob dictam cauſam, quod plagarum ea reſpectum nullum habet, ille propter rationes pariter jam dictas, ut plane, quo nos vertamus, neſciamus, etſi in mappis noſtris aliquam hypotheſium ex probabilioribus proponere coacti fuimus.

Situs *Petræ* quidem reſpectu *Elanæ* vel *Ailæ*, adeoque utriusque, eſt ex numero certo determinatorum, ut diximus. Eſt etiam extra dubium, *Hauram* non mediterraneam, in quo manifeſte falſus eſt *Ptolemæus*, ſed ad ipſum ſinus Elanitici litus applicatam fuiſſe, & quidem ad latus orientalius & partes dexteriores ſinum intrantes locum habuiſſe, multis indiciis fit probabile. Sed ſi demum diſtantiam ipſius Hauræ ab Aila juxta Tab. Auguſtanam per ſtationes *ad Dianam* & *Præſidium* dictas, tanquam in directum, & ſecundum eandem plagam in illo litore ſitas numeremus (quod fecit cel. *Islæus*), & quidem 61 mill. Roman. (nempe ita: *Aila* 16 *ad Dianam* 21 *Præſidium* 24 *Havarra*) nullo modo fieri poteſt, ut diſtantia ejus a Petra viam per *Zadagaſtam* ducendo ſit 38. mill. Roman. (nempe hac ratione: *Petra* 18 *Zadagaſta* 20 *Havarra*) niſi dicamus, numerum utrumlibet 18 vel 20 eſſe corruptum. Etſi fieri hoc poſſit, viam illam ab Aila ad Havarram per varias plagas ducendo, viam autem alteram ab Havarra; Petram ſuper mare vel ſinus Elanitici trajectum factam ſtatuendo.

Sed quamvis priori caſu Havarra propius paulo Ægypti oræ vel plagæ admoveatur quam altero, utroque tamen diſtantia ejus major remanere videtur a *Myosbormo*, quam *Arriani* verba poſtulant, qui in *Periplo maris Erythræi* diſerte Havarram, quæ propter commerciorum commoditatem & ſitus opportunitatem præſidium Romanum cum Centurione habebat, 2 vel 3 ſaltem dierum navigatione ab ipſo *Muris* vel *Veneris Hormo* aut *portu* diſtare memoravit. Qui portus, cum ejusdem Arriani indicio, qui diſtantias locorum litoris occidentalioris Africæ in ſinu Arabico vel mari rubro ab oſtio ejus ſinus exponit, intra 27 vel $27\frac{1}{4}$ gradum latitudinis, & intra $52\frac{1}{2}$ vel $52\frac{1}{4}$ gradum longitudinis Islæanæ ſitus exiſtat, ab Havarra iſthac ad 200 vel 225 mill. Rom. (quæ 40 vel 45 mill. Germ. quindenaria reddunt) removeretur: quale itineris maritimi ſpatium an biduo vel triduo pro ſtatu navigationis veterum, præcipue in illis maribus, ubi navigiorum minorum uſus erat, abſolvi potuerit, dubium ſane exiſtit. Unde in repræſentandis his locis in mappa ſecunda alio genere characterum, aſteriſcis nempe & punctis, quo ſciatur, nos hæc in incerto relinquere coactos, uſi fuimus.

Hæc de locis circa Petram dexterioribus. Præter quæ occurrunt in Tabula Peutingeriana, in itinere ab Oboda Ailam, vel potius ad ſtationem ad Dianam, ducente alia, nempe *Lyſa*, *Gypſaria* & *Raſa* (quæ Ptolemæo *Geraſa*) & ipſa ſtatio *ad Dianam*; quæ in ſiniſterioribus vel occidentalioribus reſpectu Petræ locanda veriſimile facit aliquo modo Ptolemæi teſtimonium. Certi vero aliquid ſtatuere prohibent præter dictas cauſas & imperfectiones tum Tabulæ Auguſtanæ, tum Ptolemæi ſpiſſæ circa has regiones, in deſerta loca incidentes tenebræ. Ex nomine Gypſariæ, quod alibi etiam, in Mauritaniæ nempe Cæſarienſis litore maxime occidentali, occurrit, de conditione ejus loci infirmum vel nullum indicium duci poteſt. Inde eſt, quod in mappa noſtra 2 dubiæ hujus poſitionis loca & ductus itinerarios characteribus quoque a cæteris diſtinximus.

Eſt tandem & de *Clyſmatis* ſitu non exigua difficultas.

Et quidem *Heroi* diſtantia a reliquis Ægypti locis, adeoque & litore maris mediterranei in itinerario *Antonini* Clyſma.

*tonini* propoſita videtur non plane conciliabilis reliquorum autorum aſſertis, qui de diſtantia maris rubri a mediterraneo (ac proinde & ab Heroo, quod in illius vicinia fuiſſe extra dubium eſt) prodiderunt, viderique poſſunt in Tabulis noſtris capitis procemialis. Standum tamen duximus ſententia itinerarii Antoniniani, quod non uno loco eadem diſtantia repetitur, ut non ſit probabile, ſphalma aliquod in illis numeris exiſtere.

Sed dein Clyſmatis diſtantia a *Serapii* ſtatione, cujus ſitus in dicto itinerario cum Heroo connectitur, in illo traditur 50 mill. Rom. Quod ipſum plane improbabile apparet, nec adeo cum afferendis ex Tab. Auguſt. conciliabile, nec cum Geogtapho Nubienſi, qui *Colſum* a *Farma* (quod eſſe vel Peluſium vel locum prope Peluſium aliunde conſtat) 7 ſtationes removet. Quarum quamlibet 24 mill. Arabicorum ponere cum liceat (ſi inter varias ejus hypotheſes ſumatur media) foret ea diſtantia 168 mill. Arabicorum vel Romanorum 222. Unde ſi ſubtrahatur diſtantia Serapii a Peluſio, quæ teſtante mappa noſtra eſt 60 fere mill. Rom. reſtant 162 mill. Rom. diſtantiæ inter Serapii & Clyſma. Unde ut difficultati ex itinerarii Antonin. lectione ortæ occurratur, ſcriptionem illam depravatam omiſſione centenarii præfigendi credidimus, eamque adeo facimus mill. Rom. 150, numerum ſatis ad mox dicta 162 accedentem. Quo ipſo cum obtineamus, ut Clyſmatis locus cum itinere ope Tab. Auguſtanæ a Petra per *Pharan* & *Medejam* ducto connectatur commode, multum probabilitatis hypotheſi noſtræ & mappæ accedere confidimus. Sufficiant hæc de his, donec de quibusdam aliis huc pertinentibus inferius data occaſione.

Plura ut pro commendatione operæ noſtræ addamus, non eſſe rationem credimus. Gratulaturi ſumus & ipſi iis, qui rectiora ex principiis legitimis promere valuerint. Hoc æquitatis ſaltem exſpectamus a lectoribus, ut credant, non temere aliquid a nobis eſſe fictum vel factum, etſi ex rationibus dictis ejus cauſas prolixius haud exhibuerimus.

Bilicha fl. & Hieramax fl. Exempla ſaltem liceat afferre fluviorum *Hieramacis* & *Bilichæ* vel *Balaſſi*, quorum alveos ex ingenio aut per fictionis licentiam a nobis ductos nemo velit ſibi perſuadere. Illum alterum enim Peræ & Galaaditidis fluvium *Hieramacem*, Jarmoch, Jabok apud Jabzer ortum, inter Philadelphiam & Geraſam medium fluentem, Gadara prætereuntem atque in Jordanem paulo infra Tiberiadis lacum delatum, atque adeo cum Arnone Gileadem vel Peræam inſulam quaſi aut peninſulam conſtituentem, cum ab autorum ex parte apud Relandum relegendis teſtimoniis (vid. Joſep. Antiq. IV. c. 5. apud Reland. p. 101.) cognoverimus, non aliter, quam in mappa noſtra expreſſus exhibetur, ſiſti potuiſſe palam eſt.

Hunc vero *Bilicham*, Beliſſum, (Belias quoque dicitur) Meſopotamiæ, apud *Davana* ortum, & brevi alveo in Euphratem delatum ex *Ammiano*; *Icbnias* autem & *Commiſimbela* ſtringentem ex *Iſidoro* Characeno; porro locum prælii apud *Carras* diſtantia paucorum milliarium ab illo oppido rigantem (nam poſt diuturnam ſitim Craſſi exercitus ad Bilicham delatus, aquaque refectus, mox ſtatim prælium iniiſſe memoratur) ex *Plutarcho* cum ſciamus, pariter aliter, quam a nobis factum, repræſentari haud potuit.

Alia tamen etiam, quæ ad plenariam certitudinem deduci non potuere, diſtinguere a reliquis non neglexìmus. Heliaramia Qualis eſt *Heliaramiæ* ſitus, utpote cujus notitiam ex Tabula Peutingeriana ſolum habebamus (de Solaramia, quam apud quosdam memoratam invenimus, an cum ea conveniat, & quo loco & hæc ipſa ſita eſſet, non certi exiſtentes:) Hanc adeo, quia ductus itineris in Tabula expreſſi a termino *Adarim*, ultraque Heliaramiam 32 milliaribus ulterius producti ad terminum nullo nomine notatum finiri deprehenditur, quantitas vero diſtantiæ illius per ſtationes in ſummam collectas 164 mill. Rom. continens videbatur nobis ad Euphratem pertingere, qui terminum non incommodum præbere itineris non ulterius continuandi potuerat, illam hypotheſin quidem in mapparum noſtrarum altera inſinuavimus, ſed characteribus per aſteriſcos & puncta ab aliarum diſtantiarum notatione diſtinctis.

Eumaris, Euaris. Quod & circa *Eumarin* Itinerario Antoniniano memoratam obſervavimus, quam cum *Euaria*, de qua ex *Notitia Eccleſiaſtica Græca* & *Notitia Dignitatum Imperii Romani latina* (apud *Relandum* p. 217 & 233 ex citatis) conſtat, quæque a Ptolemæo *Averia* dicitur, proximeque Palmyram locatur, eandem eſſe non improbabile credamus, nihil tamen certi definire, cum præſertim diſtantia ſolum ejus a Damaſco, non item plaga cognita prodatur, auſi fuimus.

PARS

# SYNOPSIS SCALARUM

## MENSURARUM GEOGRAPHICARUM,

*ad qvas* SCHEMATA ICHNOGRAPHICA *Operis de Comparatione Urbium Maximarum conſtructa ſiſtuntur.*

*STADIA vetera 1100 in gradu circuli maximi Telluris*




*STADIA Romana et Græca recentiora 600 in gradu*




*MILLIARIA ROMANA vetera 75 in gradu*




*LEVCÆ Gallicæ minores Qvinivicenæ*




*LEVCÆ Gallicæ majores Vicenariæ*




*MILLIARIA GERMANICA Qvindenaria*




*Milliaria 5000 pedū Rhinland. qvæ creduntur eſſe 60 in gradu, ſed potius ſunt 70 $\frac{15}{16}$*




*Scala HEXAPODARUM vel ORGYIARUM item PEDUM Pariſinorū.*




*Priores et ROMANI numeri exprimunt Hexapodas Pariſienses, ſerviuntque pro deſignationibus urbium maximarum. Poſteriores et ARABICI ſerviunt pro deſignationibus templi Beli et Pyramidis Ægyptiæ, notantque pedes pariter Pariſienſes.*


Tab. I.
Septentr.
BABYLON
Agger
NEBVCADNEZARIS
vel novum Palatium triplex
Horti penſiles
Vetus Palatium
Templum BELI
Pons
EVPHRATES F.
Agger
PALVDES CREBRÆ
Merid.
SEPTENTRIO
Ambitus juxta Diodorum Siculum
Ambitus juxta alias editiones
NINEVE, NINUS
OCCIDENS
ORIENS
Tigris F.




Tab. II.
Fig. III.
PALIMBOTHRA,
Palibothra Indiæ ad Gangem.
Fig. IV.
MESPILA
ad
Tigrim
Fig. XIX.
PARISII LUTETIA
Pariſiorum
Septentr.
Montmartre
Hoſp. S. Louis
Courtille
Mont
Louis
Charone
Monceaux
Porta
S. Martini
Ville
Roule
Thuiller.
Louvre
Cite
Rambouill
Savonnerie
Univerſité
Salpetriere
Les Gobelins
Obſervatorium
La Santé
Merid.
Fig. V.
SYRACUSÆ Siciliæ
Leon
Vicus
Trogilus
Vicus
Trogiliorum
portus
Euryelus
Caſtellum
Labdalum Caſtellū
Galeagra
turris
EPIPOLÆ
Hexamylum
Latomiæ
TYCHA
Temenites
Fons
ACRADINA
Anapus F.
NEAPOLIS
Fons Milichius
Archidemia
Fons
Siraca Palus
Lyſimelia
Pentapylon
Portus Laccus
L. minor
ORTYGIA
Arethuſa
Fons
Cicanes Tarū
Cicane Fons
Olympium
PORTUS
MAGNUS
Daſcon
Sinus
Daſcon
Vicus
Herculis
turris
Plemyrium
Prom
Plemyrium
Caſtellum

Tab. III.


ROMA VETUS ex ipſo Fabretio
ad majorem Scalam deſcripta
Fig. VI.
Via Flaminia
Via Salaria Vetus
Via Salaria
Via Nomentana
Via Triumphalis
Colli Hortulorum
Sepulcr. Hadriani
Porta Collina
Caſtra Prætorum
Via Tiburtina
M. Vaticanus
Via Aurelia nova
M. Citorius
Campus Martius
M. Quirinalis
Porta Viminalis
M. Viminalis
Via Collatina
TIBERIS F.
M. Capitolinus
M. Eſquilinus
Via Prænestina
Porta Eſquilina
Via Labicana
Via Aurelia
Ianiculus M.
M. Palatinus
Amphit.
Via Vitellia
M. Aventinus
M. Cælius
Porta Capena
Aqua crabra
Navale
M. Teſtaceus
Via Aſinaria
Via Latina
Via Portuenſis
Via Oſtienſis
Almo fluviolus
Via Ardeatina
Via APPIA
CONSTANTINOPOLIS
VETUS
ex
Bandurio
Palat. Conſtantini
Regio 13
I. Regio
Boſpori fauces
Propontidis mare
Fig. VIII.
ROMA VETUS ex Fabretio
ad Scalam in fronte operis conſtructa.
TIBERIS F.
Caſtra prætoria
Capitolium
M. Aventinus
Aqua crabra
Almo fl.
Fig. VII.




Tab. IV.
Fig. IX.
Septentr.
PEKIN
a
Urbs Tatarica
PAL A-
TIUM
REGI UM
b
Urbs Sinenſis
Bina templa
Merid.
STOKHOLMIA
VIVARIUM
Septentr.
Norder Malm
Stokholm
Suder Malm
L. Mellar
Carlsberg
Merid.
Fig. XXI.
Septentr.
Fig. X.
NAN KIN
Merid.
PETROPOLIS
St. PETERSBURGUM
Fig. XXII.
Septentr.
NEVA F.
Agger
Merid.
Waſili Oſtrow, Magna
Inſula, novæ condendæ
urbi deſtinata
Finnici Sinus Pars




Tab. V.
YEDO, Jedo
Figura deſcripta ad ſcalam, quæ milliar. Iap. 37½ ponit in gradu.
XVI. a.
Suburbia ulterius excurrentia
A.
B
C
Palat. Reg.
Suburbia ulterius excurrentia
Suburbia ulterius excurrentia
MIACO, Meaco
XV.
Palat. Dairi
Palat. Dairi
A
YEDO v. JEDO
Fig. deſcripta juxta ſcalam, quæ ponit 60 leuc. Iapan. in gradu.
XVI. b.
A
B
C



*Tab. VI.*




*Fig. XII.*




*Fig XI.*




*Fig. XIV.*




*Fig. XIII.*



Tab. VII.



Septentrio
Fig. XVIII.
Pagus S. Demetrii
Terſana
Pe
ra
Funduclu
Topkhana
Ejub
GALATA
Turris Leandri, Kizkul aſsi
Scutari, Iſcodar, Chrysopolis
Chems Baſſa
Saladgeah
Occid.
Oriens
Kawak Seray, Hortus Sultani
CONSTANTINO-POLIS moderna
Stambol
Ser
ay humajun, Palatium Sultani
Caſt. 7. turrium
Tabahan
Coldecui Chalcedon
MARE ALBUM,
PROPONTIS, vel di Marmora
Merid.
Septentr.
Fig. XX.
LONDINUM
Spiets Field
Stepney
Pal. S. Iacobi, S. Iames
Tamesis
To wer
Southwark
West M un ster
Lambeth
Merid.
Oriens
Fig. XVII.
Castra prætoria
ROMA
moderna
Meta aurea Milliare aureum umbilicus urbis
Capitolium
Septentr.
Mer id.
Castellum S. Angeli
Vaticanus M.
Tiberis F.
Occid.
LIMA, CIVITAS REGUM,
De los Reyes
PERVVIÆ
Fig. XXIII.
AMSTELODAMUM
Am stel F.
Fig. XXIV.


TAB. ULTIMA
Fig. I.
Muri et Portæ BABYLONIS
Muri NINEVES
Fig. II. n. 1. n. 2.
Fig VIII
Fig. IX.
Fig. III.
MONUMENTI NINI
Orthographica repræſentatio
Baſes vel Ichnographiæ, Orthographia et Proſpectiva
PYRAMIDUM variarum
IV. b
V.
VI.
VII. b
IV. a
V.
VI.
VII. a
Fig. IV.
Fig. V.
Fig. VI.
Fig. VII.
Pyramis Mexicana Lunæ d.
Pyramis Mexicana Soli dicata
Pyramis Ægyptia
Pyramis Zarinæ Scythica
Scala pedum Pariſienſium pro Figuris ſuperioribus I. ad VII.
1000 800 600 400 200 0 1000 2000 3000




Sectionis III. Tab. I.
MONUMENTI h.e.
TEMPLI vel
TURRIS BELI
FACIES ANTICA
ICHNOGRAPHIA
Turris et Templi Beli
D
C
E
G
F
A
B
8 7 6 5 4 3 2 1




Sect. III. Tab. II.
TURRIS BELI
LATUS UNUM
cum Secti one Templi
ICHNOGRAPHIA alia
A
B
C
D


Sect. III. Tab. III.
ORTHOGRAPHIA Comparativa PYRAMIDIS ÆGYPTIÆ
et
TURRIS TEMPLI BELI
ad Scalam in Fronte Operis.
Fig. A.
D
C
e
A
E
B
Facies
Poſtica
TURRIS
I
K
H
G
F
E
D
L
C
B
A
M
Eorundem operum ORTHOGRAPHIÆ comparatæ
juxta Scalam Tabulæ ultimæ
TURRIS BELI
poſita qvantitate Stadii,
qvalis olim revera.
TURRIS BELI
admiſſa qvantitate
Stadii, qvalis poſteri-
oribus temporibus,
et in hypotheſi
prima.
PYRAMIS Aegyptia
fixæ et determinatæ qvan-
titatis
I. Hypotheſis
II. Hypotheſis


Sectionis III. Tab. IV.
PYRAMIDIS ÆGYPTIÆ
et TURRIS BELI
PROSPECTIVA
Comparativa




TOTIUS TEMPLI BELI
et partis urbis BABYLONICÆ
PROSPECTIVA

# PARS PROŒMIALIS
ET
## CAPUT I.
### TAB. I.

***LONGITUDINES & LATITUDINES***
***Urbium potiorum in Mappa.***

Longitudines intelliguntur *Islæanæ*, ſive quarum primus Meridianus eſt 20 grad. verſus Occident. a Pariſienſi.

Reductiones Longitudinum ad Meridianum *Islæanum* factæ ſubtrahendo { 7° ex *Abulfedæ* / 17 ex *Olug Begi* } Longitudinibus.

| Urbes | Autores | Long. Islæan. ° | ′ | Latitud. ° | ′ |
|---|---|---|---|---|---|
| Aleppo, Chaleb. | *De l'Isle* in Mappa, Lieutaud | 55 | 0 | 35 | 45 |
| | *Des Places*, *Manfredi* | 55 | 0 | 36 | 0 |
| | *Harris* | 53 | 34¾ | 37 | 20 |
| | *Doppelmaier* | 53 | 54¾ | 36 | 15 |
| | *Halleyus* ex 3 Obſervat. | - - | - - | 36 | 0 |
| | *Olug Beg* | 55 | 10 | 35 | 50 |
| | *Tabulæ Carolinæ* Streetii | {53 / 56} | {57½ / 19} | {37 / 36} | {20 / 25} |
| Alexandria Syriæ, *Scanderona*, *Alexandretta* | *Des Places* | 54 | 0 | 36 | 32 |
| | *De l'Isle* in Comment. Pariſ. Acad. 1721. | 54 | 15* | 36 | 35* |
| | Etſi ex annotata differentia temporis inter Merid. Pariſ. & Alex. ſequatur ſaltem differentia in gradibus integris | 54 | 0 | | |
| Alexandria Ægypti, *Scanderrik* | *Lieutaud* | 47 | 54* | 31 | 11* |
| | *Hiræus* | 48 | 0 | 31 | 12 |
| | *Olug Beg* | 44 | 54 | 30 | 58 |
| Cahira | *Des Places*, *Lieutaud* | 49 | 35* | 30 | 2* |
| | *Olug Beg* | 46 | 20 | 30 | 20 |
| | *Naſir Etuſæus* | 48 | | 30 | 0 |
| Hieroſolyma, *Baitalmakdes* | *Lieutaud* | 53 | 30 | 31 | 50 |
| | *Hiræus* { Sine dubio per Sphalma | 58 | 38 } ** | 31 | 38½ |
| | { Rectius & correct. | 53 | 38 | | |
| | *Olug Beg* | 49 | 30 | 31 | 50 |
| | *Naſir Etuſæus* | 51 | | 32 | 0 |
| Smyrna, *Iſmir*, *Smirne* | *Fevillée*, *De l'Isle* in Comment. Acad. Pariſ. 1721. | 44 | 59¼ | 38 | 28 |
| Trapezus, *Trebiſonde*, *Taraboſan*, | *De l'Isle* in Comment. Pariſ. 1721. | 57 | 30 | - - | - - |
| | *Idem* in Mappa | - - | - - | 41 | 4 |
| | *Abulfeda* juxta *la Croix* | 55 | 30 | 42 | - - |
| Thapſacus | *De l'Isle* in Mappa Commentar. Pariſ. Acad. 1721. | - - | - - | 34 | 50 |
| Hama, Chamath | *Abulfeda* Princeps Hamæ (*Grabius* in Præfat ad Tabb. ej.) | 53 | 45 | 34 | 56 |
| | *La Croix* ex eodem | 53 | 40 | 35 | 0 |
| | *Naſir Etuſæus* | 53 | 40 | 34 | 40 |

*CAP. I.* *TAB. I.*

| Urbes | Autores | Long. Islæan. ° | ' | Latitud. ° | ' |
|---|---|---|---|---|---|
| Melitene, *Malatiyah* | *Olug Beg* | 54 | 0 | 37 | 0 |
| | *Islæus* in Mappa ultima | -- | -- | 37 | 40 |
| | *Idem* in Mappa Imper. Græc. | -- | -- | 38 | 20 |
| Madian | *Abulfeda* in excerptis Tabb. apud Roquium | 59 | 40 | 29 | 0 |
| | *Ptolemæus* | 59 | 20 | 27 | 45 |
| Ailah | *Abulfeda* | 49 | 40 | 28 | 50 |
| | *Ptolemæus* | -- | -- | 29 | 15 |
| | *Joh. a Caſtro* Admiralis Portug. | -- | -- | 28 | 10 |
| Palmyra, *Thadmor* | *Abulfeda* | 55 | 0 | 34 | 0 |

# CAPUT I.

## TAB. II.

*Ex TAB. Olug Begi & Naſir Etuſæi*, item *Abulfedæ* (*citante Domino la Croix in Hiſt. Timuri*) *reliqua*.

| | | Longit. ° | ' | Latitud. ° | ' |
|---|---|---|---|---|---|
| Damiat, *Thamiatis* | *Olug Beg* | 46 | 30 | 31 | 25 |
| | *Naſir Etuſæus* | 48 | 0 | 31 | 30 |
| Kolſom, *Clyſma* | *Olug Beg* | 47 | 0 | 29 | 30 |
| | *Naſir Etuſ.* | 47 | 0 | 28 | 30 |
| Kus, Kuts; *Coptus.* | | 44 | 30 | 24 | 30 |
| Harran, *Carræ* | | 56 | 0 | 36 | 40 |
| Racca, Aracca Al Battani, h. e. Albategnii Aſtronomi. Videtur *Hallejo* dicta a Yarecca, Victoria. Balanicas vocatur notante *Nubienſi*, factum ex Callinicum | | 56 | 15 | 36 | 0 |
| Karkiſia, *Cercuſium*, *Phaliga*, *Ephaliga* | | 57 | 40 | 37 | 20 |
| Naſibin, *Niſibis* | *Olug Beg* | 58 | 20 | 37 | 0 |
| | *Abulfeda* | 59 | 30 | 37 | |
| Senjar, *Singara* | | 59 | 0 | 36 | 0 |
| Raſalain inter Mouſſel & Rihha (*Niniven & Edeſſam*) ubi fontes fluvii Chabour, | *Olug Beg* | 57 | 0 | 36 | 50 |
| Rihha, Orpha, *Edeſſa* | *Abulfed.* | 58 | 0 | 36 | 0 |
| Anah ad Euphratem, *Anatha* | *Abulfeda* | 59 | 30 | 34 | 0 |
| Rahabah | *Olug Beg* | 57 | 35 | 34 | 10 |
| | *Abulfeda* | 58 | 0 | 34 | 0 |

CAP. I. *TAB. II.*

| | Longit. | | Latitud. | |
|---|---|---|---|---|
| | ° | ' | ° | ' |
| Taraſus, *Tarſus*, | 51 | 40 | 36 | 42 |
| Maſſiſiya, Manſiſta, *Mopſuheſtia* | 52 | 15 | 36 | 45 |
| Somiſat, *Samoſatum* | 55 | 35 | 40 | 0* |
| Antaciyah in Thogar, *Antiochia ad Orontem* | 54 | 26 | 35 | 30 |
| Sarmin { *Olug Beg* | 54 | 50 | 35 | 15 |
| Sarmin { *Naſir Etuſ.* | 54 | 50 | 35 | 45 |
| Kinnaſrin, *Chalcis* nobis | 55 | 0 | 35 | 30 |
| Manbeg, *Hierapolis* | 55 | 15 | 36 | 15 |
| Atrabolos, *Tripolis Syriæ* | 52 | 40 | 34 | 0 |
| Scham, Demask, *Damaſcus* | | | | |
| { *Olug Beg* | 53 | 0 | 33 | 15 |
| { *Naſſir Etuſ.* | 53 | 0 | 33 | 20 |
| Balabac, *Heliopolis*, | | | | |
| { *Olug Beg* | 53 | 45 | 33 | 15 |
| { *Naſſir Etuſ.* | 53 | 45 | 33 | 40 |
| Hems, *Emeſa*, *Olug Beg*, *Naſſir Etuſ.* | 53 | 45 | 34 | 0 |
| Askalon | | | | |
| { *Olug Beg* | 49 | 30 | 32 | 15 |
| { *Naſſ. Etuſ.* | 50 | 0 | 31 | 20 |
| Ramlah | 49 | 50 | 32 | 10 |
| Kaiſariyah, *Cæſarea Palæſtinæ* | | | | |
| { *Olug Beg* | 49 | 30 | 32 | 30 |
| { *Naſſ. Etuſ.* | 51 | 0 | 31 | 30 |
| Tabariyah, *Tiberias* | | | | |
| { *Olug Beg* | 51 | 0 | 32 | 0 |
| { *Naſſ. Etuſ.* | 51 | 55 | 32 | 0 |
| Sur, *Tyrus* | 51 | 30 | 32 | 40 |
| Saida, *Sidon* | 51 | 35 | 32 | 40 |

# CAPITIS II.

## TAB. I.

| *DISTANTIÆ LOCORUM ÆGYPTIORUM* | | | Reduct. ad Mill. Rom. quorum 75 reſp. 1. Grad. |
|---|---|---|---|
| A Sinu Plinthinete ad Selbonidis lacum | { 60 Schoen. 3600 ſtad. } | *Herodot.* L.II. | { 450 Si recent. ſtad. 245 Si vetera ſtad. intelligantur. |
| A Canopico ad Peluſiacum oſtium | 170/m. Paſſ. | *Plin.* L.V.c.9. | 170 |
| | 1300 ſtad. | *Strabo* | 162½ |

*CAP. II. TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Alexandria ad Canopicum oſtium | $\frac{12}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L.V. c.10 | 12 |
| ad urbem Canobum | 120 Stad. | - - - | 15 |
| ad Schediam vicum | 4 Schoen. | - - - | |
| A Canopico oſtio ad Pharum | 150 Stad. | *Strabo* | $18\frac{3}{4}$ |
| Thamiatis, *Damiette* a mari | 8 Mill. Gall. | *Paul. Lucas* | 24 |
| Nilus: a capite Deltæ ad Peluſ. Oſtium, mendoſe | $\frac{256}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L. V. c.9. | 256 |
| potius | $\frac{106}{m}$ Paſſ. | - - - | 106 |
| | 25 Schoen. | *Strabo* ex Artemid. | |
| | 750 Stad. ſi Schoen. 30 Stad. ex ſententia | *Strabonis* | $93\frac{3}{4}$ |
| | 1000 Stad. ſi Schoen. 40 Stad. ex ſententia alia | | 125 |
| a capite Deltæ ad Canopicum oſtium | $\frac{146}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L.V. c.9. | 146 |
| ad Alexandriam | 28 Schoen. | juxta *Artemidor.* ap. *Strab.* | |
| | 840 Stad. ſi Schoen. 30 Stad. | ut vult *Strabo* | 105 |
| | 1120 Stad. ſi Schoen. 40 Stad. | ex ſententia alia | 140 |
| A Mari ad Heliopolim Ægypti | 1500 Stad. | *Herodotus* L. II. p. 133. | $187\frac{1}{2}$ ſi ſtad. recentiora, |
| | Tantundem ac ab Athenis Piſam & templum Jovis Olympii | | 105 ſi ſtad. vetera intelligantur |
| Memphis a capite Deltæ | $\frac{15}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L.V. c.9 | 15 |
| A Peluſio ad M. Caſium | 300 Stad. | *Strabo* L. XVI | $37\frac{1}{2}$ |
| A Peluſio ad finem Arabiæ, nempe prope Oſtracinem | $\frac{65}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L.V. c.12 | 65 |

*CAP. II.*

CAP. II. *TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| A Monte Caſio / Peluſio ad Sinum Arabicum | 1000 ſtad. | *Herodotus* L. II. c. 158. | 125 ſi Stad. recent. 68½ ſi Stad. vetera |
| A Peluſio ad Arſinoën | $\frac{125}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L.V.c.11. ex ſentent. *Agrippæ* | 125 |
| A Peluſio ad Heroum | 900 Stad. | *Strabo* L.XVII. | 112½ |
| non integra | 1500 Stad. | *Poſidonius* ap. *Strab.* | |
| Inter flumen Nilum, qua parte ad Delta decurrit, ad mare rubrum | $\frac{62}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L. VI. c. 29. | 62 |
| A Farma (quæ prope Peluſium, vel ipſa Peluſium) ad rubrum mare vel *Colſum*, Clyſma | 7 Stationes | *Nubienſis* | |
| A *Calzem* ad Faran Aharon | $\frac{40}{m}$ Paſſ. Arabici | *Nubienſis* | 53 |
| Babylone ad Arabicum ſinum | 4 dietæ pro jumentis 1 diei & noctis iter equiti expedito | *Pallad.* in *Lauſiac.* hiſt. | |

*OBSERVANDA.*

Diſtantiæ hæ difficillime cum iis, quæ in *Antoniniano Itinerario* proponuntur, in concordiam rediguntur. Quapropter illud potius ſequendum videtur. Sed tamen diſtantia *Serapii* & *Clyſmatis* 50 *Mill. Romanorum* nullatenus probabilis exiſtit, nec cum Nubienſi Geographo conciliabilis eſt, nec cum diſtantiis, quæ *TAB. Peutingeriana* itinere ab *Aila* per *Pharam* & *Medejam* ducto ſuppeditat. Quare illo loco Itiner. legendum cenſemus 150 *Mill. Rom.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| A Syene ad Nili fiſſuram ſ. Delta | $\frac{600}{m}$ Paſſ. | *Plin.* ex *Artemid.* L. V. c. 9. | 600 |
| Ab Elephantine ad mare | $\frac{750}{m}$ Paſſ. | *Plin.* ibid. ex *Ariſtocreonte* | 750 |
| Ab Elephantine Alexandriam | $\frac{586}{m}$ Paſſ. | *Plin.* ibid. ex ſua ſent. | 586 |
| Ab Elephantine Syenem | $\frac{16}{m}$ Paſſ. | *Plin.* ibid. | 16 |

*CAP. II.* *TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. | |
|---|---|---|---|---|
| Ab Elephantine Thebas | 820 Stad.<br>1800 Stad. | *Herodotus*<br>in Mſto. | 56<br>123 | Admiſſa reductione Islæana ſecunda. |
| Heliopoli Thebas | 4860 Stad.<br>81 Schoen. | | 333 | |
| Ægypti latitudo, qua arctiſſima eſt inter montem Arabiæ & ei oppoſitum Libycum. | 200 ſtad. | | | |
| Inſulæ, in qua Heracleopolis Longitudo | $\frac{50}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L. V. c. 9. | 50 | |

*OBSERVANDA.*

Extremi borealioris Inſulæ ejus in Ptolemæi textu latitudo eſt $29^{\circ}\,0'$, auſtralis $28^{\circ}\,45'$ quæ poſitiones darent ſaltem differentiam latitudinis $15'$, vel $18\frac{3}{4}$ mill. Rom. Sed ſphalma eſſe in editione iſthac ex circumſtantiis patet, quia Heracleopolis, quæ eſt in ipſa inſula, latitudo exiſtit $29^{\circ}\,10'$. Ergo corrigenda eſt latitudo illius extremi borealis, & ſcribendum $29^{\circ}\,20'$ vel $29^{\circ}\,30'$.

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| A Metſr vel Foſtat Moniat aſſudan ad occ. ripam Nili | 15 M. Ar. | *Nubienſis.* | 20 |
| Hema parvum | 20 M. Ar. | *Idem.* | $26\frac{1}{2}$ |
| Hema magnum ex parte orientali | 10 M. Ar. | *Idem.* | $13\frac{1}{4}$ |
| Fium | 20 M. Ar. | *Idem.* | $26\frac{1}{2}$ |
| *Mareotis Lacus, Arapotes* Euripo è Canopico oſtio immiſſus | | *Plin.* L. V. c. 10. | |
| Latitudo vel Trajectus | $\frac{30}{m}$ Paſſ. | *Plin.* ex *Claudio* L. V. c. 10 | 30 |
| Longitudo & Latit. | 40 Schoen.<br>1200 Stad.<br>$\frac{150}{m}$ Paſſ. | *Idem* ibid. | 150 |
| Ambitus | $\frac{600}{m}$ | *Idem* ibid. ex *Claudio* | 600 |
| Latitudo ſupra | 150 Stad. | *Strabo* L. | $18\frac{3}{4}$ |
| Longitudo minus quam | 300 Stad. | *Strabo* L. | $37\frac{1}{2}$ |

CAP. II.

*CAP. II.* *TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| *Mœridis Lacus, Birque Querron, Bucaira* | | | |
| Situs, inter Memphitem & Arſenoitem Nomum | | *Plin.* L. V. c. 9 | |
| Diſtantia a Memphi | $\frac{62}{m}$ | *Plin.* ibid. | 62 |
| Circuitus. Ex *Plin.* loc. cit. | $\frac{250}{m}$ vel $\frac{450}{m}$ | juxta *Mutianum* | 250<br>450 |
| Ex *Herod.* | 3600 Stad. 60 Schoen. | | |
| Intellige non 3600 Paſſus, ut vult *Cellarius*, ſed ſtadia, quod ſequitur ex Schoenorum Ægyptiorum mentione, qui *Herodoto* ſunt 60 ſtadiorum. | | | |
| Ergo ſi ſtadia capiantur recentiora, | | | 450 |
| ſi ſtadia vetera | | | 245 vel 250 |
| Intelligitur quoque ex hoc, quod verus circuitus 250 mill. Rom. fuerit, & qui 450 mill. Rom. eum prodiderunt, falſa ſtadiorum reductione uſi fuerint. | | | |
| Ex *Mela* | $\frac{500}{m}$ | | |
| Longitudo. Plus quam | 1 diei iter | *Paul. Lucas* Itinere ſecundo | 40 |
| Latitudo. Paulo plus | ½ Mill. l. Leuc. | *Idem.* Videtur de ſtatu præſenti intelligendum. | |
| Plaga. Longitudo a ſeptentrione verſus meridiem porrigitur. | | | |
| Via ad lacum Mœridis & Labyrinthum. | | *P. Lucas* tert. itin. T. II. | |
| Benſuef a Cahiro | 25 Leuc. Gall. | *P. Lucas* | 75 |
| Fium a Cahiro | 2 dier. iter. | *Idem* itin. III. | |
| A Benſuef ad Fium | 7 horæ cum brevi pauſa quieti data. Videntur intelligendæ leucæ 20nariæ. Adeoque 6 horæ proxime, ut in Itin. II. Plaga ſemper occid. verſus. | | 20 |

*CAP. II.*

*CAP. II.* *TAB. I.*

| | | Mill. Rom. |
|---|---|---|
| A Fium ad Lacum Mœridis | 4 Leuc. Gall. | 15 |
| Inde ad Vallem & Canalem Joſephi | 1 Hor. | $3\frac{1}{2}$ |
| Inde ad Labyrinthum | 4 Hor. largiter ſumtæ. | 15 |
| *Lacus Gara.* | *Paul. Lucæ* | |
| Circuitus | 50 Leuc. Gall. | 150 |
| Diſtantia ab altero lacu, Mœridis nempe. | 6 Leuc. Gall. | 18 |
| Lacus hi duo *Nubienſi* dicuntur ſtagna *Acna* & *Tiharut.* | | |
| *Canalis Almon Schah.* | *Nubienſis Geographi* | |
| Initium a Saul<br>Hanc ex oppoſito Thebarum vel Dioſpolis magnæ eſſe, quia 1 diei itinere ſupra Echmin, quæ Apollinis parva civitas, exiſtit, apertum facit collatio *Nubienſis*, *P. Lucæ*, *Ptolemæi* & *Itinerar. Anton.* | | |
| A Saul ad Albahuala | 4 ſtat. | |
| Inde divertitur alius Canalis ad Alouat, Oaſim magnam, deſinens in rivos minores, in quos diducitur. | | |
| Ab Albahuala ad Ahnas | 2 ſtat. | |
| Ab Ahnas ad Ballatz | 2 ſtat. | |
| Ad Ballatz Canalis ab alveo fluvii Nili diſtat ſolis | 2 mill. Arab. | |
| Exitus Canalis in Lacus Acna & Tiharut prope Fium. | | |
| *Canalis Joſephi* | | |
| Ex *Paulo Luca Itin. II.*<br>Ductus a Laon ad Fium per montem ipſum arte perforatum.<br>Communicat cum Nilo immediate per pontem, vel Catarractam. Per mediam Fium fluit.<br>*Eidem Itin. III.* Parte 2.<br>Videtur *Canalis Joſephi* incipere demum a Mellavi 10 vel 12 mill. Germ. infra Siuth (Siuth autem ipſi eſt 60 mill. Germ. ſupra Cahirum) nec confundendus cum Canali alio prope Siuth. | | |

CAPI-

# CAPITIS II.

## TAB. II.

| | Autores | Initium & Finis | Dimenſiones & Plagæ | Singularia |
|---|---|---|---|---|
| | *FOSSÆ EX NILO IN MARE RUBRUM* | | | |
| Plinius L. VI. c. 29. | *Seſoſtris*, *Darius*, *Ptolemæus*, omnes incepto deſiſtentes. | Initium: Daneon portus. Ad fontes amaros a Ptolemæo perductus | Altitudo 30 ped. Latitudo 100 ped. Longitud. $37\frac{1}{2}$ mill. Roman. Diſtantia, ad quam prima deſtinatione ducendus, a Daneon portu ad Nilum, qua parte ad Delta decurrit 62 m.R. | Cauſa omiſſi operis: Metus inundationis, ob mare rubrum celſius 3 cubitis, quam terra Ægypti deprehenſum. |
| Herodotus L. II. c. 158. edit. | *Necos*, *Darius*, uterque deſiſtens. | Initium. Paulo ſupra Bubaſtum in πεδίῳ Ægypti verſus Arabiam ad Patumon urbem<br><br>'ἐσέχει, exit in mare rubrum. Potius deſtinata ut exiret, propter dicenda ad A. | Primo ab occidente verſus orientem ſecundum radices montium usque ad Memphim extenſorum, in quibus ſunt lapidicinæ usque ad finem montium: dein in meridiem in ſinum Arabicum.<br><br>Longitudo 4 dierum navigatio.<br><br>Latitudo talis, ut ſimul 2 triremes agi poſſent.<br><br>Diſtantia a mari breviſſima 1000 ſtad. ſed foſſa per longiores anfractus ducta | A. Cauſa, cur Neco deſtiterit, quod oraculum edixiſſet eam barbaro præmuniri. |
| Diodorus L.I.p.20. edit. Steph. | *Necos*, *Darius*, imperfectum relinquentes. *Ptolemæus* II. abſolutor Operis. | Finis. Urbs Arſinoë. | Amnis Ptolemæus dictus<br><br>Diaphragmata inſtructa | Cauſa, cur Necos deſtiterit, metus inundationis ob rubrum mare editius |

*CAP. II.* *TAB. II.*

| | Autores | Initium & Finis | Dimenſiones & Plagæ | Singularia |
|---|---|---|---|---|
| Strabo L. XVII. | *Seſoſtris* ante bellum Trojanum juxta Strabonem, juxta alios *Pſammitichus*, *Darius*, *Ptolemaici* reges quidam | Initium. Phacuſa pagus, cui connexus Philonis pagus. Per fontes amaros, poſt dulces facto s | Latitudo Cubit. 100 Ptolemæi eſt diaphragma vel Euripus. | Cauſa, cur Darius pene abſolutum opus reliquerit, metus inundationis. |
| Ariſtoteles Meteorolog. L. I. | *Seſoſtris* deſinens, *Darius* aliquantenus producens | | | Cauſa omiſſi operis metus inundationis |
| Ptolemæus in Geograph. | *Adrianus* vel *Trajanus* | Fluit amnis Trajanus per Heroum & Babylonem | | |
| Marshamus ex - - - | Ab *Adriano* vel *Trajano* repurgata vetus foſſa, & ab hoc dicta | | | |

## *OBSERVANDA*

Contradictiones in his ſententiis ita conciliandæ videntur:

*Seſoſtris* foſſam duxit (non a Daneon portu, ut *Plinius* vult, ſed a Phacuſa pago juxta *Strabonem* (adeoque longius a radicibus montium) ad fontes amaros perduxit, juxta *Strabonem*, ibique deſtitit ab opere.

*Necos* aliam foſſam duxit a Patumo incipientem,
eam continuare aggreſſus *Darius*.
Ducta eſt ſecundum ipſas radices montium.

*Ptolemæus* a fontibus amaris incepit (non, ut *Plinio* placet, ad eos perduxit)
Diaphragmatibus inſtruxit,
Et ad Arſinoën usque perduxit.

*Trajanus* aliam foſſam egit per Heroum & Babylonem,
quæ eundem exitum habuit, ac *Ptolemæi* foſſa.

Fata hujus Canalis ſequentibus temporibus.

*Amr* ſub Califa *Omare* circa A. C. 635 canalem aperuit pro frumento ex Ægypto in Arabiam deportando.

*Abugiafar Almanzor* ſecundus Califarum Abbaſidarum circa A. C. 775 canalis os obſtruxit.

CAPUT

# CAPUT III.

## TAB. I.

| DISTANTIÆ LOCORUM ARABICORUM | | | |
|---|---|---|---|
| Viæ a Mari ſupero ad Rubrum tres<br>1. A Peluſio per Arenas: via calamis hinc inde fixis ſignata<br>2. A 11 millibus ultra Caſium montem poſt $\frac{60}{m}$ in Peluſiacam viam rediens per Arabes Autæos<br>3. A Gerro, quod Adipſon vocatur, $\frac{60}{m}$ propius, ſed per montes aquarum inopes per eosd. Arabes Autæos. | | *Plinius* L. VI. c. 29. | |
| Viæ hæ omnes ducunt ad Arſinoën in Sinu Charandra. | | | |
| Primus Troglodyticen excuſſit Ptolemæus Philadelphus, & amnem, qui Arſinoën præterfluit, vocavit Ptolemæum. | | Idem l. c. | |
| *Sirbonidis Lacus* | | | Mill. Rom. |
| Circuitus | $\frac{150}{m}$ Paſſ. | *Plinius* | 150 |
| Longitudo | 200 ſtad. | *Strabo* p. 760<br>*Diodorus* L. I. 30 | 25 |
| Latitudo maxima | 50 ſtad. | *Idem* | 6¼ |
| Profunditas miranda, θαυμάσιος | | *Diodor.* l. c. | |
| Ptolemæus Peluſium profectus primum in ea urbe caſtra poſuit. Pergit ire per terram carentem aqua propter Caſium montem, & ea, quæ vocant Barathra iter habens. | | *Polyb.* L. V. p. 422. | |
| *Reliqua loca Arabiæ cis Sinum Elaniticum* | | | |
| Idumæa (ſc. propria) ab Hieroſolyma | Vix 75 m. Rom. | *Hieronymus* | 75 |
| Jerichunte Petram | 3 vel 4 dies. | *Strabo* L. XVI. p. 779. | |
| Petra Phœniconem | 5 dies. | *Idem* l. c. | |
| Petra Zoaram vel Aſphaltitem lacum | 300 ſtad. | *Diodorus* | 37½ |
| Aila Petram | $\frac{10}{m}$ Paſſ. | *Euſebius*, *Hieronymus* | 10 |
| Aila Petræ ad orientem | | *Idem* | |
| Aila, Elana Gazam | $\frac{150}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L. V. c. 11. | 150 |
| | 1260 ſtad. | *Strabo* & *Marcian. Heracleota* | 157½ |
| | 157 m. Rom. | *Idem* | 157 |

CAP. III. *TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Non videtur tamen recta linea, ſed ſecundum latera montium, qui Judæam claudunt, ducenda hæc via. | | | |
| Petra Gazam | $\frac{600}{m}$ Paſſ. | *Plin.* L. VI. c. 28 | 600 |
| Sphalma ſine dubio, ut notavit Relandus, permutatis numeris ſcribendum judicans $\frac{135}{m}$ | | | 135 |
| A Caſtris ad Jordanem ex oppoſito Hierichuntis ultimis ad Choreb via per Cadeſch ducta | 11 dier. iter. | *Deut.* I. 2. | |
| Carcaria, Corace a Petra | 1 diei iter | *Euſebius* in Onomaſtico. | |
| Beeroth Bne Jahakan, Putei filiorum Jahakan a Petra | 10 mill. | *Idem* ibidem | 10 |
| Theman, ubi præſidium Romanum a Petra | 5 mill.<br>15 mill. | *Hieron.* in Loc.<br>*Euſeb.* in Onom. | 5<br>15 |
| Phunon. Inter Petram & Zaaram | | *Euſeb.* | |
| Dedan. Verſus ſeptentrionem a Phunon | 4 mill. | *Hieron.* | 4 |
| Aila, Elana ad Pharan | 3 dier. iter. | *Euſebius* | |
| Aila hodie turris unica | | *Abulfed.* | |
| Haura, præſidium Rom. cum centurione habens | | *Arian. Periplo* | |
| Madian urbs in ruinis ad maris rubri litora e regione Thebuc, a qua | 6 dier. it. diſtat. | *Abulfed.* | |
| Nabatæi oppidum incolunt nomine Petram in convalle paulo minus $\frac{2}{m}$ amplitudinis circumdatum montibus inacceſſis, amne interfluente. | | *Plin.* loc. ſupra cit. L. VI. c. 28. Conſonat *Strabo* L. XVI. p. 779. | |

CAP. III. *TAB. I.*

*Comparatio locorum circa Arabiam Petræam exiſtentium ex variis autoribus*

| *Ex notitia imperii:* | *Ex Tab. Peutinger.* |
| --- | --- |
| Zodocatha | Zadagaſta |
| Havara | Havarrro, vel Avara Ptolemæi |
| Zoara | Zoar |
| Præſidium | Præſidium |
| Aila | Aila |
| Gadda | Gadda |
| Boſtra | Boſtra |
| *Ex Ptolemæo:* | |
| Lyſa, Petra, | Lyſa, Petra |
| Negla, Geraſa | Negla, Raſa |
| Eboda | Oboda |
| Phara | Pharan |
| Gypſaria | Cypſaria |

| | |
| --- | --- |
| Fines orientales Palæſtinæ pertinent usque ad Mare rubrum, quod ab Indorum regione incipit, & illic terminat ditionem Romanorum. Urbs autem Ailas nuncupata litori ejus adjacet, ubi in ſinum arctatur anguſtiſſimum, quem qui intrant, ex illa parte a dextra quidem montes Ægyptiorum verſus meridiem procurrentes habent, a læva ſolitudinem, quæ ad ſeptentrionem longiſſime patet. Porro utrinque terra conſpici poteſt, inde usque ad Inſulam Jotaben, ſtadiis haud minus mille ab urbe Aila diſtantem, cujus incolæ Hebræi, ſui olim juris, tempore Juſtiniani Romanor. imperio ſubjecti ſunt. | *Procopius* Lib. I. de bello Perſico |

| *Ex Schukfordii Chronolog. ſacr. Opere* | | | | Mill. Rom. |
| --- | --- | --- | --- | --- |
| Finditur mare rubrum parte ſua borealiſſima in duo brachia vel ſinus. Alter a Toro urbe, (quæ Pharan veterum creditur) LONGITUDINEM habet in univerſum | 30 Leuc. Gall. / 90 Mill. Angl. | | | 90 |
| *Latitudo* a Toro urbe usque ad diſtantiam | 26 Leuc. Gall. / 78 Mill. Angl. | eſt | 3 Leuc. Gall. / 9 Mill. Angl. | 9 |
| *Latitudo* inde usque ad diſtantiam | 2 Leuc. Gall. / 6 Mill. Angl. | eſt | 3 Mill. Angl. | 3 |
| *Latitudo* inde usque ad extremum limitem per | 2 Leuc. Gall. / 6 Mill. Angl. | | 3 vel 4 Mill. Angl. | 3 vel 4 |

### OBSERVANDA.

Diſtantiæ hæ longitudinis, nempe partium hujus canalis vel maris, quam difficillime cum aliis, quæ ex veteribus monumentis habemus, conciliari poſſunt. Unde eſt quod magno deſiderio expectemus deſcriptionem horum locorum a C. Shavv promiſſam, ſi modo rectius ex ea de his edoceri poſſimus: Interim in mappa noſtra *Nubienſem Geographum*, *tabulam Peutingeri*, & *Itinerar. Antonin.* (ſed emendatione circa diſtantiam Clyſmatis ab Herao adhibita) ſecuti ſumus, collatis *Neitſchitzi*, *Tavernieri*, & *Troilæi* relationibus.

# CAPITIS III.

## TAB. II.

*Intimioris Sinus Arabici deſcriptio ex variis Autoribus*

### (1) Ex STRABONE L. XVI. p. 776.

Primo eos perſequitur (*Artemidorus*) Arabas; qui Arabicum ſinum terminant, & Troglodytis opponuntur a POSIDIO incipiens. Ait autem hoc interius in Elanitico ſinu ſitum. Eſſe vero continuum Poſidio PHÆNICONEM (a palmis dictum) aquis abundantem, & in magno honore haberi, propterea quod tota circumſtans regio æſtuoſa ſit, & arida, umbrarumque expers. Ibi vero mirificam eſſe feracitatem palmarum. Luco vero præeſſe virum & fœminam per genus conſtitutos, pellitos ambo, victum ex palmis habentes. Dormiunt in tuguriis ſuper arboribus factis propter ferarum multitudinem. Poſtea eſt PHOCARUM INSULA. Prope eſt promontorium, quod usque ad Petram Arabum, qui Nabatæi dicuntur, protenſum & usque in terram Palæſtinam: in quam MEINÆI & GERRÆI & omnes vicini aromata convehunt.

Poſtea eſt alia ora prius MARANITARUM, nunc GARINDÆORUM (qui MARANÆOS ſcil. deleverunt) &c.

Succedit his ELANITICUS SINUS, & NABATÆA, populoſa ſane regio, & paſcuis abundans. Inſulæ ante hanc ſitæ ab hominibus tenentur, qui olim quieti, poſtea ratibus deprædari cœperunt eos, qui ex Ægypto navigabant, claſſe vero contra eos profecta pœnas dederunt.

### (2) Ex DIODORO L. III.

*Conſona ſunt his, quæ Diodorus Siculus ſine dubio ex eodem Artemidoro habet* L. III. c. 42. *Ita nempe*: Reliquum ex adverſo littus ad Arabiam pertinens ab ara, quam Ariſton a Ptolemæo ad perveſtigandam Arabiam usque ad Oceanum miſſus Neptuno dicavit, POSIDIUM appellatur. Secundum ſinum lucus eſt maritimus, PHOENICON dictus, *& reliqua, fuſius quam apud Strabonem.*

Porro : Vacuam (MARANÆORUM) regionem inter ſe diviſerunt (GARINDÆI) tum frugibus, tum pecoribus nutriendis aptam. Portus ea regio paucos habet, ſed frequentibus dividitur montibus, ex quibus præter aſpectus voluptatem magna a colonis utilitas percipitur. Ex hac navigantes ſinus excipit ELANITES, frequentibus habitatus Arabum vicis, quos NABATÆOS vocant, qui majorem ſinus partem tenent, & mediterraneas quasdam partes, in quibus frequens eſt populus, *& reliqua.*

(3) Totius SINUS ARABICI ex ejusdem L. III. deſcriptio fuſior.

Quæ de ſinus Arabici natura partim Alexandriæ ex regum commentariis, partim ex his, qui viderunt, percepta ſcribit *Diodorus* L. III. hæc ſunt fere:

I.

Oſtium Arabici ſinus 17 ſtadiis patet.
- A portu Panormi ad oppoſitam continentem diei unius navigatio.
- Circa Tynæum M. tamen latitudo eſt tanta, ut continentes invicem minime aſpiciantur.

II.

Dextra continens ab Arſinoë urbe:
- Variis in locis ex ſaxis emanant aquæ ſalſæ & amaræ, ultra quas latis campis mons viridi colore, continuo aſpicientium viſum hebetans.
- In radicibus montium ſtagnum difficile navigatu Aphrodites. Tres habet inſulas:
- Sinus ingens Acathartus dictus, in quo peninſula, quæ anguſto aditu iter navigantibus ad oppoſitum mare præbet.
- Inſula, longitudinis ſtadiorum 80, Ophiodes, Topazii ferax.
- Propinqua litora habitant Ichthyophagi.
- Montes usque ad Sotera portum continui.
- Deinceps ſinus incipit contrahi, & ad Arabiæ partes converti. Continens humilis nullis collibus elata. Mare 3 paſſ. profundum.
- Harum partium navigatio a Diodoro a Ptolemaide (ſcilicet quæ Epitheras dicitur) usque ad Tauri montem relata eſt:
- A Tauro vertitur litus verſus orientem. Flumina decurrunt ex montibus Pſebæis,
- Mare deinceps profundum.
- Has partes Troglodytarum ultimi montes, qui vocantur Pſevaræ, circumdant.

III.

Reliquum litus ex adverſo ad Arabiam pertinens:
- Ab ara Ariſtonis, quam Neptuno dicavit, unde Neptunium dicitur,

*CAP. III.* *TAB. II.*

Phœnicon, aquis & arboribus beatus locus. Templum, cui vir & mulier præſunt.
Juxta Phœniconem ad continentis promontorium navigantibus inſula Phocis (Phocarum) propter copiam illarum beſtiarum.
Imminens huic inſulæ promontorium ei loco adjacet, qui appellatur Petra, & Arabiæ Palæſtinæ.
In hanc thus & alia afferunt Garræi Minnæique.
Reliquam oram maritimam tenuerunt Maranæi, poſt Garindæi.
Portus ea regio paucos habet, ſed variis dividitur montibus, ex quibus præter aſpectus voluptatem utilitatem inſignem incolæ percipiunt.
Ex hac navigantes ſinus excipit Elanites, frequentibus vicis, quos Nabatæos vocant, habitatus.
Regio campeſtris irrigua gramen medicum & lotum gignens.
His campis ſinus 500 ſtad. latitudine adjacet pluribus ac magnis ſcopulis clauſus, & exitu difficilis. Gentes, quæ juxta ſinum habitant, Banizomenæ appellantur, apud quos eſt templum, quod omnes Arabes ſuperſtitioſiſſime colunt.
Tres inſulæ his ſunt proximæ. Prima deſerta, ſed ædificiorum rudera docent, Iſidi ſacratam fuiſſe. Reliquæ oleo plenæ.
Poſt has maritima loca ad 1000 ſtadia abruptis ſaxis plena. Mare innavigabile. Mons imminet præceps, in cujus radicibus ſpeluncæ, mari reciprocante ſonitum edunt tonitrui ſimilem.
Litus adhabitant Arabes Thamudæi.
Sinus ingens ſequitur, ſparſis in eo permultis inſulis. Juxta litus arenæ tumuli præalti nigro colore.
Peninſula optimum habens portum, quantum ex hiſtoriis conſtat, dictum Charmutha ſub rupe immenſa, quæ Zephyrum ſpectat. Mons ei imminet 100 ſtadiorum ambitu. Ingreſſus eſt 2 jugerum, duobus millibus navibus patens portus. Magnus fluvius in eum illabitur. In medio inſula aquis irrigua.
Montes 5 præalti vertice in modum Pyramidum Ægyptiarum.
Sinus rotundus magnis promontoriis circumdatus, in cujus medio inſula tria templa habet ab incolis in magno honore habita.
Litus fontibus irriguum, dulcis aquæ rivis plenum. Mons arboribus plenus. Debæ gens accolens vocatur mons Gabinus. Debæ Camelis ad omnia, pacem, bellum utuntur. Fluvium habent arenam auream ferentem.
Contigui his ſunt Abilæi Gaſandique
Regio propter nebulas, quandoque & nivem, caloris temperati. Fertilis, ſed parum culta. Aurum purum effoditur.
His Carbi ſuccedunt,

Hos ſequuntur Sabæi. Suaviſſimi odoris terra. Metropolis Saba ſuper montem ſita. Reges in publicum non prodeunt, reſponſo veteri, eos a plebe lapidibus obruendos.

Inſulæ propinquæ ſunt felices, quarum urbes mœnibus carent.

Ad hos mercatores commeant undique, ſed maxime ad Potanam, quam Alexander juxta oſtia fl. Indi condidit.

(4) Ex AGATARCHIDE de rubro mari.

I. *PARS OCCIDENTALIOR.*

Si quis ab *Arſinoë* continentem prætercurrit dextram, Thermæ pluribus ceu fiſtulis ex ſublimi petra in mare percolantur - - -

Poſtea a lacu obvius eſt Nilus, dum rivus ejus per laxa & ſpongioſa quædam in locum maxime humilem & concavum transcurrit - - -

Juxta lacum in campo ſatis ſpatioſo mons aſſurgere videtur rubricæ metallo fœcundus, μιλτωδεις, - - -

Hinc portus excipit magnus, cui primo *Muris*, deinde *Veneris* nomen fuit attributum. Ubi etiam tres inſulæ extant, quarum duæ olivas habent crebras & denſas - - -

His propinquus eſt *Sinus*, quem *miparum* nominant.

Quem ubi præternavigaris, inſula exporrigitur in pelago ſita longitudine ſtadiorum 80 circiter nomine *Ophiodes*, ſerpentina, - - - In hac lapillus naſcitur Topazius - - -

Poſthac mare eſt adeo humile & exiguæ profunditatis, ut nec binas orgyjas menſura ſuperet.

II. *PARS ORIENTALIOR.*

*Phœniconis* illic ſuperiora, quæ ſe oculis offerunt, obtinentur a petris celſitudine variis. Porrectis autem ad mare litus ſubjectum eſt auguſtum & longum.

Mare illud attingit locus, quem *Neſſam* (Anaten) ab animalis hujus multitudine nuncupant. Jacet hæc juxta promontorium apprime ſilvoſum, & ſi directe ſpectetur, ad Petram (hujus nominis locum) & Palæſtinam usque extenditur. In hanc Gerrhæi & Minæi & omnes in propinquo Arabes thus - - deportant.

Poſt *Leæniticum* ſic dictum ſinum, quem Arabes circumhabitant, *Bythemanenſium* terra exiſtit ſpatioſa & plana, totaque irrigua & profunda. Gramen tantum & Medicam, & Lotum ad viri ſtaturam exurgens gignit, neque aliud colitur quicquam - - -

A proximis inde litoribus ſinus eſt ad regionis illius interiora devergens, qui profunditatem ad minimum 500 ſtadiorum habet. Intra complexum ejus qui habitant, *Batmizomanenſium* habent nomen - - -

medio 35 Orgyjarum nauticarum. Litoralia Ægypti ibi locorum admodum edita, unde & montes Pharaonis dicuntur. Nonniſique eo loco, quo tranſitum factum fuiſſe affirmant, ſolum modica declivitate verſus mare procurrit, quæ in mare usque ad 8 vel 9 milliaria continuatur.

*Suez* eſt ad extremum ipſius maris. *Ovingtono* eadem eſt Suaſa Plinii, idemque eam dictam retur a Sua filio Abrahami & Cetturæ Geneſ. 2. v. 2.

(*Poſtrema hæc minus probata. Plinius enim Suaſam refert inter urbes ad Nilum prope Meroën, & in itinere a Syene ad Meroën recenſet, interque eas, quarum jam ſuo tempore nulla prope ex utroque Nili latere extabat. L. VI. c.* 29.

# CAPITIS III.

## TAB. IV.

## *ITINERA AD MONTEM SINAI ET PER DESERTUM ARAB.*

| *MONCONYSII Iter ad Montem Sinai.* | Viarum longitudines ex æſtimatione noſtra. |
|---|---|
| Duratio itineris totius, 34 dies. | |
| ITUS | |
| April. | |
| 13 Ad hoſpitium vel diverſorium 1 Leuc. a Cahiro Statio nocturna | 1 Leuc. |
| 14 Per deſertum ſtatim a diverſorio incipiens. Ab hor. 5 antemerid. per ¼ milliar. Ab hor. 10½ antem. ad 3 pomerid. Iter Camelis peractum. | ¼ mill. 4½ h. |
| 15 Ab hor. 6 antem. per 3 hor. Iterum ab 1 hor. ad 2 pom. in planitie, ubi greges ovium & camelorum | 5 hor. |
| 16 A ſolis ortu per 3 horas ad fontem *Giandabi.* Poſt ad alveum fluvii quendam ſiccatum in ripa cochleolis inſtructum. Poſt in planitie. | *7 |
| 17 Per plana varia. Sine mentione temporis initialis. Hora 11 initium montium. Poſt prandium 2 hor. iter inter præcipites montes. Poſt eos planities usque ad mare rubrum extenſa. Iter ad 8 pom. continuatum | 5 hor. 2 3 |
| 18 Per horam in planitie usque ad alios montes. Planitiei latitudo 2 mill. Hora 11 ad mare rubrum. | 5 hor. |

(Occidentem verſus)

CAP. III. TAB. IV.

| | | | |
|---|---|---|---|
| | Iter ad veſperam continuatum boream verſus ſecundum litus maris ad orientem exiſtentis. | 4 | Boream verſus |
| 19 | Hora 9 ad urbem SUES. Plurimi incolæ Græci ritus, ſita eſt fere ad extremum maris rubri. Mare usque ad milliaris diſtantiam ulterius in terram procurrit, faciens fere canalem ſaltem anguſtum exſiccationi ſubjectum, vix $\frac{1}{4}$ mill. germ. latitudinem habentem. Sita urbs in Iſthmo, duobus portubus inſtructa, ſed nullius momenti exiſtentibus. Naves majores milliari uno a portu ſtationem habent. | 3 hor. | |
| | Iter circum mare ductum 8 hor. pom. & ſtativa nocturna ad alterum maris latus. | 3 hor. | |
| α 20 | Sub auroram initium itineris 7 hora antem. Aqua 1 mill. diſtans à mari, dicta FONS MOSIS. Videntur autori *aquæ amaræ*. Ex oppoſito hujus mare $\frac{3}{4}$ mill. latum. Locus reſpondet ex oppoſito viæ in montibus præcedentibus. Unde *Monconyſ.* videtur hic tranſitus Moſis factus. Compendium viæ, quod hac ratione feciſſet, eſt 10 mill. | 2 h. | |
| β | Pergit iter juxta mare declinans verſus interiora terræ. | 5 h. | |
| γ 21 | Per campum inter mare & montes | 9 h. | |
| δ 22 | Poſt 2 horas finis illius campi. Deſcenditur in vallem arboribus plenam cum fonte pulchro, rivum formante. Via ſimilis alveo fluvii exſiccati. | 2 h. 7 h. | |
| ε 23 | Initium itineris ante ortum ſolis. Iter per valles pulchras intra montes. Æſtuoſiſſima via. Ad latus viæ aquæ copia aliqua. Poſt meridiem via lata intra montes. | 5 h. 4 h. | |
| ϛ 24 | Initium itineris $\frac{1}{2}$ horæ poſt ſolis ortum. Deſcenſus per viam aſperam per lapides e monte delapſos. Aſcenſus per viam aſperiorem poſt meridiem. In vertice montium planities. | 5 h. 4 h. | |
| ζ 25 | Veſperi quies in valle. Iter breve, unde dies botanizando peracta. | 4 h. | |
| η 26 | Initium itineris 6 hor. mat. Iter per tres horas in ſupercilium aliquod, ex quo proſpicitur cœnobium in planitie ſitum. Planities $2\frac{1}{2}$ mill. longa, $\frac{1}{4}$ mill. lata, terminata ad cœnob. montis Sinai. | 6 h. | |
| | MORA AD M. SINAI. | | |
| 27 | Dies quieti datus. | | |
| 28 | Quies usque ad 3 pom. Iter ad montem Sinai ipſum. Imminet cœnobio verſus occaſum. Habet tria ſupercilia. *Primum* $1\frac{1}{2}$ hor. a cœnobio. Hora 6 pervenitur ad ſupercilium vel gradum *ſecundum* | | |
| 29 | Mane oriente ſole iter inſtitutum ad *tertium* ſupercilium vel verticem montis Sinai per $1\frac{1}{2}$ horas. Habet arbores frugiferas & fontes quosdam, item templum Chriſtianum & Turcicum. | | |

| | | | |
|---|---|---|---|
| | | Proſpectus eſt in regionem montanam & mare rubrum. Deſcenſus in *vallem*, quæ Sinai montem & S. Catharinæ M. dirimit verſus occidentem prioris, in ea *Cœnob.* 40 *Martyr.* | |
| | 30 | Mane hor. 6 aſcenſus in *M. S. Catharinæ* per $2\frac{1}{2}$ horas usque ad verticem. Proſpectus in M. Sinai collis inſtar ſe habentem, & mare rubrum fluvii formam referens. Meridie reditus ad cœnob. 40 martyrum. Poſt meridiem deſcenſus in planitiem, in qua cœnobium primum ſitum. In via rupes, ex qua aquam proſiluiſſe narratur, operante Moſe. Planities ſunt 2 quaſi decuſſantes ſe invicem. Veſperi reditus ad cœnobium. | |
| | Maii 1 | Dies quieti datus. | |
| REDITUS | | | |
| ϑ | 2 | Hora 8 pomerid. iter reſumtum Ægyptum verſus. Deſcenditur per declivitatem montis adeo facilem reſpectu declivitatis M. S. Catharinæ, ut in plano viſum ſit iter fieri. | Forſan 2 h. |
| ι | 3 | Nihil memorabile | 8 h. |
| κ | 4 | Hora 6 mat. itineris initium. Aſcenditur deſcenditurque per montes. Poſt prandium via per vallem amœnam inter montes palmetis, rivis & volatilibus plenam. | 5 h. |
| | | Ad extremum vallis planities pulchra porrecta ad mare rubrum usque. Hora 9 pom. ſtativa in media illa planitie. | 5 h. vel 6 h. |
| λ | | Ad extremum vallis INSCRIPTIO, cujus literæ prægrandes quaſi aqua forti impreſſæ, non cœlo ſculptæ in lapide. | |
| μ | 5 | Cœnobium Calogerorum $\frac{3}{4}$ mill. a turri mox memoranda: Ubi MOSES XII. FONTES inveniſſe cum 30 palmis creditur. Extant etiamnum fontes vel rivuli, ſed aqua eſt nitroſa, inſipida & calida. Suntque ibi & thermæ, MOSIS THERMÆ dictæ. Palmæ ſunt longe plures quam 30. Mare ibi pellucidum & non profundum, ut pedibus usque ad diſtantiam milliaris in idem proceſſus pateat. | h. 2 forſan. |
| | 6 | Parum procedit iter, peregrinantes potius piſcationi vacant. Prope turris exiſtit etiamnunc, quæ pro ELIM habetur, eſtque in extremo planitiei 4 & 5 die memoratæ. | o h. vel 1 h. |
| | 7 | Stativa. Poſt meridiem proceditur ſeptentrionem verſus per $\frac{1}{2}$ horam. Aqua ibi, quam credunt quidam eſſe XII. FONTES MOSIS: minus recte ex ſententia autoris. | $\frac{1}{2}$ hor. |
| ν | 8 | Iter per $1\frac{1}{2}$ hor. boream verſus. Iterum a 7 pomerid. ad 11 nocturnam. | $1\frac{1}{2}$ h. } 4 h. |

*CAP. III.*

*CAP. III.* *TAB. IV.*

| | | |
|---|---|---|
| 9 | Dimidia ante 6 itineris initium usque ad 11 antemerid. per planitiem eandem, ſine arboribus ibi & umbra exiſtentem. Poſt prandium iter usque ad 7 pomerid. | 5½ h. } 4 h. |
| 10 | Orto ſole pervenitur iterum ad mare, quod ad latus relinquitur toto die. Stativa in valle, cujus ſuperficies nitro tecta, ut nive. Rivus per eam labens ſaporis nitroſi. | 8 vel 9 hor. |
| 11 | Itineris initium dimidia ante 6 matut. Hora ½ reditur in VIAM, QUÆ PRIORI ITINERE CALCATA. Hora 3 continuatur iter usque fere mediam noctem, Stativa in arboreto. | 4 h. } 7 h. |
| 12 | Per diem continuatum iter usque ad ſtativa nocturna ad FONTEM MOSIS | 8 h. |
| 13 | Hora nona reditus in SUES | 3 h. |
| | Iter eodem die continuatum uſque ad vetus Caſtellum ½ mill. diſtans. Fons 2 paſſ. latitudinem habens, aquæ mali ſaporis & ſalſæ | 1 h. |
| 14 | Hora 9 antem. iter in planitie, quæ usque ad ½ mill. a Cairo continuatur. Poſt 2 mill. abſoluta arx ARSIRUT bella | 3 h. 5 h. |
| 15 | Iter oriente ſole cœptum, & antemeridiano tempore continuatum, exceptis duabus horis. Poſt meridiem continuatum usque ad 1 horam poſt mediam noctem | 3 h. 10 h. |
| 16 | Reditus Cahiram hora 10 antemerid. | 4 h. |
| | NEITSCHITZ iter ad montem SINAI. | |
| | | Viarum longitudines ex æſtimatione noſtra. |
| | ITUS | |
| | Junii | |
| 25 | *Cahiro* mane iter cœptum. Inde ad Suez merum ſabulum | |
| 26 | Mane iter inſtitutum. Fabula, ad dextram eſſe locum, ubi Alexander M. foſſam 400 uln. profundam egerit, non tamen inventa aqua, 1½ horis poſt locum, in quo prandium ſumtum. | |
| 27 | Mane iter cœptum. Ad ſiniſtram & dextram rupes altæ. In planitie caſtellum cum præſidio Arabico & Turcico contra inſultus Arabum reliquorum. Non longe mare rubrum de longe proſpiciendum. Meridie fons, ex quo aqua boum opera elevatur. *Suez* tandem, fere mari circumflua, ½ mill. Germ. a dicto fonte. Ab eodem fonte mare rubrum ¼ mill. Suez cenſetur media via inter Cahirum & montem Sinai. | |

*CAP. III.* *TAB. IV.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| | 28 | Paulo ante ſolis ortum iter cœptum ex Suez. | |
| a | | Meridie 12 *fontes Moſis* $\frac{1}{4}$ mill. Germ. a mari. | 6 hor. |
| | | Inde $\frac{1}{2}$ hora vel ultra nocturna ſtatio. | $\frac{1}{2}$ h. |
| b | 29 | Hora integra ante Solis ortum iter cœptum. Meridie ad locum $\frac{3}{4}$ mill. Germ. a mari perventum, rupes præaltæ. Iter ante 3 veſpertinam continuatum usque ad 1 horam noctis. Ad ſiniſtram ſtativorum montes præalti. | 9 h. |
| c | 30 | Hora $\frac{1}{2}$ ante ortum ſolis cœptum iter. Nihil memorabile. | |
| Julii | | | |
| d | 1 | Mane ſatis iter cœptum. Meridie deſcenſus in vallem primo arenoſam & ſaxoſam, poſt arbuſtis ornatam. | 6 h. |
| | | Dicitur vallis Ugrim. | |
| | | Circa tertiam horam veſp. in extremitate vallis (unde proſpectus in eam) ſtativa. | |
| e | 2 | Poſt mediam noctem ſtatim iter cœptum. Mane poſt ſecundam horam diei pylæ, arte factarum ſpeciem præbentes. 2 horis ante meridiem ſtativa. $\frac{1}{2}$ hor. poſt meridiem iter reſumtum. A dextris rupes, a ſiniſtris præalti montes. | |
| | | Iter ad veſperam continuatum. Lacus in vicinia, ubi aqua frigida bona peti poteſt. | 12 h. |
| f | 3 | Circa ſolis ortum initium itineris. $\frac{1}{2}$ hor. ante meridiem ſtativa, iter in perpetua valle, per quam deſcendit fluvius ulnæ profunditatem fere habens, hinc in mare exiſtens diſtantia unius diei | 5 h. |
| g | | $\frac{1}{2}$ poſt meridiem iter quatuor horarum per anguſtam vallem. Iter per 2 horas noctis continuatum. | 6 h. |
| | | Locus eſt inde $\frac{1}{4}$ mill. Germ. ubi aqua frigida peti poteſt. | |
| h | 4 | Iter per vallem, montes continui, ut ſuperioribus diebus. Meridie ſtatio ad ſpecum Prach, a qua non longe fons Ferdama. | 8 h. |
| | | Poſt meridiem conſpectus mons Pharan & poſt tergum relictus ad dextram ſub veſperam. 1 hora noctis Stativa ad montem, qui limitaneus eſt cœnobio. | 5 h. |
| i | 5 | Horis 2 ante ſolis ortum. Iter per vallem rupibus præcipitibus cinctam. Ante meridiem adventus in cœnobio Sinaitico. | |
| k | | | $\frac{5}{8}$ 1 h. |

REDITUS

| | | | |
|---|---|---|---|
| l | I. | Hora 9 antem. iter cœptum, | 2 h. |
| | | Pauſa paulo ante meridiem | 2 h. |
| | | Poſt meridiem iter 2 hor. usque ad 3 vel 4 pomerid. Statio propter expectationem reliquorum neceſſariorum. | |
| m | II. | Poſt ortum Solis iter cœptum | |
| | | Priſtina via ad montem Pharan, nunc ad ſiniſtram exiſtentem, ante meridiem quidem in pulchra | 5 h. |

*CAP. III.* *TAB. IV.*

| | | |
|---|---|---|
| n | valle, poſt meridiem $1\frac{1}{2}$ hor. in valle ampla & pulchra. Per aliquot horas in via ſaxoſa, poſt ſuper rudera ædium Israëliticarum. Hora una ante occaſum ſolis ſtatio capta | $1\frac{1}{2}$ h. } 2 h. |
| | Poſt aliquot horarum quietem iter per totam noctem usque ad diluculum continuatum. | 8 h. |
| p | III. Deſcenſus per montes celſos & ſaxoſos usque ad 3 horam ante meridiem | 3 h. |
| | Poſt meridiem mons ſabuloſus, ante ſemiveſperam ſtatio | 2 h. |
| | Sole condito 3 vel 4 horarum iter continuatum. | 3 vel 4 h. |
| q | IV. Iter per vallem arenoſam, poſt ſaxoſam, quæ longa 2 horis. | 2 h. } |
| | Paulo ante meridiem ipſum mare rubrum conſpectum, diſtans 1 mill. Germ. | 3 h. |
| | Locus vel vallis dicta Grundel, ad ſiniſtram ſtationis meridianæ. | |
| r | $1\frac{1}{2}$ hor. ante occaſum ſolis ſtatio ad mare rubrum. | $3\frac{1}{2}$ hor. |
| | Nocte per aliquot horas continuatum iter. Statio & quies demum mane orto ſole capta. | 6 h. |
| | V. Poſt quietem modicam iter per viam amplam & pulchram arbuſtis ornatam, ubi duo fontes. Statio meridiana inter arbuſta. | 3 h. |
| | Hora 1 poſt meridiem iter, in quo mare ad ſiniſtram, montes Suezini ad dextram. | 5 h. |
| | Condito ſole prætereuntur 12 fontes Moſis. Ulterius per duas horas per noctem continuatum iter. | 2 h. |
| | VI. Orto ſole iter cœptum. Suezium fere hora nona antemeridiana reditum. | 4 h. |
| | *Propter metum latronum poſterius hoc iter magis acceleratum quam prius.* | |

## OBSERVANDA.

In hiſce itineribus iter diurnum cenſemus 9 horarum, & horam eſſe æqualem leucæ Gallicæ minori $\frac{1}{25}$ gradus exiſtenti.

## FR. DE TROILO ITER AD MONTEM SINAI.

| | | |
|---|---|---|
| 1 | Per novam urbem Cahiri ab ejus extremo uno ad alterum | 2 hor. |
| | Per urbem veterem & ſuburbium orientale. | 9 hor. |
| | Ad pagum aliquem vilem | * |
| 2 | Iter diei, ſed noctu perfectum | * |
| 3 | *Suez.* Aqua pretio venditur aliunde allata. | * |
| 4 | vel 5to die *Mara.* Urbs dulces aquas habens. | * |
| | A Mara ad *Corondal*, *Doradal*. | 12 m. Germ. |
| | A Corondal ad montem Sinai | 12 m. Germ. |
| | *Horeb* occidentalior & minus altus | |
| | *Sinai* orientalior & altior. | |

*OBSERVANDA.*

Corondal in mappis nauticis Portugallicis locatur ad littus occidentale, non orientale Sinus Heroopolitani. Sed hoc non eſt dubium, quin ex relationibus non accuratis hauſtum exiſtat, dum Portugalli metu Turcarum vel Ægyptiorum Mamelukorum intima ejus ſinus adiiſſe non videntur. Sane plura alia manifeſte falſa & imperfecta in iis mappis deprehendi, negari non poteſt.

# CAPITIS III.

## TAB. V.

*Iter Cahiro Hieroſolymam ex duobus recentioribus peregrinatoribus.*

| Thevenot | | | Fr. de Troilo | | |
|---|---|---|---|---|---|
| | Horæ | Reductio ad Mill. Rom. | | Horæ | Reductio ad Mill. Rom. |
| Alkahir | | | | | |
| Hanghe urbs parva | 3 | 7½ | Hanca & Cahiro | | |
| Bulbeys | 14 | 35 | Bulbeys | 6 | 15 |
| Corede | 6 | 15 | Coren | 8 | 18 |
| Salahia | 6 | 15 | Salathia | 7 | 17½ |
| Pons ad mare, quod falſo pro Lacu Sirbonidis venditatur | 10 | 25 | Deſertum | | |
| Bir ve Adar | 9 | 22½ | Puteus de veder | 10 | 25 |
| Cathie pagus, a quo Riche & Zacca dependet | 7 | 17½ | Cathia | 15 | 37½ |
| Bir l'Ab | 9 | 22½ | Puteus Abde | 9 | 22½ |
| Bir Acat | 8 | 20 | Metheſan | 8½ | 20½ |
| Sibil el bir Acat | 7 | 17½ | Bereſanni | 6 | 15 |
| Riche pagus | 3 | 7½ | Aziz | 6 | 15 |
| Zacca | 10 | 25 | Zacca | 12 | 30 |
| Cauniones pagus cum arce in regione fertili | 6 | 15 | Hanna | 8 | 20 |
| Gaza | 6 | 15 | Gaza | 8 | 20 |
| Pons | 3 | 7½ | | | |
| Megdel pagus | 2 | 5 | | | |
| Hanſedoud pagus | 4 | 10 | Azotus | 7 | 17½ |
| Yebna | 4 | 10 | | | |
| Ramla | 3 | 7½ | Ramla | 8 | 20 |

CAP. III. TAB. V.

| | Horæ | Reductio ad Mill. Rom. | | Horæ | Reduct io ad Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|---|
| Beth laky, Domus latronis probi | 3 | $7\frac{1}{2}$ | | | |
| Finis montium | 6 | 15 | | | |
| Dgib (Domus Samuelis) | 1 | $2\frac{1}{2}$ | | | |
| Jeruſalem | 2 | 5 | Jeruſalem | 10 | 25 |
| | | | Summa Cahiro Hieroſolymam 87 Mill. Germ. | | |

*OBSERVANDA CIRCA HOC ITER.*

Reductio horarum in mill. Romana facta eſt plane ad mentem Fr. de Troilo, qui horam facit æqualem dimidio milliari Germanico, vel quod idem, $2\frac{1}{2}$ mill. Rom.

Alibi tamen, idem dum ait, 10 horas diſtantiæ Hieroſolymæ a Ramla æquivalere 6 milliaribus Germ. vel 30 mill. Rom. conſequetur, ut faciat horam æqualem mill. Rom. 3

*Stationes Itineris a Tito in Judæam facti cum exercitu. JOSEPHUS L. V. in fine.*

Alexandria
Nicopolis. Navigatio in flumine
Thmuis. Exſcenſio in terram
Tanis
Heraclea
Peluſium
Templum Jovis Caſii
Oſtracine
Rhinocolura
Raphià. Prima Syriæ civitas
Gaza
Aſcalon
Jamnia
Joppe
Cæſarea

# CAPITIS IV.
## TAB. I.

| *Diſtantiæ locorum Palæſtinæ* | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Gaza Azotum | 270 ſtad. / 34 m. R. | *Diodorus* L.XIX. c. 95. | |
| | Forſan 24 m. R. Quia alias Strabonis mox ſequens teſtimonium locum vix haberet. Vel a loco pugnæ commiſſæ prope Gazam loquens intelligit locum ultra Gazam 10 mill. Rom. remotum. | | |

*CAP. IV. AB. I.*

| *Diſtantiæ locorum Palæſtinæ* | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Jamnia Hieroſolymam | 240 ſtad. | II. *Macc.* 12. | 30 |
| Jamnia Azoto & Aſcalone | 200 ſtad. | *Strabo* L. XVI. p. 759. | 25 |
| Joppe Hieroſolymis | 46 m. Rom. | *Hironymus* cit. *Relando* p. 423. | 45 |
| Hieroſolymis Scythopolin | 600 ſtad. | II. *Maccab.* 12. | 125 |
| Tyro Sidonem | 200 ſtad. | *Strabo* | 25 |
| Sidone Berytum | 400 ſtad. | *Strabo* | 50 |
| Joppe Ramlam | 4 Leuc. | | 12 |
| | 2 m. Germ. | *Troilo* | 10 |
| Ramla Jeruſalem | 11 Leuc. | | |
| Ergo Joppe Jeruſalem | 15 Leuc. | *P. Lucas* | 45 |

*Lacus Aſphaltites*

Lacus aſphaltites ſub nomine Sirbonidis deſcriptionem luculentam habet *Strabo* Lib. XVI.

Qui ipſe Sodomam 60 ſtadiorum ambitum habuiſſe, dicit colligi ex ejus veſtigiis. Urbes credit everſas 13. Modum, quo everſæ interierunt, graphice deſcribit.

*Litus Palæſtinæ.*

Poſtea eſt Joppe, juxta quam Ægypti litus ante verſum ortum ſolis porrectum ad Septentrionem notabiliter (σημειωδῶς) deflectitur. *Strab.* L. XVI. p. 719.

# CAPITIS V.

## TAB. I.

| *DISTANTIÆ LOCORUM LITORIS SYRIACI ET SYRIACORUM.* | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| A fine Arabiæ (Vid. ſupr. Intelligitur ſcil. Oſtracinenſis regio) ad Palæſtinæ finem, Phœnices initium | $\frac{189}{m}$ | *Plin.* L. V. 12. | 189 |
| A Caſio monte ad Joppen paulo plus | 1000 ſtad. | *Strabo* L. XVI. | 125 |
| Ab Arabia ad Ciliciam longitudo Syriæ | $\frac{470}{m}$ | *Plin.* V. 12. | |
| A Peluſio Orthoſiam ſinus intranti, vel ſinubus connumeratis | 3650 ſtad. | *Strabo* ex *Artemidoro* L. XVI. p. 760. | 456 |
| Item a Peluſio Orthoſiam ſimpliciter | 3900 ſtad. | *Idem* L. XIV. p. 670. | 487½ |

CAP. V. TAB. I.

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Ab Orthoſia Orontem | 1130 ſtad. | *Idem* L. XVI. & XIV. | $141\frac{1}{4}$ |
| Ab Oronte ad confinia Ciliciæ & Syriæ, vel portas | 520 ſtad. | *Idem* L. XVI. | 65 |
| | 525 ſtad. | *Idem* L. XIV. | $65\frac{5}{8}$ |
| A confiniis Syriæ & Ciliciæ ad terminos Ciliciæ, qui ſunt ad Melaniam prope Celendederim apud eundem *Strabon.* L. XVI. | 1900 ſtad. | *In textu Græco pridem* | 237 |
| | 1920 ſtad. | *In textu Græco ex correct.* & Mstis quibusdam | 240 |
| | 1090 ſtad. | *In verſione* lat. | 136 |
| Apud eundem *Strab.* L. XIV. | 1260 ſtad. | | 157 |

*OBSERVANDA.*

Verſio Latina loci prioris, Libri nempe XVI. miſere ſe habet. Senſus eſt *Strabonis*, diſtantiam hanc numerandam eſſe ad Melania, Melæna, vel Melaniam, quæ prope Celenderim. Cujus mentionem propterea facit, quod alii fines Ciliciæ & Pamphiliæ ulterius producunt usque ad Coraceſium & Sidam. Numeri tamen verſionis latinæ videntur melius ſe reliquis habere. Certe cum diſtantiis *Tab. Peuting.* reliqua Cilicia campeſtri juxta Geograph. Nubienſem & Xenophontem recte ſe habente, optime quadrant.

| | | | |
|---|---|---|---|
| Ab oſtio Orontis ad Seleuciam, *Suvveida*, A quæ flumina primo dictam | 40 ſtad. | *Strabo* | 5 |
| Ab oſtio eodem Antiochiam | 120 ſtad. | *Idem* | 15 |
| A Suvveida vel oſtio Orontis ſ. Aſſe fl. ad Antiochiam | 7 Leuc. Gall. min. | *La Roque* | 21 |
| | 12 mill. Ar. | *Nubienſ.* | 15 |
| A mari Antiochiam | 1 diei navigatio adverſo flumine | *Strabo* | |
| Ab Antiochia Daphnen | 40 ſtad. | *Idem* | 5 |
| Ab Antiochia Scanderonam | 45 mill. Ar. | *Nubienſis* | 59 |
| Antiochia Boerœam | 2 dierum iter | *Procopius* de bell. Perſ. L. II. | |

*CAP. V.* *TAB. I.*

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Ab Antiochia Apameam | 20 Leuc. Gall.min. | *La Roque* | 60 |
| Ab Apamea Emeſam | 12 Leuc. Gall.min. | *La Roque* | 36 |
| A Tripoli Emeſam Non minus | 2 Diætis | *Golius* ad *Alfergan.* | |
| A ſummo jugo Libani ad fontem Orontis prope Giranije vicum | 4 Leuc. Gall.min. | *La Roque* | 12 |
| Montis Libani longitudo a Sidone ad Simyram | 1500 ſtad. | *Strab.* | $187\frac{1}{2}$ |
| A Seleucia Orontis ad Zeugma latitudo Syriæ | 175 mill. | *Plin.* V. 12. | 175 |
| | 132 mill. | *Idem* L. VI. 26. | 132 |
| A Myriandro ad Euphratem | 375 ſtad. | *Agathanorus* | 47 |
| ſi legantur | 1375 ſtad. rec. | forent | 172 |
| A mari ad Euphratis pontem vel Zeugma | 400 ſtad. | *Strabo* | 50 |
| ſi legantur | 1400 ſtad. | forent | 175 |
| Oruros a Pompejo magno terminus Imperii Romani conſtitutus a Zeugmate | 250 m. Rom. | *Plin.* VI. 26. | 250 |
| A Shoggle — Antiochiam | 1 diei it. | *La Roque* | |
| Aleppum | 15 Leuc. | *Maundrell.* | 45 |
| Locum a Laudikia orientem verſus 2 Leucis diſtantem | 16 Leuc. | *Maundrell.* | 48 |
| A Samoſatis Zeugma | $\frac{72}{m}$ | *Plin.* V. 24. | 72 |
| A Zeugmate Thapſacum non minus | 2000 ſtad. | *Strabo* L. XVI. | 250 |
| Potius | 1000 ſtad. | | 125 |
| vel etiam | 2000 ſtad. vet. | | 136 |
| Euphratis ſciſſio infra Zeugma, ubi Alexander Euphratem ſuperavit | $\frac{83}{m}$ | *Plin.* V. 26 | 83 |

CAP. V. TAB. I.

| | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| A Thapſaco ad proximum tranſitum Tigris, ubi pariter Alexander tranſiit, maxima diſtantia inter duo flumina: | 2400 ſtad. | *Strabo* L. XVI. | 300 |
| vel etiam juxta lectionem in Lib. I. | 1400 ſtad. | | 175 |
| Thapſaco Babylonem | 4800 ſtad. | *Idem* | 600 |
| A Dura ad Zaita | 20 mill. Rom. | *Eutrop.* & *Feſtus* | 20 |
| A Damaſco ad lacum, in quem Chryſorrhoas influens abſum itur | 2 dier. iter | *La Roque* | |
| Jagræ lacus prope Antiochiam | | | |
| Longitudo | $\frac{20}{m}$ Paſſ. | *Golius* in Not. ad *Alfergan.* | 20 vel $26\frac{1}{2}$ |
| Latitudo | $\frac{7}{m}$ Paſſ. | | 7 vel 9 |
| Diſtantia inter Orontem & lacum | $\frac{3}{m}$ Paſſ. | | 3 vel 4 |
| Oſtii, quo exit in Orontem, diſtantia ab Antiochia | $\frac{1}{m}$ Paſſ. | | 1 vel $1\frac{1}{3}$ |
| Fluvii in eum influentes Niger, Jagra, Ifrim | | | |
| Antiochiæ campus Pagris ſubjacet: per eum Acanthus, (Arceuthos) Orontes & Labotas fluunt. In eodem campo eſt Oenoparas fl. | | *Strabo* | |

# CAPITIS V.

## TAB. II.

| *Excerpta ex GOLII notis ad ALFRAGANUM, de Urbibus Syriæ ſeptentrionalibus.* | |
|---|---|
| Urbes præſidiorum, ſcil. ab Arabum Califis conſtitutorum *Duluc*, *Raaban*, *Corus* vel Cyrrhus, *Tezin* (cujus loco prius *Kinnaſrinæ* præſidium fuerat,) *Membig*, *Antiochia* Poſtea etiam *Tarſus*, *Adana*, *Miſſiſa* ( Maſſiſiah i. e. Mopſueſtia, quæ in itinerariis quoque Manſiſta vocatur) *Ainzarba*, *Ajas*, *Pagræ*, *Meraax* ( Maraſch) *Hadatz* | |

*Kinneſrin.* Ab ea dicta adſita Regio *Giund Kinnaſrin.*
Alluitur fluvio *Kovvaic.*
Salinæ verſus auſtrum ejus celebres.
Golio videtur eadem cum *Gyndaro.* Regionem tamen ejus retur idem partem Cyrrheſticæ. Minus recte hæc. Eſt enim rationibus probe ſubductis nulla alia, quam *Chalcis*
Ab Halebo 1 dies.
A Maarra celebri oppido 1½ dies.
(Hæc *Arra* eſt Itinerarii Antonini & *Megora* Strabonis, *Maarat al naaman* Nubienſis)

*Kovvaic* fluvius. Ortus verſus ſeptentrionem Halebi prope Aintab
Finem capit 12 mill. infra Kinnaſrin, in arundinetis merſus.

*Membigh*, *Membigz*, Hierapolis. Urbs præſidii inter Doluc, Raaban & Corus primaria
Prope Euphratem eſt urbecula dicta *Pons Membigh*, quæ veterum Zeugma videtur.
Ab Halebo 2 dies
A Malatia verſus plag. auſtr. rhombum 4 dies
Ab Euphrate vix 1 dies

*Allocam* Mons. Inter Antiochiam & Miſſiſſam.
Unde colligimus eſſe Amanum M.
(Eſt vero etiam Allocam M. ab Apamea ſecundum Orontem usque ad ejus flexum, quem *Ptolemæus* Pierium vocat, juxta *Roquæum*)

*Samoſata.* Borealiſſima Syriæ
Apud eam verſus Membigh Euphrates incipit deflectere ad ortum.

*Marrax*, *Maraſch* } haud procul Euphrate
*Hadatz* ad Taurum }

*Malatia*, Melitene. Ab ea ad *Refa* (*Raphiam*) longitudo Syriæ verſus Ægyptum maxima numeratur.
Quemadmodum a Membigh ad Tarſum maxima ejusdem, qua Arabibus parebat, numerabatur latitudo.

*Keniſſatoſſauda.* Spectat ad *Armeniam minorem*
Longitudo habet 58° ¾
Latitudo 34° 50′
Inter eam & Haroniam 12 mill. Alibi 1 dies
Bejas, Bajas minus 1 die
Tarſum 1 dies

*Haronia.* Ita dicta ab Haron Raſchid, ſpectat ad *Armeniam minorem*
Ab ea ad Bejas 1 dies
ad Maraſch minus 1 die,

CAPI-

# CAPITIS V.

## TAB. III.

| *MONCONYSII ITINERA ALEPPO ANTIOCHIAM ET ALEXANDRETAM.* | Æſtimatio viæ itinerariæ | |
|---|---|---|
| *Iter I.* | in horis | in mill. Rom. |
| ITUS<br>1. Ante ſolis ortum Aleppo profectio inſtituta per montes vel plana acclivia, per terram infrugiferam, exceptis vallibus quibusdam.<br>Meridie *Dana* Pagus | 6 horæ | 20 |
| Noctu *Teiſi* pagus poſt montes in limine planitiei Antiochenſis. | 4 h. | $13\frac{1}{3}$ |
| 2. Sole oriente iter cœptum. 3 hora Antiochiam perventum. | 9 h. | 30 |
| 1. Reditus per priorem viam<br>2. 2 horis ante ſolis ortum iter cœptum. 2 hor. pomerid. Aleppum intratum. | | |
| *Iter II.* | | |
| 1. A loco Caravanæ extra Aleppum, iter cœptum hcta 11 pomerid. | 10 h. | $33\frac{1}{3}$ |
| 2. Hora 11 antemerid. mons parvus *Joavi*, ubi prandium ſumitur. Omnis regio vaſtata, ſed veſtigia habet templorum & pagorum | 11 h. | $36\frac{2}{3}$ |
| 3. Ab hora 2 pom. ad 3 matut. in planitie Antiochiæ | 8. h. | $26\frac{2}{3}$ |
| 4. Ad radicem montis *Beiran* hora 11 antemerid. Antiochiæ planitiem claudit ab occidente, celſior altero monte, qui eam ab oriente concludit. Plures fluvii, qui in lacum ab Anguillis dictum effunduntur. | 3 h. | 10 |
| 5. Hora 11 nocturna ad 9 matutin. per montem *Beiran* ad fontem *Alexandrettæ*, vel *Alexandretam* ictu ſclopeti inde diſtantem | 9 h. | 30 |
| 6. Hora 11 nocturna ad 7 matutin. *Bajas* | 7 h. | $23\frac{1}{3}$ |

# CAPITIS V.

## TAB. IV.

| *P. LUCÆ ITER DAMASCENUM A TRIPOLI.* | |
|---|---|
| 1 Dies. Tripolis. 3 Hor. in planitie. *M. Libani* initium. Stativa in monte per noctem 7 Hor. | |
| 2 2 hor. ante ortum ſolis ulterior aſcenſus. 3a vel 4a hora Lacus 9. vel 10 Leuc. ambitum habens. Urbs lacu merſa 7 Hor. | |

*CAP. V.* *TAB. IV.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| 3 | 1 hor. ante ſolis ortum. Horis 2 planities, unde *Balbec* videri incipit. Columna ſimilis Pompeji Alexandrinæ columnæ. *Balbec* muris etiamnum bonis | 7 Hor. | |
| 4 | 1 hor. ante ſolis ortum. Solum amœnum & villis refertum, ſed montuoſum — — | | |
| 5 | Montes aſperi, aduſti, ſine aqua. Via per montes cæſa 3 horar. longitudine. Unde planities *Ardara.* Montes iterum. Mons *Cain & Abel.* Potius *Abila.* | 6 Hor. | |
| 6 | Ab 2 hor. ante ortum ſolis, ad 6 hor. antemerid. *Damaſcus* | 3 Hor | |

*MAUNDRELLI iter Sidone Damaſcum, & inde Tripolim.*

| | | Diſtantiæ | Plagæ | Summæ |
|---|---|---|---|---|
| 1 Dies | Sidone ad pedem M. Libani | ½ h. | Or. | |
| | A pede Libani ad Caphar Milki pagulum aſcendendo | 2½ h. | Or. | |
| | Ad fontem Ambur Lee | 1 h. larg. | Or. | 4⅓ leuc. |
| 2 Dies | Ad ſummum montis nive tectum aſcendendo | 3 h. larg. | Or. | |
| | Ad Miſchgarah pagum Druſorum deſcendendo | 2 h. | Or. | |
| | In vicinia eſt fons *torrentis* poſt 2 hor. decurſum in Letane f. influit | | | |
| | Ad finem & radices montium & vallem *Bucca* vel *Beka*, *Bqva* | 1 Leuc. | Or. | |
| | Vallis *Bucca* 2 leucas habet in latitudine & verſus plagam mediam inter boream & orientem, ac inter auſtrum & occidentem longiſſime protenditur ad aliquot dierum extenſionem. Duabus ſeriebus montibus plane ſimilibus & parallelis clauditur. Altera harum eſt Libanus juxta litus maris protenſus, alteram pro Antilibano minus recte habet autor. Mediam ſecat fl. Letane verſus ſeptentrionem prope Balbec ortus & in Caſimir, Caſimich influens | | | |
| | Ulterius in valle ad pontem in f. Letane | ½ h. | Sept. & Or. med. | |
| | Secundum ripam | ½ h. | | 8 leuc. |
| 3 Dies | Ad pagum Jib Jeneen | 1 h. | Sept. & Or. med. | |
| | Ad pedem alterius catenæ montium, quæ autori eſt Antilibanus | ¾ h. | | |

CAP. V. TAB. IV.

| | | Diſtantiæ | Plagæ | Summæ |
|---|---|---|---|---|
| | Ad pagum Uzzi | ½ h. | Or. | |
| | Ad Ayta pagum Græcis habitatum | ¾ h. | Or. | |
| | Per viam ſaxoſam ad *Ayn Yentlo* fluv. parvum | 1 h. | | |
| | Per viam auguſtam inter binas rupes ad Damas deſcendendo | 4 h. | | |
| | Ad ſtationem noctúrnam | 1½ h. | | |
| 4 Dies | Semper deſcendendo ad ripam fl. Barrady & pontem ejus Dummar. | 1 h. | | |
| | Aſcendendo ad præcipitium vel ſupercilium, quod præterfluit Barrady medium montem ſecans. Unde proſpectus Damaſci. | ½ h. | | |
| | Ex hoc loco fluvius in tres ramos dividitur, quorum medius tranſit urbem. Junguntur infra eam, & quatuor leucis inde in paludem abſumuntur. | | | |
| | Urbs Damaſcus ab illo loco | 2 mill. | | |
| | Figura urbis oblongior fere in directum extenſa, verſus plagas inter Septentr. & Orientem ac Auſtr. & Occidentem media, fere 2 mill. (Angl. intellige) longitudinis. | | | |
| | *Iter a Damaſco Tripolim* | | | |
| 1 Dies | Damaſco ad pontem Dummar & pagum non longe ab eo ſitum | 3 h. | | |
| 2 Dies | Ad pagum Sinie, prope ſepulchrum Abeli | 1½ h. | Sept. | |
| | Via arcta inter duas rupes, quas lambit Barrady fl. Iter ſecundum flumen ad pagum Maday | 3 h. | | |
| | Ad fontem Ayn il Havvra | 2 h. | Sept. & Occid. med. | |
| 3 Dies | Fons fl. Barrady ad latus. Pagus Surgaſch | 1½ h. largior | Occid. | |
| | Ex valle in montem ſiniſteriorem, eoque tranſito in vallem Bucca | 2 h. | Occid. | |
| | In valle Bucca verſus ſept. ad Balbec | 3 h. | Sept. | 7 Leuc. |
| 4 Dies | Per transverſam vallem ad pagum Ye ad | 1 h. | | |
| | Ad columnam ex antiquitate reſiduam Ordinis Corinthii | 1 h. | | |
| | Ad pedem montis, quem autor pro Antilibano habet | 1 h. | | |
| | Ad vallem quandam intra ſinum montium, in qua lacus Limone | 2 h. | | |
| | Ad ſtationem noctúrnam in vertice montium, | 2½ h. | | 7½ Leuc. |

*CAP. V.* *TAB. IV.*

| | | Diſtantiæ | Plagæ | Summæ |
|---|---|---|---|---|
| 5 Dies | Per nivem gelu concretam | 4 h. | | |
| | Deſcendendo ad fontem & pagum Ayn il Hadede | 1 h. | | |
| | Ad Tripolim urbem | 4 Leuc. | | |

| *P. Lucæ iter Sidone Damaſcum cum aliqua deviatione propter pagi Seſein curioſa* | Diſtantiæ | Mill. Rom. |
|---|---|---|
| Sei da, Sidon | | |
| M. Libanus. Pagus Gaëtulla pagus Maronitarum a Sidone | 7 h. | |
| Inde ad Catarractam 1000 ped. altitudinis, prope pagum Seſein 2 leuc. vel 2 hor. Ad latus viæ | | |
| Reditus in viam Damaſcenam per ardua & montana ducentem ad Jeſel Caraon fl. pontem | 9 h. | |
| Ultra fluvium planities extenſa usque ad aliam usque ad Balbec excurrentem | | |
| Camatella pagus nocturna ſtatio | - - - | |
| Magnus pagus fere deſertus | 2 h. | |
| Damaſcus | 6 h. | |
| *P. Lucæ reditus Damaſco Sidonem.* | | |
| 1 *Damaſcus* | | |
| *Duria* pagus in planitie | 3 leuc. | |
| 2 In eadem planitie ad montes & rudera *Heracleæ*, & pagum etiam nunc cognominem | 3 leuc. | |
| 3 Iter 4 horarum | | |
| Poſt ob metum hoſtium per avia ad *Genigeny* pagum: itinere ad 6tam veſpertinam continuato. | | |
| 4 Pons *Kaber ebez* ſuper fl. *Tezel Caraon*, vel *Latany* a Genigeny | 1 leuc. | |
| *Natur* pagus | | |
| Stativa ad fontes fl. *Seide* a Natur | 1 leuc. | |
| 5 Pagus *Quen Malaus* | * | |
| *Seida* a Quen Malaus | 3 leuc. | |

| *F. de Troilo iter Damaſcenum* | |
|---|---|
| 1 A *lacu Tiberiadis* per montes meros ad *pontem Jacobi* 2 mill. germ. largiora | |
| Ad ſtativa in planitie 2 hor. | |
| 2 *Conetra* pagus 6 mill. germ. a Damaſco * | |
| Iter diurnum ob vexationes publicanorum incertum. | |
| 3 *Saſſa* pagus 3 m. Germ. a Damaſco. Ex quo fluvius ad Damaſcum deſcendit. | |
| 4 *Damaſcus.* | |

*CAP. V.* *TAB. IV.*

| *F. de Troilo iter Damaſco Aleppum* | Mill. Rom. |
| --- | --- |
| Dies. *Damaſcus* | |
| 1 Stativa inde 3 m. Germ. diſtantia. Via aſpera | |
| 2 *Cataiſa* pagus 6 m. Germ. majuſcula Montibus cinctus pagus, plaga fertilis | |
| 3 *Nemche* pagus ad M. Antilibanum (ex opinione Autoris) 9 mill. Germ. Forma pagi tanquam pridem urbs fuerit. | |
| 4 *Charra* pagus, urbs pridem | |
| 5 Per planitiem. *Hems* | |
| 6 Iter 7 vel 8 mill. Germ. Pons ſuper Orontem. *Hama* in valle bella ad Orontem, inter duos ejusdem ramos. | |
| 7 *Sechun* locus in ruinis * | |
| 8 *Marra* pridem urbs 6 mill. Germ. majuſcula | |
| 9 *Sarche* pagus 6 mill. Germ. majuſcula | |
| *Schambe* Carvanſera 2 Hor. | |
| 10 *Aleppum* circa horam 12 meridianam. | |

# CAPITIS V.

## TAB. V.

| *DISTANTIÆ PALMYRENÆ.* | | | Mill. Rom. |
| --- | --- | --- | --- |
| Palmyra a proximo litore Syriæ | $\frac{252}{m}$ | *Plin.* L.V. c.25. | |
| Varia lectio *Hallejo* probata | $\frac{203}{m}$ | | |
| Rectius | $\frac{152}{m}$ | | 152 |
| Palmyra ab Emeſa | $\frac{80}{m}$ | *Pall.* in vit. *Chriſoſt.* | 80 |
| Palmyra a Damaſco | | | |
| Propius $\frac{27}{m}$ quam a Syriæ litore, | $\frac{152}{m} - \frac{27}{m} = \frac{125}{m}$ | *Idem* l. c. | 125 |
| Thadmor vel Palmyra | | | |
| ab Emeſa | 3 Stat. | *Abulfed.* | |
| a Salamia | 3 Stat. | *Abulfed.* | |
| a Damaſco | $\frac{59}{m}$ | *Idem* | |
| a Rabbah | $\frac{102}{m}$ | *Idem* | |

# CAPITIS V.

## TAB. VI.

| | *ITINERA BINA PALMYRENA. Tranſact. Angl. N. 218.* | | Mill. Rom. Hora computata pro parte 22½ gradus |
|---|---|---|---|
| | ***I. ITER*** | **Hor.** | |
| 1 Dies. | *Aleppum*. Plaga Orientis, 8 Rhomb. ad *Caphar Abid*, vicum in introitu deſerti. | 4½ h. | 15 |
| 2 | Plaga Orientis 7 Rhomb. per deſertum uſque ad fontem *Churräik* poſt aliquem errorem; a 1 matutina ad meridiem | 10 vel 11 h. | 33⅓ vel 36⅔ |
| 3 | Plaga Orientis 3 Rhomb. ad *Andrene* 2 hor. Ruinæ templorum & magnæ urbis. Ad aquæ ductum *Schek allal*, latronum receptaculum 4 h. | 6 h. | 20 |
| 4 | Plaga auſtr. 1 Rhomb. 2 hor. Ruinæ dictæ *Briadeen*. Inſcriptio. Plaga orientis 5 Rhomb. 4 hor. Fons. 4 hor. usque ad colliculos 3 hor. ſuper hiſce colliculis | 13 h. | 43⅓ |
| 5 | Plaga Orientis 3 Rhomb. 9 hor. Fons *Ghor* | 9 h. | 30 |
| 6 | Plaga Orientis 1 Rhomb. in montibus præaltis. Caſtellum Anture ex oppoſito conſpiciendum e diſtantia 2 vel 3 horar. Aquæ ductus magnificus 5 mill. Angl. longitudine. *Thadmor* in conſpectu. Adventus in Thadmor | 3 vel 4 h. | |
| | S. | 46½ h. proxime | |
| | ***II. ITER*** | | |
| ITUS. | | | |
| | *Alepum*. Diſtantia ejus a Thadmor 150 mill. Angl. proxime verſus plagam Orientis 7 Rhomb. | | |
| 1 Dies. | Plaga Orient. 8 Rhomb. fons *Caphiar Abad* 4 h. *Aleppo veteri* diſtante 1 hora fere ad dextram. 1¼ hor. ad Eughir, locum tritici feracem | 5¼ h. | 17½ |

| | | | |
|---|---|---|---|
| 2 Dies. | Plaga Orient. 5 Rhomb. vicus deſertus Urghee 1 hor. Hactenus regio frugifera, nunc deſertum. Colliculi. Ad dextram proſpectus Caſtelli vocati *Gazar Ibn Wordan.* Domus alicujus Schek, in ſumma horæ 5. Plaga Orient. 5 Rhomb. Ad dextram proſpectus *Andreen.* Loca inaquoſa. Veſperi ſtatio ad paludem *Zerga*, 5 aliis horis. Aquatio mala | 11 hor. | $36\frac{2}{3}$ |
| 3 | 7 hor. ad *Eſree* in collibus. Aquatio bona. Rudera inſignis & magnificæ urbis. | 7 hor. | $23\frac{1}{3}$ |
| 4 | $6\frac{1}{2}$ hor. fontes bini fœtidi dicti Imp. *Malcha Giub.* Regis Job, $2\frac{1}{2}$ hor. Locus *Almyrrha* plaga ſemper auſtr. 1 Rhomb. vel Orient. 8 Rhomb. | 9 hor. | 30 |
| 5 | Per 4 hor. eminentia terebinthis arboribus ornata. 4 hor. progredientibus imber, mox inundatio. Loci nomen *Al Wiſhal* | 8 hor. | $26\frac{2}{3}$ |
| 6 | Via difficilis verſus plagam auſtr. per anguſtos colles in conſpectum Thadmoris 4 hor. Mox Thadmor. | 4 hor. | $13\frac{1}{3}$ |
| | S. | $44\frac{1}{4}$ hor. | |
| REDITUS | | | |
| 1 Dies. | $5\frac{1}{2}$ horis equo vectis a Thadmor ad fontem. Plaga ſemper Orientis 1 Rhomb. Nomen loci, apud quem hic fons, *Tarecca*, dictus a victoria contra Mamalukos a Turcis obtenta. In vicinia Arabes montani, juriſdictionis regis Thadmorienſis. | $5\frac{1}{2}$ hor. | $18\frac{2}{3}$ |
| 2 | Plaga ſeptentr. 5 Rhomb. ad *Sukney* 7. hor. Dicta a thermis, locus populoſiſſimus. Sub-Baſſæ vel ſubpræfecti regis Thadmorienſis ſedes. | 7 hor. | $23\frac{1}{3}$ |
| 3 | Plaga ſeptentr. 5 Rhomb. vel amplius. 5 horis *Tiebe.* Sic dicta a bonis aquis. Locus meliora cæteris ædificia habens. Eſt in via Aleppo Bagdadum. Inſcriptionem habet. 2 vel 3 hor. fons calidarum aquarum *Alcome* dictus. | 7 vel 8. h. | $23\frac{1}{3}$ vel $26\frac{2}{3}$ |
| 4 | Plaga ſeptentr. 1 Rhomb. *Arſoffa* vel *Arſoffa Emir.* Videtur eſſe reliquiæ Cœnobii hor. $8\frac{1}{2}$ | $8\frac{1}{2}$ hor. | $28\frac{2}{3}$ |
| | *Euphrates* 4 hor. ab Arſoffa. | 4 hor. | $13\frac{1}{3}$ |

*CAP. V.* *TAB. VI.*

| | | | |
|---|---|---|---|
| 5 Dies. | Via ſecundum Euphratem dexteriorem. Plaga Orient. Rhomb. 5. Proſpectus in Meſopotamiam amœnus. Ultra fluvium proſpectus caſtelli cujusdam. In via rudera urbis. Totum iter diurnum 7 vel 8 hor. | 7 vel 8 h. | $23\frac{1}{3}$ vel $26\frac{2}{3}$ |
| 6 | Secundum Euphratem 6 horis. In via ruinæ urbis *Baulus*. Poſt prand. Plaga Occid. 5 Rhomb. usque ad occaſum ſolis ad *Fay* fontem, ubi Aſſyn rex Thadmorienſis tentoria fixa habuerat. 1 hor. ab Euphrate. | 12 vel 13 h. | 40 vel $43\frac{1}{3}$ |
| | Mora aliquot dierum | | |
| | $3\frac{1}{2}$ hor. *Seray*. Item $3\frac{1}{2}$ hor. fons *Sherby* | 7 h. | $23\frac{1}{3}$ |
| | 7 vel 8 hor. Alepum. | 7 vel 8 h. | $23\frac{1}{3}$ vel $26\frac{2}{3}$ |
| | A Thadmor verſus auſtrum 1 hor. diſtantia vallis magnam ſalis habens copiam. In qua victos a Davide Syros II. Sam. VIII. 13 retur *Halifax* autor relationis in Transactionibus. | | |

# CAPITIS VI.

## TAB. I.

| *DISTANTIÆ LOCORUM MESOPOTAMICORUM* | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | *Cyri minoris Expeditio ex Xenophonte* | Stat. | Paraſangæ | Mill. Rom. rotunde |
| | I Lydia | | | |
| 1 | Sardes, initium itineris | 0 | 0 | |
| 2 | Mæander fl. 2 Plethror. latitudinis | 3 | 22 | 50 |
| | II Phrygia | | | |
| 3 | Coloſſæ Prhygiæ urbs | 1 | 8 | 18 |
| 4 | Celenæ. Mæandri fontes, Confluentes Marſyæ & Mæandri | 3 | 20 | $45\frac{1}{2}$ |
| 5 | Peltæ, oppidum frequens | 2 | 10 | $22\frac{1}{2}$ |
| 6 | Forum Ceramorum. Ultima Myſiæ, frequens urbs | 2 | 12 | 27 |
| 7 | Cayſtri campus, urbs, | 3 | 30 | 68 |
| 8 | Thymbrium | 2 | 10 | $22\frac{1}{2}$ |
| 9 | Tyriæum frequens urbs | 2 | 10 | $22\frac{1}{2}$ |
| 10 | Iconium. Ultima Phrygiæ - - - - | 3 | 20 | $45\frac{1}{2}$ |
| | III. Lycaonia | | | |
| 11 | Per Lycaoniam - - - - - - - - - - | 5 | 30 | 68 |

*CAP. VI.* *TAB. I.*

| | | Stat. | Paraſangæ | Mill. Rom rotunde |
|---|---|---|---|---|
| | IV. Cappadocia | | | |
| 12 | Dana urbs frequens & opulenta - - | 4 | 25 | 57 |
| 13 | Montes a Syenneſi obſeſſi, ſed relicti ſponte. | | | |
| 14 | Deſcenſus in planitiem | | | |
| | V. Cilicia | | | |
| 15 | Tarſus Syenneſis regia. Cydnus fl. per mediam Tarſum fluens | 4 | 25 | 57 |
| 16 | Pharus, potius Pſarus, Sarus fl. | 2 | 10 | $22\frac{1}{2}$ |
| 17 | Pyramus fl. Aliis Pinarus. | 1 | 5 | 11 |
| 18 | Iſſus extrema Ciliciæ | 2 | 15 | 34 |
| 19 | Portæ Ciliciæ. Caſtella, quorum unum Syenneſis Cilix, alterum Perſæ obtinent, Cerſus fluvius illa duo caſtella 3 ſtadiis diſtantia dirimens | 1 | 5 | 11 |
| | VI. Syria | | | |
| 20 | Myriandrus maritima - - - - - - | 1 | 5 | 11 |
| 21 | Chalus fl. & vici Paryſatidis circa illud flumen | 4 | 20 | $45\frac{1}{2}$ |
| 22 | Fontes fl. Daradacis. Beleſis regia & hortus, quam Cyrus cremavit, horto exciſo | 5 | 30 | 68 |
| 23 | Thapſacus, urbs ampla ad Euphratem latitudinis 4 ſtadiorum exiſtentem — | 3 | 15 | 34 |
| | VII. Meſopotamia. Syria Xenophonti nihilominus. | | | |
| | Araxes fl. Chaboras potius. | 9 | 50 | $113\frac{1}{2}$ |
| | VIII. Arabia, in qua proficiſcentibus Babylonem Euphrates ad dextram | | | |
| 25 | Solitudo. Maſca fl. Corſote urbs, quam Maſcag circumfluit | 5 | 35 | $79\frac{1}{2}$ |
| | Per loca deſerta ad | | | |
| 26 | Pylas montium | 13 | 90 | $204\frac{1}{2}$ |
| | Ultra Euphratem verſus illas ſtationes deſertas Carmanda urbs opulenta | | | |
| | IX. Babylonia | | | |
| 27 | Per agrum Babylonicum - - - - - | 3 | 12 | |
| 28 | Ad alia Stativa | 1 | 3 | |
| 29 | Foſſa ab Artaxerxe Rege ducta 12 Paraſ. usque ad alveos, qui ex Tigri derivantur $\frac{1}{2}$ diei itinere a ſtativis prioribus | | 2 | |
| 30 | Locus prælii ultra foſſam. Ad ipſum Euphratem fluvium. | | | |
| | Totum iter, ab Epheſo ſc. ad locum pugnæ | 93 | 535 | 16050 ſtad expreſſe |
| | Ad loco pugnæ ad Babylonem urbem juxta Xenophontem - | | | 3060 ſtad vet. |
| | juxta Plutarchum | | | 500 ſtad. recent |

CAP. VI. TAB. I.

*OBSERVANDA.*

Quantitas Paraſangarum apud Xenophontem.

Quia vulgo, & ex ipſius *Xenophontis* determinatione 30 ſtad. cenſentur æqualia 1 Paraſangæ, 8 porro ſtad. = 1 mill. Rom. demumque 75 mill. Rom. = 1 gr. telluris in circulo maximo, inde erunt 20 Paraſang. = 1 grad.

At vero *Xenophon* quam maxime, æque ac *Herodotus*, utitur ſtadiorum menſura antiqua, de qua ex *Islæo* in *Comment. Ac. R. S. Par.* ſupra notatum, eademque adeo antiqua ad recentiora ſe habent ut 6 ad 11, unde ſequetur gradui uni reſpondere $36\frac{2}{3}$ vel rotunde 36 Paraſ.

Quod ſi vero diſtantiæ *Xenophonteæ* cum diſtantiis locorum quorundam Ciliciæ ab ipſo memoratorum, quæ in *tabula Peutingeriana* quoque extant, conferantur; itemque cum iis, quæ ex *Iſidoro* Characeno infra obſervabimus, probabiliſſimum ſit, 33 Paraſangas cenſendos in gradu telluris.

Quoniam autem hæc veritas eo magis elucet, ſi diſtantiæ quoque in poſteriori parte itineris *Xenophontæi* cum veris diſtantiis per obſervationes recentiores paulo magis cognitis comparentur, viſum eſt, & hic Synopſin ejus itineris ad usque Trapezunta (nam de ulteriori nulla eſt difficultas) tabula ſequenti jungere. Eo præterea fine, ut quæ laudatus *Islæus* de hoc itinere & menſura diſtantiarum vera in *Comment.* dictæ *Acad. Pariſ.* 1721. propoſuit, facilius ſub examen vocari & conferri poſſint.

| | | Stationum reductio ad Paraſangas | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| 1 | Poſt diem prælii, & alterum conjunctionis cum Ariæo: quæ facta a loco prælii Paraſangis 4 retro: | 4 | |
| 2 | Iter modicum verſus ſeptentrionem | Forſan 2 | |
| 3 | Tractatus de induciis, & iter ad vicos, ubi commeatus | Forſan 3 | |
| | Mora 3, atque iterum 20 dierum. Iter junctim cum Tiſſapherne inſtitui cœptum. | | |
| 4 | 3 Caſtra. Murus Mediæ | 15 | |
| 5 | 2 Caſtra, 8 Paraſangæ | 8 | |
| | Bini alvei, quorum unus ponte, alter navigiis 7 junctus, ducti a Tigri fl. | | |
| 6 | Sittace 15 Stad. a Tigri fluvio a parte occidentali | | |
| | Tranſitus ſuper pontem Tigris 37 navigiis junctum. | | |
| 7 | 4 Caſtra 20 Paraſang. Phyſcus fl. Opis urbs a parte orientali Tigridis fl. | 20 | |
| 8 | 6 Caſtra 30 Paraſang. Solitudo, poſt vici Paryſatidis | 30 | |

*CAP. VI.* *TAB. I.*

| | | Reductio ad Paraſang. | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| 9 | 1 Caſtra 4 Paraſ. Per Mediana in ſolitudine. Cænæ urbs in adverſa Tigris ripa | 4 | |
| 10 | 3 Caſtra 16 Paraſang. | 16 | |
| | Zabatus fluvius | - - - - | |
| | Inſidiæ & veteres duces peremti, novi inſtituti. | | |
| | Fl. Zathes tranſitus. *Sine dubio Zabatus* | | |
| 11 | 1 dies 25 ſtadia | $\frac{33}{44}$ | |
| 12 | 1 dies vallis quædam tranſita. Perſequentes Perſæ cæſi. Tigris fl. Urbs Lariſſa | - - - - | |
| 13 | 1 Caſtra 6 Paraſang. Caſtellum prope urbem Meſpila | 6 | |
| 14 | 1 Caſtra 4 Paraſang. | 4 | |
| 15 | 1 dies Velitationibus, ut videtur, datus, & paulum itineris factum. Caſtra in vicis. | - - - - | |
| 16 | 4 Caſtra. | 20 | |
| 17 | 1 Caſtra. In itinere regia quædam conſpecta. | 5 | |
| | Veſpere {60 ſtad. / 2 Paraſ.} ulterius iter factum | 2 | |
| 18 | 2 dies itineris, non impediti | 10 | |
| 19 | 1 dies pugnæ cum hoſtibus ad Tigrim fl. | - - - - | |
| 20 | 1 dies ad fines Carduchorum | - - - - | |
| 21 | 7 dies per fines Carduchorum, inter continuas pugnas. Fluvius Centrites Armeniam & Carduchos dividens | 28 vel 30 | |
| 22 | 1 dies, 5 Paraſang. | 5 | |
| 23 | 2 Caſtra, 10 Paraſang. Tigris fl. fons | 10 | |
| 24 | 3 Caſtra, 15 Paraſang. Teleboas fl. | 15 | |
| 25 | 3 Caſtra, 15 Paraſ. Regia quædam. | 15 | |
| 26 | 1 dies, Caſtra in loco, ubi Teribazus Græcos aggredi deſtinaverat. | 15 | |
| 27 | 3 Caſtra in ſolitudine. Ad Euphratem fluvium perventum, isque ſuperatus non procul ab ipſius fontibus | 15 | |
| 28 | 3 Caſtra, 15 Paraſang. | | |
| 29 | 1 dies | | |
| | Statio & refectio per plures dies. | | |
| 30 | 3 Caſtra | 15 | |
| 31 | 7 Caſtra, 35 Paraſangæ. Phaſis fl. | 35 | |

CAP. VI. TAB. I.

| | | | Reductio ad Paraſang. | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| 32 | 2 | Caſtra 10 Paraſang. Fines Chalybum & Taochorum. Nondum Taochorum ditio, ſed hic ſaltem occurrit exercitus eorum. | 10 | |
| 33 | 1 | dies. Pugna cum Taochis & Chalybibus, & paulum viæ | - - - - | |
| 34 | 5 | Caſtra, 30 Paraſang. Taochorum ditio. | 30 | |
| 35 | 7 | Caſtra, 50 Paraſ. Iter per Chalybum agros. | 50 | |
| | | Harpaſus amnis | | |
| 36 | 4 | Caſtra, 20 Paraſ. Per Scythinos & regionem planam ad vicos | 20 | |
| 37 | 4 | Caſtra, 20 Paraſ. ad urbem Gymnias. | 20 | |
| 38 | 5 | dies ad locum, ubi mare primo conſpicitur. | 20 vel 25 | |
| 39 | 3 | Caſtra, 10 Paraſ. Macrones populus. Primo horum dierum fluvius, qui Maerones & Scythinos dividit, tranſitus. | 10 | |
| 40 | 1 | dies. Pugna cum Colchis in monte. Paulum viæ. | - - - - | |
| 41 | 2 | Caſtra 7 Paraſ. Trapezus in regione Colchorum | 7 | |

# CAPITIS VI.

## TAB. II.

| *ISIDORI CHARACENI STATHMI PARTHICI.* | Schoeni | Summæ |
|---|---|---|
| MESOPOTAMIA & BABYLONIA | | |
| Zeugma ad Euphratem | 0 | |
| Apamea urbs & Dæara vicus | 3 | |
| Vallum Sidi & Anthemuſias urbs | 5 | |
| (Nimia hic eſt audacia *Farnabii*, qui in notis pro vallo Sidi facit vallum Spaſini; vallum Spaſini ad oſtium Tigris, quo in mare exit, ſitum) | | |
| Coræa in Batana caſtellum | 3 | |
| Manuorrah Avireth ad dextram prioris, monumentum & fons. | 5 | |
| Commi. ſimbela caſtellum, quod præterfluit Bilicha fl. | 4 | |
| Alama locus munitus, & manſio regia vel Stathmus | 3 | |

*CAP. VI.* *TAB. II.*

| | Schoeni | Summæ |
|---|---|---|
| Ichnæ ad Bilicha fl. urbs | 3 | |
| Nicephorium ad Euphratem urbs, opus Alexandri | 5 | |
| Galabatha vicus deſertus ad fluvium | 4 | |
| Chubana vicus | 1 | |
| Thillada Mirrhada. Manſio regia, vel Stathmus | 4 | |
| α Regia Dianæ fanum, Darii opus. Illic foſſa Semiramidis & lapidibus coarctatur Euphrates, ut campos inundet | * | |
| Allan vicus muris circumdatus | 4 | |
| Biynau Dianæ fanum | 4 | |
| Phaliga vicus ad Euphratem, Græce Metoporinon (Meſoporon) | 6 | |
| β Summa a Zeugmate ex præcedentibus | 54 | |
| γ Ab Antiochia Phaligam | | 120 } in textu |
| δ Phaliga Seleuciam, quæ ad Tigrim | | 100 } in textu |
| Ephaligæ adjacet Nabagath vicus muratus, quem Aburas præterfluit, qui in Euphratem exit. Illic tranſeunt exercitus in regionem Romanorum trans Euphratem. | | |
| Aſicha vicus | 4 | |
| Dura Nicanoris, Græcis *Europus* urbs. | 6 | |
| Mirrhan Caſtellum & vicus muratus | 5 | |
| Giddan urbs | 5 | |
| Beleſi biblada | 7 | |
| Inſula in Euphrate, Phraatis Gaza | 6 | |
| Anatho inſula in Euphrate. | 4 | |
| Urbs in eadem. | 4 | |
| Inſula Olabus in Euphrate. Gaza Parthorum. | 12 | |
| Izanneſopolis | 12 | |
| Æiopolis, fontes bituminoſi | 16 | |
| Beſechana, fanum Atergatis. | 12 | |
| Neapolis juxta Euphratem. | 22 | |
| Inde tranſeuntibus Euphratem & Naarmalcam ad Seleuciam Tigridi appoſitam. | 9 | |
| ε Summa ab Ephaliga ex præcedentibus | | 124 |
| ς A Zeugmate ad Seleuciam | | 171 in textu |

## *OBSERVANDA.*

Obſervatio I. Textus Iſidori emendatio.

NUmeros, qui in textu Iſidori hic proponuntur, difficultates habere fere inextricabiles, facile intelligitur.

Nam primo eos, qui ad γ & δ occurrunt, corruptos eſſe manifeſtum, cum diſtantia inter Phaligam & Seleuciam in δ ſit 100, quæ ex Summa partium in ε prodit 124, & ſi a diſtantia inter Antiochiam & Phaligam ad γ ſubducatur diſtantia inter Zeugma & Phaligam, quæ ad β extat, orta ex ſummis particularibus, diſtantia inter Zeugma & Antiochiam prodit 66 Schoenorum, quæ eſt abnormis & plane abſurda. Præterea videntur ad α ſtationis ejus numeri deeſſe.

Auget difficultates, quod determinata Schoenorum quantitas, quam Iſidorus in hac parte ſui catalogi adhibuit, ignoratur.

Videri poſſet, medelam hiſce afferri poſſe ita, ſi ſtatuamus, numeros ad γ & δ permutatim ſcribendos.

Numerum adeo 120 pertinere ad diſtantiam inter Phaligam & Seleuciam, ſed tamen ipſum accuratius ſcribendum 124; quia ex ſummis particularibus ad ε hæc ſumma reſultat. Porro loco 171, ad ϛ ſcribendum 178. (POH loco POA Græcis characteribus) quia hunc eundem ex particularibus ſummis β & ε reſultare neceſſe eſt. Sed quia ad α aliquid deeſſe videtur, de quo etiam mox dicetur, non abſque contrarii formidine de hac aſſertione ſtatui poſſe videtur.

Porro autem ſi pro diſtantia ab Antiochia ad Phaligam valeat 100, deducta ex eadem diſtantia Zeugmatis a Phaliga, quæ eſt ad β, æqualis 54, orientur pro diſtantia Antiochiæ & Zeugmatis quidem 46 Schoeni. Sin vero, quia ſtatio aliqua ad α deſideratur, ei tribuamus Schoenos aliquot, ut ſumma ad β prodeat paulo major quam 54, iis ſubtractis ab 100, relinquentur ſane paulo pauciores quam 48 Schoeni pro eadem diſtantia. De qua adeo diſpicietur, poſteaquam de quantitate Schoenorum Iſidoro hic adhibitorum conſtiterit.

Obſervatio 2. Quantitas Schoenorum Iſidori.

Sciendum enim, ſi, quæ ex recentioribus obſervationibus non ſolum, verum quam maxime ex ipſis veterum monumentis, *Tabula Peutingeriana*, & *Xenophonte*, *Nubienſi* porro *Geographo*, & ad horum normam accurate a nobis digeſtis cognoſcimus, in hanc conſiderationem adhibeamus, non pati ea, ut Schoenos in itinere hoc inter Antiochiam & Seleuciam Tigritanam alios ſtatuamus, quam quorum 25 faciunt gradum telluris: quantumvis vulgo ex autoritate veterum, qui ſtadia recentiora 30 Schoeno tribuunt, alias 20 Schoeni in gradu numerandi veniant.

Qualem quantitatem admittere nihil difficultatis haberet, niſi, quod obſervatu dignum, certum & fere demonſtratum haberetur, diſtantias ab *Iſidoro* propoſitas, quæ ſunt ultra Seleuciam usque ad fines Arachoſiæ in reliqua catalogi ſui parte tales eſſe, quæ nos cogant admittere aliam Schoenorum quantitatem, eam nempe, quæ 33 dat in gradu telluris, ut ſupra de Paraſangis Xenophonti adhibitis obſervavimus.

# DIGRESSIO.

Probatio Obſervationis 2. Pars 1.

NE vero ſuppoſitio iſthæc de diverſa quantitate Schoenorum (& menſurarum Geographicarum apud veteres in genere) durior videatur, *primo* verba & conſenſionem autorum veterum exhibere conſultum erit.

*Plinius* appoſite ad præſentem rem L. VI. c. 26. *Inconſtantiam menſuræ diverſitas autorum facit, cum Perſæ quoque Schoenos & Paraſangas alia atque alia menſura determinent.*

In Ægypto quam incerta fuerit Schoenorum menſura, *Strabo* ſaltem audiendus venit, qui L. XVII. cum notaſſet, Artemidorum facere Schoenum ſtad. 30, pergit: *Nobis quidem navigantibus alia atque alia menſura Schoenorum utentes diſtantias prodiderunt, ut faterentur, 40 ſtadiorum & plurium pro locorum varietate eosdem exiſtere. Quin ipſe Artemidorus in ſequentibus declarat, non determinatam eſſe Schoenorum menſuram apud Ægyptios: Nam a Memphi ad Thebaidem Schoenos eſſe ajunt 120 ſtadiorum, a Thebaide ad Syenem 60.* Idem *Strabo* L. XI. *Theophani* Schoenos eſſe 40 ſtad. obſervat. Et eodem libro de Paraſangis ipſis Perſicis ita: *Paraſangam Perſicum alii 60 ſtadiorum eſſe ajunt; alii 30, alii 40. Nobis cum adverſo Nilo ſubveheremur a ſingulis fere urbibus, alii aliis menſuris utentes diſtantias indicabant eorum locorum homines, ita ut eodem Schoenorum numero exiſtente navigatio modo videretur longior, modo brevior. Id quod ab antiquo ita apud ipſos erat traditum, & ad illud usque tempus cuſtoditum.*

*Plinio* etſi L. V. c. 10 Schoenus eſt 30 ſtadiorum expreſſe (qualis etiam eſt *Ptolemæo* L. I. c. 11. & 12. Geographicor.) idem tamen etiam obſervat L. XII. c. 14. *Eratoſtheni* Schoeni quantitatem eſſe 40 ſtadiorum, aliis 32.

Probationis Pars 2. propoſitio.

*Secundo* vero etiam cum opus videatur, ut (quoniam verendum, ne fides noſtra in audaciori aſſertione indubium vocetur) demonſtratum demus, & Schoenos *Iſidoro* ab *Antiochia Seleuciam* adhibitos tales, quorum 25 inſunt gradui, non obſtante, quod idem Schoenos *in regionibus ulterioribus* adhibeat 33 in gradu exiſtentes: & quod hoc ipſum pro certo exiſtat, eſſe nem-

CAP. VI.

pe in ulterioribus ab *Iſidoro* adhibitos Schoenos ejus generis, quod diximus; tandem ut ulterius demum confirmemus, quod ſupra propoſuimus *Xenophonti* uſurpatos *Paraſangas* eſſe tales, quales Schoeni *Iſidori* poſteriores, ſive ex eis, quorum 33 in gradu numerantur, hoc, inquam, ut comprobatum demus, viſa eſt poſtulare neceſſitas, ut deſcriberetur peculiaris mappa, quæ experimento ipſo hoc omnibus ob oculos exponeret.

Mappæ 3 & 2

Talis adeo eſt tertia mappa. Et quia minori modulo aptanda veniebat, vis autem probationis potiſſimum in conſideratione reſidet ejus partis, quæ eſt inter Zeugma Syriæ & Seleuciam Tigri appoſitam, ſecundam mappam vel typum, qui moduli eſt paulo amplioris, ſpatii ultra terras principalis mappæ & ad ipſum inſtitutum ſpectantes in orientaliora extenſi adjectione ampliavimus.

Atque hoc etiam intuitu mappas illas ſecundam nempe & tertiam TYPORUM ÆTIOLOGICORUM, quod cauſas aſſertionum noſtrarum proponant, titulo inſcripſimus

Vis adeo illa probationis, aſſertionis vel hypotheſeos noſtræ in eo reſidet, quod, niſi hac admiſſa, in concordiam redigi non poſſint cum ſupra memorata veterum monumenta vel teſtimonia de hiſce locis, nempe *Tabula Peutingeriana*, *Xenophon*, *Iſidorus* & *Nubienſis*, tum alia quoque, *Antoninianum* ſcilicet *Itinerarium*, *Plinius*, *Arrianus* & *Marcianus Heracleota*, ac *tabulæ demum Geographicæ Arabum & Olug Begi*.

Et primo quidem inſtituto experimento cum locis magno numero in Nubienſi Geographo extantibus demonſtratum habetur, 56⅔ mill. Arab. eum numerare in gradu. Porro vero collatis inter ſe *Xenophonte* & *Tabula Auguſtana* ac *Antoniniano Itinerario* ac *Nubienſi*, quantum ad tractum inde a Cilicia ad Euphratem, patere dicimus: Paraſangas Xenophonteos eſſe 33 in gradu.

Ulterius invicem comparatis *Xenophonte* ipſo, & ex parte *Tabula Auguſtana*, cum *Iſidoro & Nubienſi Geographo*, *tabulisque Arabum & Olug Begi* in tractibus ultra Euphratem & Meſopotamiæ usque ad Bagdadum, manifeſtum aſſerimus, iterum 33 Paraſangas in gradu Xenophonti, 25 Schoenos Iſidoro in eodem gradu numerari.

Tandem ut paradoxum de alio genere Schoenorum ab Iſidoro in ulterioribus adhibito proponere non vereremur, comparationem Plinii & recentiſſimarum obſervationum de mari Caſpio & partibus Perſiæ Choraſanæ & Sogdianæ, itemque tabularum Geographicarum Arabicarum, quæ illis dictis obſervationibus mirifice confirmantur, inſtitutam hoc feciſſe ſciendum.

Demonſtrationem dabit horum typorum vel mapparum ſpectatori oculus, circinus, judicium. Unde fit, ut verbis amplioribus opus non ſit.

Ut tamen pleniori luce omnia fulgeant, de ratione conſtruendarum harum mapparum & fundamentis quædam neceſſaria, ſed paucis exhibebuntur. Conſtructio harum mapparum.

Fundamenti adeo loco placuit in mappa 2 vel typo 1 poſito *Bagdadi*, cujus latitudo 33° 21′ & longitudo Islæana, nempe, vel ab Inſula Ferri, prouti in fronte Capitis I. prooemialis Partis monitum, numerata (reductis ad eam numeris longitudinum in tabulis Arabicis extantibus) 63° 0′, prorſus ut volunt Tabulæ *Olug Begi*.

Ab hac retro Nubienſis per *Embar* ſecundum Euphratem ducit, usque ad *Chaborem fluvium* Xenophonte & Iſidoro, quemadmodum dictum, conſpirantibus. Pro Schoenis Iſidori prioribus & Paraſangis Xenoph.

Inde porro retro Iſidorus cum *Tabula Peutingeriana* ad *Zeugma* ducit, Nubienſi poſitiones locorum non ſolum ad ripas Euphratis, verum & quorundam Meſopotamiæ, *Niſibis*, *Singaræ*, *Mauſili*, diſtantias *Amidæ* a *Samoſatis* & a *Niſibi* ſuppeditante, latitudinem *Amidæ* Olug Bego, *Samoſatorum* a Zeugmate diſtantiam Plinio.

A Chabore fluvio Xenophon modo, quo in mappis extat, ducit ad ipſos limites *Ciliciæ*, quin in mappa 3 vel typo 2 ad ipſam Epheſum, confirmante ſe Xenophontæis menſuris ratione Aſiæ anterioris tum Strabone, tum Antoniniano Itinerario, & Tabula Auguſtana, aliisque in tabulis partis prooemialis exhibitis, Nubienſi veterum teſtimoniis circa litora Ciliciæ ſuffragante. Demum, quæ de tota Aſiæ hujus anterioris figura in his mappis ſtatuimus, robur ſuum accipientibus ex recentiorum obſervatis, quæ ut a Celeberrimo Islæo in illo *Schediaſmate Anni* 1721. *Commentar. Acad. Reg. Pariſ.* notatur,

de *Conſtantinopolis, Smyrnæ* & *Alexandriæ ad Iſſum* poſitione nos certos reddunt.

Jam, (ut nihil dicamus de reliquis mapparum noſtrarum partibus) per ſuperiora habetur ope Iſidori poſitio *Beſechanæ* ad Euphratem atque demum *Seleuciæ*, de qua conſtat fuiſſe eam ad Tigridis ripas.

Ab ea per citata in Tabulis noſtris partis prooemialis in mappa 2 ducitur ad *Babylonem* ad Euphratem rurſus locatam. Cujus & Seleuciæ adeo poſitio, ut hoc incidenter moneamus, hac ratione demonſtrata habetur, ſaltem ratione latitudinis Geographicæ, conſpirantibus, quæ infra de ulterioribus ad Indiam usque excurrentibus, eique connexis regionibus dicentur.

Iter ad Trapezuntem pro Paraſangis Xenoph. ulterius confirmandis.

Nunc porro ut duplici inſtituto ſatisfiat, primo quidem hoc ipſum, quod de menſura Paraſangarum *Xenophontearum* aſſertum, per conſenſum itineris ejusdem ulterius continuati comprobamus, a loco pugnæ Cyri & Artaxerxis ad normam & præſcriptum diſtantiarum a Xenophonte ſuppeditatarum ad Trapezuntem iter illud deducentes.

*Trapezuntis* longitudinem a Beza propoſitam cum emendaverit Islæus, ejusdemque etiam latitudinem reformandam deprehenderimus, deſcripta juxta *Antoninianum Itinerarium* & *Tab. Auguſtanam* Aſiæ figura, hoc ipſum juſte a nobis factum deprehendimus, confirmatique reddimur.

Islæi diſſenſus.

Liceat hic, dum in Xenophontis explicatione verſamur, paucis animadvertere, obtuliſſe ſane nobis ſe, in quibus a celeberrimo *Islæo* diſſentiremus, tum circa ipſam illam fundamentalem ſuppoſitionem, qua idem Paraſangas numerat 23½ in gradu, cum nobis computentur 33, tum circa ductum itineris reliquum. Inprimis vero circa ſitum loci, quo prælium commiſſum eſt, & Sittaces urbis. Credimus vero pro ſagacitate ſummi viri, ſi eandem materiam repetita vice tractaſſet, ſubque incudem eam vocandi vita, tempus, atque opportunitas ei ſuppetiiſſet; ipſum ultro illa emendaturum, ſaltem a nobis non diſſenſurum fuiſſe.

Maxime vero ab eo diſcedere cogimur circa locum *Thapſaci*, quem ipſe vulgari opinioni ſerviens, & unam ſaltem Thapſacum ſtatuens elegit. Nos vero curatius poſito calculo circa diſtantiam Euphratis a litore maris mediterranei, & menſurarum Xenophontæarum æſtimationem, duplicem facimus. Et in promtu quidem rationem poſitam credimus. Nam diſtantia a Thapſaco ſecundum Ptolemæum ad Chaboram fluvium longe minor eſt quam 50 Paraſangarum, quos Xenophon ei diſtantiæ tribuit. Et porro diſtantia a Myriandro ad dictam vulgatam Thapſacum longe major foret 65 Paraſangis, quos continere debet ſecundum Xenophontem.

Medio vero aliquo loco inter Thapſacum vulgatam & Zeugma, quod quibusdam etiam Thapſaci nomen habuiſſe creditur, (quemadmodum infra notatum invenietur) hanc Xenophontæam ſumſimus, quia diſtantia a Zeugmate illo famoſo ad Chaborem longe major exiſtit, quam numeri Xenophontæi permittunt.

Hoc diſſimulare non poſſumus, etſi plerisque omnibus conditionibus & aſſertionibus Xenophontæis ſatisfactum a nobis credamus, diſtantiam tamen Babylonis a loco pugnæ, quam tradit, conficere nos haud potuiſſe. Requirere enim videtur 3060 ſtadia ab illo loco ad dictam urbem, quæ etſi merito intelligantur vetera & breviora, minorem tamen ejus diſtantiæ ſtadiorum numerum nobis prodire ex mappa patet, itemque majorem paulo, quam Plutarchus requirit, ſtadiorum nempe 500 recentiorum. Quæ differentia an ei imputari poſtulet cauſæ, quod Xenophon hanc opinionem ex auditu ſaltem hauſerit, an ſphalmati textus, quærere cum Horatio differendum cenſemus.

Ponti Euxini deſcriptio.

Cæterum cum iter Xenophontæum ad Euximi Ponti litora nos deduxiſſet, committere non potuimus, quin ejus deſcriptionem ex ipſo Arriano & anonymo veteri Geographo, Peripli Ponti Euxini autore, proponeremus, quia etiam a recentioribus ſuppeditatæ ejus figuræ a veritate plurimum abhorrere nobis videbantur.

Quod ipſum lectoribus noſtris ingratum haud futurum ſperamus; quibus in mentem revocamus ab Arriano in periplo illius maris aperte dictum, quod navigatio ſecundum litora illius maris ad Apſarum fluvium usque ſemper dirigatur verſus Orientem, inde ad Chobum usque fluvium verſus ſeptentrionem, atque inde deflectat verſus occidentem. Quam conditionem an ulla figura ejus maris, quæ proſtat, (præter unicam recentiorem, ſed quæ rudio-

rem alias Calcographum habuit) exprimat, peritorum judicium eſto.

Notatu tamen dignum, huic obſervationi Arriani robur accedere ex diſtantia Dioſcuriadis & Artaxatorum in *Tabula Peutingeriana* annotata, quæ locum non haberet, niſi ad mentem Arriani in noſtra mappa expreſſam Dioſcuriadis ſitus meridionalior, quam vulgo exhibetur, foret.

Iter verſus Indiam prius pro Schoenis Iſidori poſterioribus.

Alterum membrum duplicis noſtri inſtituti vel aſſerti ſpectabat ad menſuram Schoenorum Iſidori in regionibus ulterioribus adhibitorum.

Obſervamus adeo primo *maris Caſpii* ſitum nobis ſtatui ex recentiſſimis inventis Ruſſorum, & mappis a *Petro Imperatore* Academiæ ſcientiarum regiæ Pariſienſi communicatis. Fundamenti porro loco ſervire tabulas Arabum & Olug Begi, quæ *Chorasanæ* & *Sogdianæ* locorum poſitiones & relativum eorum ad mare Caſpium ſitum quam accuratiſſime exhibent. Ex quibus cum longitudinem urbis *Feravvah*, quæ ad orientale ejus litus ſita exiſtit, plane convenientem cum noſtris obſervatis de reductione longitudinum in tabulis Arabicis ſupra annotata obtineamus, etiam *Aſtracani* & occidentalis ripæ ejus maris poſitionem, quod in tranſitu monemus, accuratius ac apud alios fit, determinandi facultatem habuimus.

Jam ſi cum his conferantur Iſidori aſſerta, itinere directo inde a Seleucia ad extrema Arachoſiæ, ad normam, quam mappa noſtra commonſtrat, cum his porro Plinii excerpta, quæ in tabulis partis proœmialis repræſentavimus, quæque nos ad extrema Indiæ & Sogdianæ uſque filo non interrupto ducunt, contendamus, jam ex parte maxima confectam atque expeditam demonſtrationem noſtram quilibet æquus cenſebit.

*Ecbatanorum* (inter cætera) multis modis factam determinationem ubique conſpirantem non parvum momentum habere manifeſtum eſt.

Iter verſus Indiam alterum pro ſtadiis veteribus.

At vero ut majus robur accederet, alio etiam itinere ad Indiæ extrema deducere ratiocinii noſtri filum non neglеximus, adhibitis in ſubſidium Arriani periplo maris Erythræi, quo Nearchi expeditionem, Alexandri M. auſpiciis ſuſceptam, accurate deſcripſit, & Marciani Heracleotæ de eodem mari edita relatione. Quibus obiter quoque confirmantur non ſolum, quæ dicta ſunt de menſura ſtadiorum apud veteres uſitatorum, in eo conſpirantibus Betonis & Alexandri menſorum a Plinio proditis cum Arriani & Marciani menſuris: Verum etiam quæ ſuperiori membro diximus. Quemadmodum enim illa ad ſuperiora vel ſeptentrionaliora Indiæ per tabulas Arabum cognita nos recte deduxerant, ita hæc nos ad oſtia Indi per navigationes & Geographica alia noſtrorum, Europæorum nempe inventa ſatis accurate determinata (in propinquo enim eſt Surata Anglis frequentata) legitime feliciterque provehunt vel deducunt.

Hoc ſaltem de textu noſtræ ratiocinationis (quia inter aſſerta Arriani & Marciani videntur quædam invicem pugnantia) lectores noſtros latere non debet, nos in conciliandis horum autorum verbis & ſententiis ſuo loco in Cap. XII. partis proœmialis exhibitis hanc viam elegiſſe:

Ut primo a Babylone, cujus poſitionem ſupra determinatam dedimus, ex Arriano (ſecundum obſervata ad dictum Cap partis proœm.) numeraremus ad Characem vel oſtium Tigris & Euphratis 3300 ſtad. vetera. Dein ſecundum Suſianæ litora 2430, emendatis paulum numeris Marciani, ut ad Arrianos propius accederent, patientibus hoc particularibus numeris Marciani.

Porro Perſidis litus ad Bagradam 4400 ſtadiorum vet. ex Arriano ſumſimus. Carmaniæ usque ad Harmoziam 3000 ſt. & inde usque ad Carpellæ promontorium apud Marcianum extans, & quod non longe a Badi Arriano commemorata ſitum intelligitur, 1600. ſtad. Utraque hac ſumma confecta ex particularium ſtationum numeris.

Inde cum Arriano ad fines Ichthyophagorum 10000 ſtad. numeramus, ad Oritarum fines 1600, atque porro ad Indi fluvii oſtium occidentalius aliquod, quod propius Nauſtathmum 1000 ſtad.

Ipſam Sinus Perſici figuram *Kæmpferi* menti accommodatam cum ſumeremus, ſimul deprehendimus, calculis noſtris recte cætera poſitis, Hormuziæ inſulæ ipſiusque ſinus Perſici freto vel oſtio longitudinem Geographicam paulo minorem, quam in vulgatis tabulis etiam Islæana obſervatur, eſſe dandam.

Horum adeo demonſtrandorum ſcopum cum primum propoſitum haberemus, noſtrasque propterea mappas

iis ſolum, quæ ad eum facerent, inſtructas exhibere voluerimus, alia tamen etiam curioſa & non ingrata jungere non equidem intermiſimus. Inter quæ merito referri poteſt annotatio urbium regiarum, quæ diverſis temporibus, & ſeculis variis, principibus & regibus maximis ſedes præbuere *Babylonis* Chaldæorum, *Seleuciæ*, *Cteſiphontis*, *Vologeſiæ*, *Madainæ* Parthorum & Perſarum, *Kufa*, *Bagdad*, *Samara* vel *Sarmanrai* Arabum Califarum metropolibus exiſtentibus, quibus & *Haſchemia* prope *Embar*, atque ipſa *Embar* adjungenda venit, quæ pariter quibusdam Califarum pro ſede placuit.

Qua provincia defunctis unum hoc, quo dubiis forſan movendis occurratur, addendum videtur. Non quidem credere nos, cuiquam mirum viſum iri itineris juxta Iſidorum ducti rationem, quod non per medium provinciarum plerarumque tranſit, ſed eas a latere ſaltem ſtringit: Cum illum, qui proxime ab uno extremo regni Parthici ad alterum dimenſionem latitudinis vel amplitudinis capere voluerat, vix aliter iter inſtituere potuiſſe palam ſit; ſed hoc dubium poſſe cuiquam ſubnaſci, cur iter deſinat apud Arachoſiam propius *Sacaſtanam*, & non deducatur ultra ad ipſam *Arachotum* urbem, quæ Indo paulo propius admovetur. Cui dubio major vis accedit ex eo, quod Arrianus in ſua Periplo notat expreſſe, Parthorum imperium ad Indum usque extenſum, & *Minnagaram* urbem ac emporium eidem ſubjectam fuiſſe, his verbis: ***Indi oſtia non omnia ſunt navigabilia, excepto medio, in quo etiam maritimum emporium Barbaricum. Cui oppoſita eſt inſula parva & a tergo metropolis Scythiæ*** (Indo-Scythia hæc eſt) ***mediterranea Minnagara nominata. Parthorum ea ſubjecta eſt imperio, qui asſiduo mutuo ſe inde expellunt.***

Sed hujuſce dubii reſolutionem ex ipſa ultimorum verborum horum ſententia promi quis non facile judicet? Cum dici poſſit, eo tempore, quo Iſidorus vixit, & ſuam relationem edidit, Parthos ex illis locis ejectos arctioribus terminis incluſum tenuiſſe imperium.

Obſervat. 3. Diſtantia inter Antiochiam & Zeugma x. Iſidorum emendata.

Præſtructis iis, quæ de quantitate menſurarum ab Iſidoro adhibitarum dicenda fuerant, jam ad illud expediendum, de quo ſupra ſpem feceramus, accedere licebit, ſententiamque de illa emendatione textus Iſidori, quæ nobis diſtantiam Antiochiæ a Zeugmate dabat 46 ſchoenorum illorum, vel paulo minus, dicere.

Diſtantiæ hujus quantitas in 1 mappa.

Sciendum adeo rem difficilis ſane ſolutionis videri diſtantiæ inter Antiochiam & Zeugma determinationem. Ex capitis enim V. partis procemialis tab. I. conſtat, tres occurrere locos auctorum, unum *Plinii* expreſſa verba continentem, duos *Strabonis* & *Agathemeri*, qui levi adhibita correctione cum illo Plinii in concordiam redigi poterant. Atque hos omnes dare diſtantiam 175 milliarium Rom. ab ipſo Orontis fluvii oſtio ad Zeugma vel Euphratem. Unde ſubtractio 15 mill. Rom. quæ ab oſtio Euphratis ad Antiochiam exiſtunt, relinquerentur 160 mill. Rom. pro diſtantia Antiochiam inter & Zeugma. At vero hanc nimiam & abnormem eſſe, illud vel modice attentionem & judicium, tentata etiam actuali deſcriptione mappæ ejusmodi ope ſubſidiorum, de quibus dictum eſt, adhibentibus patet manifeſte.

Unde non diffitemur, nobis in alia deſcriptione hujus principalis mappæ aliis uſibus ſervanda pridem viſum eſſe, regulis criticis hanc veniam dantibus licere, ut hujus dimidium nempe 80 mill. Rom. caperemus.

At vero tum omni adhibita ſolertia efficere nos haud potuiſſe, ut *Beroea*, quam cum Chalepo, ut quoque comparemus, univerſalis facit auctorum conſenſus, obtineret eam latitudinem Geographicam, qualis Halleyo probatur, inſpectio mappæ noſtræ docet.

Præterea vero cum hac hypotheſi nullatenus conciliabilem deprehendimus quamcunque demum de diſtantia inter Antiochiam & Zeugma ab Iſidoro prodita quis conatus fuerit explicationem dare. Quia, ut nihil dicamus de ea, quæ majorem & vulgarem ſchoeni quantitatem adoptat & 66 ſchoenos inter Antiochiam & Zeugma numerat, aut etiam ea, quæ poſita illa quantitate ſchoeni eorum 46 ſumit, quia, inquam, etiam in illa, ubi per ſuperiora 46 ſchoeni pro illa diſtantia ſumuntur, quantitas autem ſchoeni legitima ponitur 25. gradus nempe pars, adeoque 3 milliar. Rom. æqualis, prodeunt milliaria 138, ab illis 80 nimis recedentia.

Diſtantiæ ejus quantitas in 2 mappa.

Quapropter non immerito aliam conciliationis hujus viam ingreſſuri numerum alterum Plinianum immerito, ut videtur, nobis & pridem aliis Plinii

editoribus ſuſpectum, qui 132 mill. Rom. huic diſtantiæ aſſignat, examinandum nobis ſumſimus. At vero cum 132 mill. a Plinio ſtatuatur diſtantia *Seleuciæ ad Orontem* a *Zeugmate*, *oſtium* vero illius a *Seleucia* 5 mill. Rom. ab Antiochia vero 15 mill. Rom. teſte Tab. noſtra capitis VII. partis proœmialis removeatur, eoque ipſo diſtantia Antiochiæ a Seleucia valeat 10 mill. Roman. His 10 ſubtractis a diſtantia Seleuciæ & Zeugmatis manifeſtum eſt produci 122 diſtantiæ Antiochiæ a Zeugmate.

Hic ergo numerus milliarium nempe 122 in ſchoenis, quales hic locorum adhiberi Iſidoro evicimus, enunciatus cum producat 40 vel 41, eaque ſumma ſit paulo minor quam diſtantia 46 ſchoenorum, quam ſupra requirebamus, & in ſpecie ſi pro ſtatione apud Iſidorum ad *a* omiſſa ponamus 6 vel 5 ſchoenos, in ſumma ad *β* prodeant 60 vel 59: qui ſubtracti a 100 illis, de quibus diximus, dent præciſe 40 vel 41: ſane hic conſenſus, de quo vix ſpes erat, ut obtineri poſſet, nos permovit, ut & hanc hypotheſin ſub examen revocaremus.

Atque tandem in eam ſententiam deſcendimus, qua illam hypotheſin reliquis omnibus anteferendam crederemus. Quam adeo in mappis noſtris huic operi adjectis expreſſimus.

Eoque magis in eadem confirmati ſumus, cum deprehenderemus, quod *Beroea* habeat in eadem latitudinem, quam celeberrimus Halleyus ei aſſignat.

Chalcis, Kinnaſrin.

Cæterum & de *Chalcidis* ſitu obſervamus locum Arræ, qui in Itinerario Antonini aſſignatur apud Chalcidem, quod illa cum Maharra Alfragani & Megara vel Magora Strabonis manifeſte idem facit, Alfragani Maharra vero in Kinnaſrinianum territorium nos remittit, teſte Tab. II. Cap. V. partis proœmialis, id hoc nobis viſum inſinuare, ut Chalcidem cum Kinnaſrino eandem facere in hac mappa minus hæſitaremus.

Racca Rafeca.

Quemadmodum & *Raccæ & Rafecæ* ſitum ex ipſis Nubienſis verbis, quæ etiam hanc interpretationem patiuntur, repreſentavimus.

Seriane

Opinioni Anglorum, qui iter Palmyrenum deſcripſerunt, etiam celeb. Weſſelingii, qua iidem Esreen cum *Seriana* eandem faciunt, quia cum diſtantiis ex eorum relatione orientibus, & iis, quæ ex Itinerarii Antoniniani contextu ſequuntur, non plane conciliare potuimus, illam differentiam noſtro more in illo Typo ætiologico 1 vel mappa 2 expreſſimus.

## Reliquum Tab. II. Capitis hujus VI.

| | Schoen. | Summæ |
|---|---|---|
| *APOLLONIATIS* | | |
| A Seleucia *Artemita* urbs Græca, per quam fluvius Silla labitur, tunc Chalaſar dicta. | 15 | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Apolloniatidis longitudo - - - - - - - | | 33 |
| *CHALONITIS* | | |
| Ab Apolloniatide Chala urbs - - - - - | 15 | |
| A Chala *M. Zagros* Chalonitidem & Mediam disterminans - - - - - - - | 5 | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Chalonitidis longitudo. - - - - - | - - - | 21 |
| *MEDIA.* | | |
| Incipiens a regione Charina. | | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Mediæ longitudo. - - - - | - - - | 22 |
| *CAMBADENA.* | | |
| Urbs *Baptana* monti impoſita, ubi *Semiramidis* ſtatua & columna. | | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Cambadenæ longitudo - - - - - | - - - | 31 |

*CAP. VI.* *TAB. II.*

| | Schoen. | Summæ |
|---|---|---|
| *MEDIA SUPERIOR.* | | |
| Ab initio ſtatim Concobar urbs,ubi *Fanum Dianæ*. | 3 | |
| Maziniaman, ubi telonium - - - - - | 3 | |
| Adragianas regia Batanenſium, quam Tigranes dejecit. - - - - - | 4 | |
| *Apobatana* metropolis Mediæ, Gazophylacium & fanum Anäitidos Deæ | 12 | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Mediæ ſuperioris longitudo - - - | | 38 |
| *MATIANA MEDIA.* | | |
| *Raga* & *Charax*. Quarum illa maxima in Media. Charax ſita ſub monte, qui dicitur Caſpius, a quo Caſpiæ portæ. | | |
| Totius Mediæ Matianæ longitudo. - - - - | | 58 |
| *CHOARENA.* | | |
| *Apamea* urbs. | | |
| Stathmus unus. | | |
| Totius Choarenæ longitudo - - - | . . | 19 |
| *COMISENA.* | | |
| Stathmus unus. | | |
| Comiſenæ longitudo - - - - - | - - - | 58 |
| *HYRCANIA.* | | |
| Stathmi * | | |
| Hyrcaniæ longitudo - - - - - | - - - | 60 |
| *ASTABENA.* | | |
| Urbs Aſaac, in qua *Arſaces* pro rege acclamatus. Ignis perennis ibi aſſervatur. | | |
| Stathmi * | | |
| Totius Aſtabenæ longitudo - - - | - - | 60 |
| *PARTHYENA* | | |
| Urbs *Sauloë* Parthaunifa, ubi ſepulchra regum, Græci Niſæam appellant - - - | 6 | |
| Gadar urbs - - - - - - | 6 | |
| Siroc urbs - - - - - - - | 5 | |
| Totius Parthyenæ longitudo - - - - - - | - - | 25 |
| *APAVARCTICENA.* | | |
| Apabarctica & Ragau urbes. | | |
| Totius Apavareticenæ longitudo - - - | - - | 28 |
| *MARGIANA* | | |
| Urbs *Antiochia ſicca* | | |
| Totius Margianæ longitudo. | | 30 |
| *ARIA.* | | |
| Urbes: Cavan, Artacavan (Artacoana) *Alexandria apud Arios* | | |
| Totius Ariæ longitudo - - - - | - - | 30 |

*CAP. VI.*

CAP. VI. TAB. II.

| | Schoen. | Summæ |
|---|---|---|
| *ANABON Ariæ regio*<br>Urbes: Phra maxima, Bis, Gari, Nii (Nioi)<br>Totius regionis longitudo - - - - | - - | 55 |
| *DRANGIANA.*<br>Urbes Parin, Coroc<br>Totius Drangianæ longitudo - - - | - - | 21 |
| *SACASTANA.*<br>Eadem Sacarum Scytharum, item *Parætacena*<br>Urbes: Barda, Min, Palacenti, Sigal: Regia Sacarum, & prope eam Alexandria & Alexandropolis<br>Totius Sacaſtanæ longitudo - - - | - - | 63 |
| *ARACHOSIA.*<br>A Parthis vocatur *Indica alba*<br>Urbes: Biyt, Pharſaga, Chorochoad, Demetrias, deinde *Alexandropolis* metropolis Arachoſiæ, quam præterfluit Arachotus fl.<br>Totius Arachoſiæ longitudo - - - -<br>*Hucusque eſt regio, quæ ſub Parthorum imperio exiſtit.* | - - | 36 |

# CAPITIS VI.

## TAB. III.

*Ut totius tractus celeberrimi ſecundum Euphratem accuratiorem demus notitiam, viſum eſt, ſuperioribus pingere deſcriptionem ejusdem parallelam apud AMMIANUM MARCELLINUM & ZOSIMUM occurrentem.*

| *AMMIANUS MARCELLINUS* L. XXIII. & XXIV. | *ZOSIMUS*, L. III. |
|---|---|
| Euphrates | Euphrates |
| Bathnæ oppidulum Osdroënæ | Bathnæ municipium Osdroënæ |
| | Edeſſa |
| Carræ | Carræ |
| Davana. Unde ortus fluvius Belias funditur in Euphratem | |
| I Diei iter | Caſtella interjecta |
| Calliniſum, Callinicum | Callinicum |
| Statio ſub pellibus | |
| Cercuſium, cujus mœnia Abora & Euphrates ambiunt, velut ſpatium inſulare fingentes | Circeſium ad Asboram |
| | 60 Stad. |
| Zaita locus, qui olea arbor interpretatur. Gordiani tumulus | Zauta |
| Dura deſertum oppidum. | Dura deſerta, ſepulcrum Gordiani |

*CAP. VI.* *TAB. III.*

| *AMMIANUS* L. XXIV. *aliter* | *ZOSIMUS idem* |
| --- | --- |
| Cercuſium &c. | Circeſium &c. |
| 2 Dierum iter | 60 ſtadia |
| | Zauta |
| Dora deſerta, marginibus amnis impoſita | Dura deſerta, ſepulcrum Gordiani |
| 4 Dierum iter | 4 ſtationes |
| Statio, unde milites mittuntur | |
| Anatham, quæ circumluitur Euphrate | Phatuſæ. Inſula in flumine cum caſtello ex adverſo. |
| Anatha dedita & incenſa | Quod deditur |
| Tilutha, in medio fluminis & in vertice montis edito | Alia inſula cum caſtello, quod intactum relinquitur, poſtquam fruſtra tentatum. |
| Tranſita, & intacta relicta | |
| Achaiacala. Pariter intacta relicta | Alia caſtella intacta relicta |
| 1 Diei iter | |
| Caſtra deſerta inventa & incenſa | |
| 2 Dies, 200 Stadia | Stationes nonnullæ |
| Braxamalcha | |
| 7 milliar. iter | |
| Amnis tranſitus. Diacira ab incolis deſerta, incenſa | Dacira ad dextram Euphratis, deſerta ab incolis, ſolo æquata |
| Fons ſcatente bitumine | In adverſa ripa fons bitumine ſcatens |
| | Sitha |
| | Megia |
| Ozogardana, cum tribunali Trajani deſerta ab incolis, exuſta | Zaragardia, cum Tribunali Trajani, exuſta. |
| Vicus Maceprácta: In quo muri veſtigia, qui priſcis temporibus in ſpatia longa prætentus munire ab externis incurſibus Aſſyriam dicebatur. | |
| Hinc pars fluminis ſcinditur ducens Babylonem. Alia Naarmalcha, nomine Cteſiphonta prætermeat. In cujus exordio turris in modum Phari celſa. | Alveus ex Euphrate derivatus usque in Aſſyriam ſe extendens, & in regionem usque ad Tigridem |
| Naarmalca pontibus tranſitus | Alveus fluvii navibus ſuperatus |
| Pyriſabora, civitas ampla inſulari ambitu. Circumvallata, expugnata & incenſa. | Berſabora, duplici muro & arce inſtructa. Maxima poſt Cteſiphontem. Expugnata. |
| | Urbs ἀνώνυμος, vi capta & incenſa |
| | Iter per amnem |
| | Fiſſenia, oppidum ad regium amnem, relicta intacta. |
| Inundatio | Inundatio |
| Locus, ubi major pars Euphratis in rivos diffunditur multifidos | |
| Civitas ab Indæis incolis deſerta, exuſta | Bithra urbs cum regia |
| Majozamalcha, urbs valida & magna, expugnata, exciſa | |

*CAP. VI.*

*CAP. VI.* *TAB. III.*

| *AMMIANUS*, L. XXIV. | *ZOSIMUS.* |
|---|---|
| Munimenta gemina | Statio ad lucum palmis conſitum |
| Regia Romano more ædificata | |
| Civitas deſerta | |
| Caſtellum celſum, captum & incenſum | Caſtellum, coram quo Julianus vitæ periculum adit, cuniculi ope captum, dirutumque |
| | 90 ſtadia a Cteſiphonte |
| | Oppida quædam parum celebria |
| | Septum, quod Regis venatio dictum |
| | Regia Romano more ædificata |
| | Sabatha oppidum Armeniæ (potius Aſſyriæ) vi captum |
| | 30 ſtadia |
| | Zochaſa (forſan Chochaſa) vel Seleucia |
| Naarmalcha flumen foſſile, tunc aridum, etſi a Trajano & Severo purgatum. Eo reſtituto claſſis in Tigrim deducitur, exercitus ponte tranſit. | Alveus a Trajano ductus, in quem Naarmalca fluvius derivatus, ſe in Tigrim exonerat. |
| Alveus fluvii tranſitus. Pugna | Alveus fluvii tranſitus. Pugna |
| | Tigris tranſitus poſtera die |
| Cteſiphon | Abuzatha caſtellum |
| Claſſis incenſa. Iter verſus mediterranea directum. | Claſſe incenſa: Iter verſus mediterranea. |
| | Noorda |
| Caſtra in valle graminea prope rivum | Durus fluvius |
| | Barophta oppidum |
| Hecumbra villa. Ubi ſtatio per 2 dies | Symbra vicus inter duo oppida Nisbara & Niſchanabe. Duo oppida Tigri fluvio ſeparata, ponte juncta |
| 70 ſtadia | |
| Caſtra | Locus inter oppida Danaben & Syncen |
| | Acceta, Ἀκκήτα oppidum |
| Maranga. Prælium ad eam, poſtque induciæ 3 dierum | Maronſa vicus |
| | Vici quidam curſim præteriti |
| | Timmara |
| Iter & pugna, in qua Julianus letaliter vulneratus | Poſtridie pugna. Julianus letaliter ſauciatus |
| Joviani electio. 5 Cal. Julias | Joviani electio |
| Pugna & contentum iter | Iter contentum |
| Nocturna ſtatio ad Sumere caſtellum | Suma caſtellum |
| Caſtra in aperta valle | |
| Charcha | Iter 4 dierum |
| 30 ſtadia Kal. Juliis confecta | |

*CAP. VI.*

*CAP. VI. TAB. III.*

| *AMMIANUS*, L. XXIV. | *ZOSIMUS* |
|---|---|
| Dura. Quatriduo ſtatio ad eam. | Caſtra ad Tigrim, tranſitus tentatus |
| Tigris tranſitus tentatus. | |
| Biduum cum inedia certatum, a Corduena 100 mill. | |
| Pax inter Perſas & Romanos | Pax |
| Iter continuatum | |
| Tigris tranſitus | |
| Itinera magna | |
| Hatra in media ſolitudine oppidum. | |
| 6 dierum iter | |
| Ur, Perſicum caſtellum | |
| Tiſalphata | |
| Niſibis | Niſibis |

# CAPITIS VI.

## TAB. IV.

| *DISTANTIÆ LOCORUM MESOPOTAMIÆ EX VARIIS.* | |
|---|---|
| *PAULI LUCÆ iter Edeſſa vel Orfa Chalepum.* | |
| 1 Orſa, Charmelic 7 h. | 7 h. |
| 2 Eadem Charmelic. Dies quieti datus. | - - - - |
| 3 Iter diurnum ſine mentione horarum. | - - - - |
| 4 Vallis longa uſque ad Bir ad Euphratem. | - - - - |
| 5 Planities multos pagos habens. Maſar ſtativa nocturna. | - - - - |
| 6 Regio montuoſa & aſpera. Planities Quintana dicta, ſtatio nocturna. | - - - - |
| 7 Iter ſatis mane cœptum. Campus Turcomannorum tentoriis plenus. Tupely ſtatio nocturna 4 mill. ab Aleppo. Quæ 4 mill. eodem die, relicta Caravana, abſoluta, & Chalepum ſub finem diei perventum. | - - - - |
| *LEONIS FLAMINII iter Meſopotamicum.* | |
| A Mauſel ad Niſibin 5 dies | |
| Niſibi ad Rihha, Orfa, Edeſſam. 4 dies | |
| Orfa ad Bir ad Euphratem. 2 dies, vel ſaltem plures uno per montes | |
| *EUPHRATIS CURSUS.* | |
| Idem *Leo Flaminius* teſtatur, mire tortuoſum eſſe alveum Euphratis circa Alepum. A Bir enim ſecundo flumine 6 dierum navigatione peracta, ad vicum Cala perventum, qui non majori quam duorum dierum intervallo Chalepo diſtabat. A vico Cala ad Raccam 4 dierum navigatio. | |
| *Ammianus Marcell.* L. XXIV. circa initium: Claſſis (Juliani) per flumen (Euphratem nempe ultra Cercuſium) ferebatur adſiduis flexibus tortuoſum. | |

CAPI-

# CAPITIS VII.

## TAB. unica.

| *Euphratis curſus.* *Ex PLINIO* L. V. c. 24. | Mill. Rom. |
|---|---|
| Oritur in Præfect. Caranitide ſupra Simyram | 12 |
| Fluit Simyra Daſcuſam — *Plinius* | 75 |
| *Itin. Antonini* | 60 |
| *Tab. Peutingeriana* | 67 |
| Daſcuſa Paſtonam. Navigabilis jam | 50 |
| Paſtona Melitenen | 74 |
| (Melitenes diſtantia ab Euphratis ripa 2 mill. Arab. *Nubienſ.* | 3 prox. |
| Melitene Elegiam Armeniæ, acceptis fluminibus Lyco, Arſania & Arſano (Horum unus nomen *Arzenjan* recentiori ſine dubio tribuit.) | 10 |
| Apud Elegiam ei occurrit Taurus M. nec reſiſtit, quamvis prævalens latitudine 12 mill. Omiram vocant triumpontem, mox ubi perfregit Euphratem. | |
| Arabiam inde læva, Merorum dictam regionem triſchoena menſura, Comagenen dextra diſterminat. | |
| (Sequentia declamatorio ſtylo obſcurata, catarractarum deſcriptionem exhibent, ita vero ſonant: *Apud Claudiopolim Cappadociæ curſum ad occaſum ſolis agit. Primo hunc illi impugnatus curſum Taurus aufert: victusque & abſciſſus ſibimet alio modo vincit, ac fractum expellit in meridiem.* Quorum adeo ſenſum non alium commodiorem remur, quam: poſtquam Euphrates ad Claudiopolim (quæ & Claudia dicitur in tabula Peutingeri, & Laudias apud Ammianum L. XVIII. quod ex vicinia Barzalæ vel Barſalii cognoſcimus) curſum verſus occarſum direxerat, mox eum retorqueri verſus ortum & meridiem, atque inde pergere ad catarractas 40 m. Rom. Samoſatis diſtantes, qualem ejus curſum refert typus noſter 2.) | |
| A Catarractis iterum navigatur | |
| Inde caput Comagenes Samoſata | 40 |
| Zeugma a Samoſatis | 72 |
| Diſtantia Melitenes & Samoſatorum | |
| *Itinerar. Antonini.* | 90 |
| *Peutinger. Tabul.* | 131 |
| *Nubienſ. Geopraph.* 51 m. Arab. | 67½ |
| Ita fertur ad Uram locum, in quo converſus ad Orientem relinquit Syriæ Palmyrenas ſolitudines. | |
| Scinditur Euphrates a Zeugmate circa vicum Maſſicen | 83 |
| Forſan | 183 |
| Pergit enim ſic Plinius: *& parte læva in Meſopotamiam vadit, per ipſam Seleuciam, circa eam præterfluenti infuſus Tigri. Dexteriore autem alveo Babylonem quondam Chaldææ caput petit.* | |

*CAP. VII.* *TAB. unica.*

| | Mill. Rom. |
|---|---|
| *Plin.* L. V. c. 26. | |
| Seleucia (intellige Seleuciam ad Tigrim) abeſt a capite Meſopotamiæ | 1125 |
| Euphratem navigantibus a Zeugmate | 527 |

# CAPITIS VIII.

## TAB. unica.

| *CYPRUS Inſula, & locorum maritimorum diſtantiæ quædam.* | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|
| Clides a Pyramo | 700 ſtad. | *Strabo* | $87\frac{1}{2}$ |
| Clides a Myriandro | 1400 | | $95\frac{1}{2}$ |
| A. Clidibus ad Acamanta Prom. | 3300 | | $157\frac{3}{4}$ |
| potius | 2300 | | |
| Acamante ad Chelidonias | 1300 ſtad. vetera absque dubio | | $88\frac{1}{2}$ |
| Chalidoniis ad Patara | 800 | | |
| forſan | 1800 | *Agathemerus* | $122\frac{3}{4}$ |
| Ab Anemurio ad Crommyon Prom. | 350 ſtad. | *Strab.* p. 66 & 682 | 44 |
| | $\frac{50}{m}$ | *Plin.* | |
| Citio Berytum | 1500 ſtad. | *Strabo* | $187\frac{1}{2}$ |
| Papho Alexandriam | 3600 ſtad. | *Strabo* juxta mentem quorundam | 450 |
| Selinunte Acamantem | 1000 ſtad. | *Idem* | 125 |
| Sida Pamphyl. Acamantem | 1600 ſtad. | *Idem* | 200 |
| forſan. | 1060 | | 136 |
| A Chelidoniis Acamantem | 1900 ſtad. | *Idem* | $237\frac{1}{2}$ |
| Ex collatione loci ad A. ſcribendum | 700 vel 800 | | 88 vel 100 |
| A Clidibus ad Acamantem terreſtri itinere | 1400 ſtad. | *Idem* | 175 |
| A Clidibus ad Crommyon | 350 ſtad. | | 131 |
| potius | 1050 ſtad. | | |
| Apud Salaminem arctiſſima inſula | 70 ſtad. | *Idem* | $8\frac{3}{4}$ |
| Paphos vetus a mari | 10 ſtad. | | $1\frac{1}{4}$ |
| Paphos nova a veteri | 60 ſtad. | | $7\frac{1}{2}$ |
| A Sacro promontorio Olbiano in Lyciæ & Pamphyliæ finibus. | 367 ſtad. | *Strab.* | 46 |
| A finibus Pamphyliæ ad Anemurium promontor. | 820 ſtad. | *Idem* | $102\frac{1}{2}$ |
| Ab Anemurio ad Solos | 500 ſtad. | *Idem* | $62\frac{1}{2}$ |

CAPI-

# CAPITIS IX.

## TAB. unica.

*DISTANTIÆ QUÆDAM LOCORUM ASIÆ MINORIS IN SINISTERIORI MAPPÆ LATERE.*

| Menſis | Diæt. | *Iter* I. *PAULI LUCÆ Smyrna Attaleam & Iconium* T. I. | | Mill. Rom. Horum computando partem $22\frac{1}{2}$mam gradus |
|---|---|---|---|---|
| *Octob.* | | | | |
| 27 | 1 | *Smyrna* | | |
| | | Babanard Baſſi pagus | 3 leuc. | 10 |
| | 2 | Caſabas | 8 hor. | $26\frac{2}{3}$ |
| | | In tranſitu rudera *Sardium* | 2 leuc. | $6\frac{2}{3}$ |
| 28 | 3 | Salidy pagus amplus | 3 leuc. | 10 |
| 29 | 4 | Planities, in qua Darii caſtra falſo credita | 3 leuc. | 10 |
| | | *Chaire.* Habetur autori pro *Laodicæa* | 6 leuc. | 20 |
| 30 | 5 | M. Iſſi Melue dermanderie | 5 hor. | $16\frac{2}{3}$ |
| | | Ad ejus verticem ad Jeniqueux pagum | 5 hor. | $16\frac{2}{3}$ |
| 31 | 6 | Usque ad ortum ſolis | 3 hor. | 10 |
| | | Per planitiem ad montem *Mæandri* | $\frac{1}{2}$ hor. | $1\frac{2}{3}$ |
| | | Aſcenſus ad thermas | 3 leuc. | 10 |
| | | A Thermis ad Banburquezer | 3 leuc. | 10 |
| *Novb.* | | | | |
| 1 | 7 | Per montes Demirderee | 4 leuc. | $13\frac{1}{3}$ |
| 2 | 8 | Per montem Acdeveren, ad cujus radices Alaqueux pagus | 8 leuc. | $26\frac{2}{3}$ |
| 3 | 9 | Per vallem ad lacum magnum *Agy-Gheul.* Amarum, piſces non ferentem | 6 hor. | 20 |
| | | Secundum *lacum Bondur* | 4 hor. | $13\frac{1}{3}$ |
| | | *Bondur* ad lacum cognominem amariſſimum, *Caragacia* pridem dicta, & decies major pridem | | |
| 5 | 10 | Carnar pagus | 2 hor. | $6\frac{2}{3}$ |
| 6 | 11 | *Ruinæ memorabiles.* Suſu pagus | | |
| | | Ad montem Uſtanaſi | 3 hor. | 10 |
| | | Deſcenſus montis | 1 hor. | $3\frac{1}{3}$ |
| 7 | 12 | Planities 2 leucarum | 2 leuc. | $6\frac{2}{3}$ |
| | | Aſcenſus per viam marmore ſtratam ad Chenet. | | |
| | | Deſcenſus per *rudera* ſpecioſiſſima ad Biliere Uvaſi | $\frac{1}{2}$ hor. | $1\frac{2}{3}$ |
| | | Planities ad fl. Duden. | $\frac{1}{2}$ hor. | $1\frac{2}{3}$ |
| | | Fluvius in rupe ſe abdens, iterumque emergens 5 vel 6 leucis inde, iterum merſus & prodiens, Sataliamque præterfluens. *Catarractes* fl. ſine dubio. | | |
| 8 | 13 | In montibus & ſylvis | 2 hor. | $6\frac{2}{3}$ |
| | | *Satalia* | 4 hor. | $13\frac{1}{3}$ |

*CAP. IX.* *TAB. unica.*

| Menſis | Diæt. | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| *Novembris* | | | | |
| 17 | 1 | *Satalia*, Duden, Suſu, In planitie | 5 hor. | $16\frac{2}{3}$ |
| | | Aſcenſus in M. Pechenais, deſcenſus ad pagum Aglaſon. | | |
| 20 | 2 | Mons Aglaſon bey, cum urbibus & arcibus in verticibus montium, ſed deſertis & vaſtatis | | |
| | | Planities, colliculi ex ruinis urbis veteris | | |
| | | *Sparta* | | |
| *Decembris* | | | | |
| 8 | 3 | A Sparta per planitiem. | 6 hor. | 20 |
| | | Lacus ad lævam. | | |
| | | Per montes & Pylas. | | |
| | | *Igridy, ad lacum Igridy* | $\frac{1}{4}$ hor. | 1 |
| 9 | 4 | Secundum lacum | 1 leuc. | $3\frac{1}{3}$ |
| | | Belgers pagus in monte ad Bugali Daglar | 14 hor. | $46\frac{2}{3}$ |
| 10 | 5 | Lacus *Bey Chary* 200 mill. Ital. ambitus | 2 hor. | $6\frac{2}{3}$ |
| | | Serkisſerail (dubium, an 2 hor. connumerandæ) | 8 hor. | $26\frac{2}{3}$ |
| 11 | 6 | Verſus orientem ejusque rhombum 5, & Auſtrum ad Ilelmuche pagum | 8 hor. | $26\frac{2}{3}$ |
| 12 | 7 | *Cogne*, Iconium | 5 hor. | $16\frac{2}{3}$ |
| | | *Aliud iter PAULI LUCÆ Smyrna Iconium* T. III. | | |
| Menſis | Diæt. | | | |
| *Octobr.* | | | | |
| 20 | 1 | *Smyrna* | | |
| | | Regio ſine pagis, tandem Cherpuca pagus | 10 hor. | |
| 21 | 2 | *Meinder*, {Parvus / *Cutchuc*} *Meinder*, *Cara-Meinder*, Cayſtrus 12 leuc. a Smyrna | 1 hor. | |
| | | Planities pagis culta | * | |
| | | *Tyre*, Tyrus urbs | | |
| 25 | 3 | Per montes difficillimos Gojajocuſu ad Arabqueux | * | |
| | | In planitie | 7 hor. | |
| 26 | 4 | *Guſel Iſſar* (i. e. urbs ad lacum) Magneſia Joniæ videtur *P. Lucæ* 3 hor. poſt meridiem | 10 hor. | |
| | | 18 vel 20 leuc. inde lacus | | |
| 30 | 5 | Planities pulcherrima ad {*Bujuk* / Magnum} *Meinder*, Mæandrum. | | |

*CAP. IX.* *TAB. unica.*

| Menſis | Diæt. | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| *Octobr.* | | | | |
| | | Pagus Quioſque | 3 hor. | |
| | | Nazelia | 2 leuc. | |
| 31 | 6 | Eadem planities per | 2 hor. | |
| | | Cujujac pagus | | |
| *Novembris* | | | | |
| 1 | 7 | *Boſſe* vel *Bujuk Meinder* fl. | 5 hor. | |
| | | Secundum flumen ad pontem | 2 leuc. | |
| | | Demy Zely. Urbs amoena | | |
| | | Inde in montibus | 4 leuc. | |
| | | Rudera Antiquitatum pulcherrima urbis ad 2 leuc. longæ | | |
| | 8 | Itineris initium 5 hor. antemeridiana | | |
| | | Multi rivi, fluvius major Su generali nomine dictus. Planities, vallis, cœnobium Turcicum ditiſſimum | | |
| | | Inde Pylæ | ½ leuc. | |
| | | Pagus Gunei | 3 leuc. | |
| | 9 | Hora 7 antemeridiana itineris initium. | | |
| | | Mons - - - - - - | 1 leuc. | |
| | | Gveſi lacus, *Gveſi Gveul* ad radices montis | | |
| | | Jaſeli quietis nocturnæ locus, ad Naulu lacum, *Naulu Gheul*, aquæ pinguis ad modum ſaponis. | | |
| | 10 | Bondur ad *lacum cognominem* amariſſimum | | |
| | 11 | A Bondur ad *Sparta* | 5 leuc. | |
| | | Spartæ mora 20. dierum. | | |
| 23 | | A Sparta 3 vel 4 leuc. rudera urbis ad 5 vel leuc. ambitum, vocantur Burderu juxta pagum adſitum, *Paul Lucas* pro *Laodicæa combuſta* habuerat. Sententia vero mutata, potius *Sagalaſſus* vel *Seleucia* aut *Antiochia Piſidiæ* ei videtur. | | |

## *OBSERVANDA.*

Recte fecit *P. Lucas*, quod priorem ſententiam deſeruit. Longius enim Strabone teſte verſus boream *Laodicæa combuſta* ſita eſt. Alteri ſententiæ videtur obſtare, quod *Sagalaſſus* diei itinere ab Apamea Ciboto, quæ longe borealior eſt hac Sparta, diſtat: Vide Cellarium: *Antiochia Piſidiæ* vero 60 mill. Rom. ab Iconio removeri videtur in *Tab. Peutingeriana*. Quo admiſſo, diſtantia ejus a ruderibus his prope Spartam major foret.

Quod ſi vero quis aliter interpretari velit mentem Tabulæ dictæ Peutingerianæ, ſane confitendum erit, illam alteram diſtantiam, qua Antiochiæ Piſidiæ in eadem tribuitur a Side, quæque eſt 80 mill. Rom. non male quadrare horum ruderum loco

Obſervandum vero eſt, lacus illius, qui recentiori nomine Bey Chary vel Bevicher vocatur, veteri vero Coralis dictus videtur, cujusque ſitum quoad ripas borealiores accurate ex ipſa *Pauli Lucæ* deſcriptione cognoſcimus,

*CAP. IX.* *TAB. unica.*

magnitudinem vel ambitum prædicari 200 mill. Italicorum. In qua aſſertione ſi exaggeratio aliqua & ex vulgari relatione hauſta exiſtat, pati quidem rem, ut Antiochiæ illi locus in vicinia Iconii aſſignetur, quemadmodum in 2 mappa notatum eſt nobis. Sin vero ad literam, ut ajunt, eadem ſit ſumenda, ſane locus urbis intra lacus ambitum caderet, ut pariter ex illa mappa intelligere datur. Eoque caſu ſententia illa *P. Lucæ* de *Antiochia Piſidiæ* ſub hujus ruderibus ſepulta robur acciperet majus

| Menſis | Diæt. | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| *Novembris* | | | | |
| 30 | 12 | A *Sparta* ad Igridy | 8 leuc. | $26\frac{2}{3}$ |
| | | Ad quam lacus magnus cum inſula. | | |
| *Decembris* | | | | |
| 1 | 13 | Secundum *lacum* | $2\frac{1}{2}$ leuc. | $8\frac{1}{3}$ |
| | | Unde M. Cuval Dag | | |
| | | In monte ad Belgers pagum via difficilis | 12 hor. | 40 |
| 2 | 14 | Serkis Serail. Via non adeo difficilis. | 8 vel 10 hor. | $26\frac{2}{3}$ vel $33\frac{1}{3}$ |
| | | Secundum viam lacus Benicher, *Benicher Gol*, piſcoſi | | |
| 3 | 15 | Quiſiluren pagus | 8 hor. | $26\frac{2}{3}$ |
| 4 | 16 | Fl. Altima, *Altima Su* | 8 vel 9 leuc. | $26\frac{2}{3}$ vel 30 |
| | | Inde *Cogny*, Iconium | 3 hor. | 10 |

# CAPITIS X.

## EXCERPTA E NUBIENSI GEOGRAPHO

### *EX PARTE* IV. *CLIMATIS* II.

*Diſtantia urbium Ægypti*

EX iis, quæ continentur in hac ſecundi climatis parte quarta, eſt reliqua terra *Aluahat* exterioris, cum terra *Taguitarum* ſibi annexa a meridie. Inter *Aluahat* & terminum *Nubæ* trium intercedit iter dierum. Et in terra *Aluahat* ſolum reperitur Thoban, non autem in ullis aliis duarum terrarum partibus. A *Bahrain* ad *Giofar* bidui eſt iter: A *Giofar* ad *Aluah* tridui eſt intervallum penitus in aquoſum. It. a *Bahrain* ad urbem *Sant-ric* quatuor habentur ſtationes. Et ab hac ad *Mare Damaſcenum*, Septentrionem verſus, ſtationes novem. Et ab eadem ad *montem Calmeri* quatridui eſt iter. Et a Sant-ric diſcedit, qui vult ingredi terram *Covar* & reliquas Nigrorum regiones. Rurſus a Sant-rie ad *Augelam*, occidentem verſus decem dierum eſt iter. Urbs a. *Cais*, quæ jacet ad littus Nili, vetuſtiſſima eſt, & diſtat a *Daharut*, Aquilonem verſus eundo, octodecim fere milliarium intervallo. Ab urbe *Chais* ad *Meniat Ben-Chaſib*, dimidiatæ diei ſpatium eſt. Idemque ſpatium ab hac ad urbem *Oſmuni*, & contra ipſam ab Aquilonari parte Nili jacet *Buſir* urbs parva. A *Buſir* vero ad *Anſana* ex Orientali latere Nili, ſex dierum iter habetur: eſtque hæc urbs antiqua ædificio, viridariis & locis amœnis ad animum relevandum aptis perpulchra, plurimis fructibus & fertilitate atque frugibus abundantiſſima. Hæc eſt urbs, quæ communiter vocatur urbs *Magorum*, & ex hac evocavit Pharaon Magos ad congrediendum die ſtatuta cum Moſe Propheta, cui ſa-

ſalus. Ibidem extant parvæ aliquot regiones, diſtantes a Nilo duobus milliaribus, & plus ac minus, e quibus eſt *Negiaſta*, pagus parvus populoſus, fœcundus & fructibus abundans: & ex iisdem quoque eſt ab adverſo illarum terra, quæ vocatur *Masnara* in occidentali parte Nili. Ex illis etiam eſt urbs *Taha*, eſtque infra urbem *Oſmuni*.

Ab urbe *Anſana* ſuperius memorata ad parvum locum *Almaraa* vocatum, & ab ipſa ad urbem *Armant* ad occidentem Nili, quinque ſunt fere milliaria. Et ab eadem ad oppidum *Saul* eſt iter unius quaſi diei: eſt autem oppidum iſtud magnum & emporeticum, abundatque populis, palmis & frugibus, & emolumentis quamplurimis: jacetque ad os fluvii cujusdam *Almonsha* vocati, orientali parti terræ Aluahat conjuncti: & ibi diducitur ille in rivos ad multum ſolum irrigandum. Et ab hoc eodem deductæ atque effoſſæ fuerunt canales fluminum *Fium*.

Ab oppido *Saul* ad *Echmim* diei eſt iter: *Echmim* autem eſt ad latus Nili orientale, in diſtantia duorum fere milliarium. *Echmim* & *Balbana* ſunt duæ urbes ædificiorum copia non impares, & in hac ſunt multa palmeta & arundineta Saccari. In prædicta urbe *Echmim* extat ædificium illud, quod appellatur *Beraba*. Sunt autem plures Berabæ, inter quas eſt *Beraba Aſpæ*, *Beraba Dandaræ* & *Beraba Echmim*: at hæc & ædificio firmior & rebus memoria dignis ornatior eſt: nam in iſto domicilio ſunt nonnullæ ſtellarum & artium quarundam picturæ, ſcripta diverſa, variæque ſcientiæ. Iſtud domicilium, quod *Beraba* dicitur, eſt in media urbe *Echmim*, ut diximus.

Ab occidentali ripa Nili, ſupra oſtium fluvii Almonshah jacet urbs, *Zamacher* appellata, venuſta ædificiis, hortis aquisque affluens, variis fructuum & omnibus leguminum generibus opulenta: eſtque in ſe pulchra & decora. Ab hac ad montem *Tilamon* per occidentalem Nili ripam quinque interſunt millia paſſuum. Mons iſte procedens ab occidentali parte *Tarib* alveum Nili præcludit: quare aqua rapido eum impetit fluxu, nec eum ſuperat niſi cum difficultate & præcipitio tali, ut cymbis tam ex *Metſr* ad *Aſuan* aſcendentibus, quam aliis aditum præcludat. Ab urbe *Echmim* ad urbem *Queſt* ſemidiei eſt navigatio: urbs iſta *Queſt* procul diſtat a Nili parte orientali. Et ab hac ad urbem *Cuts* ex orientali parte Nili ſeptem interſunt milliaria. Ab hoc oppido ad urbem *Aſna* ad occidentalem Nili partem eſt navigatio diei; eſt autem hæc de antiquioribus urbibus, ædificata primis Coptitarum temporibus. Inter hanc & *Armant* a latere orientali navigatio item diei intercedit. Ab urbe *Armant* ad urbem *Aſuan* eſt item navigatio diei per Nilum.

Ut autem modo revertamur ad præfatum fluvium (*Almansha*) exeuntem e principaliori alveo Nili, dicimus, fluvium iſtum habere originem prope urbem *Säul*, fluereque ad plagam occidentalem, & illic vocari *Almonsha*; tum decurrens inter Occidentem & Aquilonem ſpatio quatuor ſtationum attingere urbem *Albahnaſa*, quæ jacet ad ripam ejus occidentalem. Et ab hac urbe ad *Metſr* ſeptem eſſe longarum dierum iter. Defluit poſtea is fluvius in ſeptentrionem ad urbem *Ahnas* ſpatio duarum ſtationum. Ab hac ad urbem *Ballats* diſſitam ab orientali ripa præcipui alvei Nili ſpatio duorum milliarium, bidui fere iter habetur. Demum pervenit hic fluvius ad *Fium*, mergitque ſe ſtagno *Acnæ* & *Tiharut*. Porro a *Metſr* ad *Aſuan* ineſt viginti quinque ſtationum intercapedo.

## *EX PARTE* V. *CLIMATIS* II.

*Litoralia ſuperioris Ægypti*

Quinta hæc ſecundi climatis pars complectitur de regionibus, quæ ſunt ad oras maris rubri, urbem *Adhab* cum anterioribus finitimis partibus ſolitudinis, quæ nomen ab ea deſumit, in qua nullum conſtat iter, ſed montes; & ut plurimum ſtellæ, aut curſus ſolis ab oriente ad occidentem viam demonſtrant. - - - - - - - - - -

Dici-

Dicimus ergo, montem *Mocattam*, cujus initium eſt in *Diar-Metſer*, protendi a *Metſer* per *Sahra* (deſertum) donec proxime accedat ad *Aſvan*; eſtque mons iſte celebris longitudinis, quod autem ad altitudinem, quibusdam in locis attollitur, in aliis vero deprimitur: & partes ejus nonnullæ attingunt terram *Metſer*, procurrente ad mare ſalſum verſus mare rubrum, ad mare ſcil. *Hagiaz*.

In ſummitate hujus *Sahra* (deſerti) ſecus littus maris ſalſi eſt urbs *Adhab*, e qua tranſitur ad *Gioddam*, ibique latitudo maris eſt navigationis unius diei & noctis. Ceterum in urbe *Adhab* reſidet Actor unus pro Domino, & alius pro regibus Ægypti, qui ejus urbis vectigalia dividunt inter ſeſe duas in partes æquales. Et vero ad Actorem domini Ægypti pertinet, adducere bona & annonam ad *Adhab*: ad alterum *Begæ* ſpectat, eadem exigere ex *Habſaa*. Et præſes, qui præeſt *Adhab*, pro rege *Begæ*, moratur in ſolitudinibus, nec ingreditur urbem niſi raro. Incolæ *Adhab* perluſtrant omnes partes terræ *Begæ*, & emunt atque vendunt, afferuntque undique butyrum, mel & lac. Eadem in urbe habent cymbas, quibus expiſcantur piſces plurimos, ſuaviſſimos & ad comedendum gratiſſimos. - - -

## *EX PARTE* III. *CLIMATIS* III.

*Via ex Cahiro Meccam & Medinam.*

- - - Eſt præterea aliud iter per littora Maris rubri nempe ex *Metſr* ad *Ain-Semes* (Heliopolis) ad oppidum *Matrüe*, ad lacum *Algiob* (eſtque hic ſtagnum quoddam, in quod influit amnis *Caheræ* (Cahiri Europæis) ad puteum *Agerud*, tum ad puteum *Agiuz*, tum ad *Calzem*, tum ad *Bata-Moghaire* (eſt autem hic portus, cui adjacet lacus aquæ) tum ad ſinum *Faran*, tum ad *Merbad*, tum ad *Jethran*, locum pernicioſum, in quo naufragium patiuntur navigia tempeſtate furente: nam hic eſt ſinus quidam habens a latere montem aſſurgentem, ad quem venti cum alliduntur, contorquentur, & irruunt in mare, atque undis concitatis perdunt, quascunque naves illic offendunt. Cum autem ventus auſtralis dominatur, ſulcari nullatenus poteſt. Occupat vero locus iſte tam aſper ſpatium ſex fere milliarium. Et fertur hunc in locum immerſum eſſe Pharaonem illum maledictum. Prope *Faran* extat etiam locus pernicioſus, cum ſulcatur flante Euro ad occidentem, & Favonio ad orientem, vocaturque locus iſte *Hilan*. Porro ab *Hilan* pergit iter ad montem *Tur*, ad *Ayla*, ad *Hacl*, ad *Madian*, ad *Haura*, ad *Giar*, ad *Hadid*, ad *Asfan*, ad *Batnmor*, ad *Meccam*.

## *EX EADEM PARTE CLIMATIS* III.

Iter, quod a *Metſr* ducit ad urbem *Jathreb*, eſt hujusmodi: Egredieris ex *Metſr* ad *Algiob* (Puteum) ad *Bovaib* (oſtiolum) tum ad hoſpitium filii *Sadca*, tum ad *Agerud*, hinc ad *Rouaitha*, tum ad *Kerſa*, tum ad *Hafar*, tum ad hoſpitium quoddam, tum ad *Agla*, tum ad *Giaal*, poſtea ad *Madian*, tum ad *Arâ*, hinc ad hoſpitium quoddam, tum ad *Kelais*, tum ad *Sciab*, tum ad *Baidha*, tum ad *Vadi-alquora*, tum ad *Rhoba*, tum ad *Dhi-almorvæ* (virilem) tum ad *Mor*, tum ad *Sövaida*, tum ad *Dhi-Moſciob*, tum demum ad urbem *Jathreb* (vel *Medina*)

## *EX* V. *PARTE CLIMATIS* III.

*Arabia circa montem Sinai.*

A *Calzem* per oras maritimas ad *Faran-Ahron* habentur XL. M. P. Eſt autem urbs *Faran* ſita in imo ſinu quodam, e quo itur ad montem *Tur*, qui non procul diſtat a mari, ſed protenditur una cum illo, ita ut inter ipſum & mare pateat via trita. Mons vero iſte ſublimis eſt, con-

conſcenditurque gradibus, & in ipſius cacumine extat oratorium cum puteo aquæ fluentis, quam bibunt omnes viatores illac prætereuntes. A *Tur* ad *Masdaf* locum amœniſſimum, arenoſum, aqua limpida irriguum, ubi piſcatione capiuntur uniones. . . . . A *Masdaf* iſto ad *Sciarm-albait*, portum inaquoſum, & ab hoc ad *Sciarm-albir*, portum item abſque aqua Et ab hoc ad *Caput Abi-Mohammed*, portum quoque aqua carentem. Atque hic conſtituitur initium aſcenſus *Aylæ*. Eſt autem *Ayla* urbs modica, in quam Arabes recipiunt ſeſe, ſimulque converſantur. Tum ad *Aumed* portum aquoſum, quem reſpicit inſula *Noman* diſſita a continente X. M. P. Hinc ad portum *Tenna*, in quo non deeſt aqua. Ab hoc ad *Atuf*. Tum ad *Haura*, oppidum populoſum, nobilibus cultum incolis, qui etiam habent apud ſe fodinam, e qua excidunt ollas, & diſpenſant illas in omnes partes finitimas atque remotas. - - - - -

Ad littus maris rubri jacet urbs *Madian*, major quam *Tabuc*: & in ipſa extat puteus, e quo Moſes, cui pax, adaquavit gregem Scioaib. Ab urbe *Madian* ad *Ayla* habetur intervallum quinque ſtationum; & ab *Ayla* ad *Giar* viginti fere ſtationum - - - - - -

## *EX* III. *PARTE CLIMATIS* III.

*Media Ægyptus.* Qui autem egreditur ex *Metſr* ſecus ampliorem partem Nili intendens *Said*, proficiſcitur a *Foſtat* ad *Moniat-aſſudan*, quæ eſt ad occidentalem ripam Nili, diſtatque a *Metſr* 15 fere paſſ. Inde ad *Hema* parvum $\frac{20}{m}$. Tum ad *Hema* ex parte orientali $\frac{10}{m}$. Hinc ad *Fium* per plagam orientalem $\frac{20}{m}$. Tum ad oppidum *Junes* remotum a Nilo ad occidentem $\frac{2}{m}$. Ab hoc ad *Dohrut*, quæ jacet ad occidentem Nili, iter ſemidiei. Ab hac demum ad urbem *Cais* in parte occidentali $\frac{20}{m}$ fere.

## *EX* V. *PARTE CLIMATIS* III.

*Palæſtina* - - - At fines Palæſtinæ ſunt principium territorii Damaſceni, & ejus termini ex plaga occidentali protenduntur ſpatio quatuor dierum, nempe a *Romh* ad *Allagiun*. Latitudo v. ejusdem a *Jafa* ad *Eriha* (h. e Jericho) eſt bidui. Habitaculum autem gentis Lot, mare fœtidum & *Zogar* usque ad *Baiſan* & *Tiberiadem* vocantur *Ghaur*, quia videlicet eſt planities quædam inter duos montes. Omnes autem aquæ Damaſci dilabentes & in unum confluentes efficiunt flumen *Zachar*, cujus origo eſt ex mari Tiberiadis prope ipſam Tiberiadem: & omnes fluvii confluunt in illud, qualis eſt fluvius *Jarmuc* & *Had* & flumina *Baiſan*, & quicquid effluit e *Kuarmat* & ex *montibus Hieroſolymorum*, & monte *Cabr-Abrahim*, & quicquid etiam defluit de *Neapoli*. Hæc enim omnia ſimul concurrunt & labuntur in mare *Zogar*, quod appellatur mare *Sodum* & *Amur*, duarum urbium gentis Lot, quas Deus ſubmerſit, & earum locum redegit in mare fœtidum, quod vocatum eſt *mare mortuum*, quoniam nihil animatum in eo reperitur, neque piſces, neque reptile, neque aliud quicquam ex his, quæ generari ſolent in ceteris aquis conſiſtentibus aut excurrentibus: imo ejus aqua eſt calida & exoſi odori.s Sunt autem in illo parvæ naves, quibus iter fit per eas partes, deferturque commeatus. Occupatque mare iſtud LX. M. P. *longitudine* XII. *latitudine*. Ab *Eriha* ad *Zogar* habetur duarum iter dierum. A *Zogar* ad montes *Sciarah*, & ab his ad extremitatem *Sciarah* bidui quoque iter. Ab *Eriha* ad *Hieroſolymam* ſtatio. Ab *Hieroſolyma* ad *Ghaſan* & *Balca* tantundem itineris. A *Ramla* ad *Cæſaream* ſtatio non levis. A Palæſtina ad urbem *Aſcalan* ſtatio item grandis,

diſ, & inter *Aſcalan* & *Gaza* XX. fere M. P. A *Baiſan* ad *Aſcalan* orientem verſus XX. M. P. Ab *Ariſc* ad *Varada* diverſorium mari proximum, ſtatio una. A *Varada* ad *Farma*, urbem Damaſceno mari appoſitam, & lacui *Tennis* propinquam ſtatio item una. A prædicta *Aſcalan* maritima ad arcem *Machur* primam mari adjacentem XXV. M. P. reſpiciuntque hanc in mediterraneo *Kaum* & *Bait-Gebrail*, duo diverſoria. Tum ad *Machur* ſecundam, XXV. M. P. & ab hac ad urbem *Jafa*; eſtque hæc portus *Hieroſolymæ*, diſtantque ab invicem duabus levibus ſtationibus.

## *EX EADEM PARTE V. CLIMATIS* III.

*Paluſtina ſeptentrionalior ad Damaſcum uſque.*

A latere ſeptentrionali *Hieroſolymæ* nullum extat ædificium; ſed ab urbe Hieroſolyma ad urbem *Neapolim* ſeptentrionem verſus habetur iter bidui, & a *Neapoli* ad *Ramla* iter magnæ diei. It. ab *Hieroſolyma* ad *Amman* & *Balca*, iter bidui & amplius. Ab eadem quoque *Hieroſolyma* ad *Tiberiadem* nonaginta millia paſſuum. Et a *Tiberiade* ſimiliter ad *Ramla* tres ſtationes. *Tiberias* vero eſt maxima atque metropolitana inter urbes *Jordanis*. Ab hac ad *Sur*, iter duarum dierum. Et ab hac ad *Aſcenſum Ablac*, dies eſt integra. Ab hoc ad *Baiſan*, iter etiam diei minime juſtæ. Ab hac ad *Aanna* de terra *Ghaur*, tum ad terminos territorii *Jordanis*, indeque ad locum quendam, qui dicitur *Giamila*, iter diei. A *Tiberiade* ad *Acca*, duarum levium dierum; eſtque hæc urbs conſpicua, ſuper excelſo monte poſita, longa quidem in ſe, at non admodum lata, occupatque longitudine ſpatium duorum fere milliarium. Et infra ipſam ex parte occidentali eſt lacus aquæ dulcis habens in longitudine duodecim milliaria, totidemque in latitudine. At vero *Cæſarea* eſt regio maxima, habetque moenia integra & arcem munitam, & inter ipſam & *Jafa* habetur intervallum 30 milliarium. A *Cæſaria* ad *Neapolim*, ſtatio una. Et ſimiliter a *Cæſaria* ad *Ramla*, ſtationes duæ breves. It. a *Cæſaria* ad urbem *Hifa* maritimam, bidui eſt iter. *Hifa* autem jacet ſub promontorio *Karmel*, quod in mare procurrit, continetque portum navigiis grandibus aliisque opportunum. Et urbs *Hifa* eſt portus *Tiberiadis*, diſtantque ab invicem ſpatio levium ſtationum. Ab *Hifa* ad urbem *Acca*, itinere terreſtri habetur ſtatio una, nempe milliaria triginta: recto autem itinere maritimo milliaria decem & octo. Urbs *Acca* eſt magna terminis ampla, frequens pagis, habetque portum optimum ac fidum, cives convenas. Igitur ab *Acca* ad *Tiberiadem* bidui habes iter. Et ab *Acca* ad arcem Zait, pulchram mari appoſitam XII. M. P. Ab iſta arce ad *Navacquir* tres montes albos ſublimes & maritimis oris imminentes, fere XVIII. M. P. a mediis montibus *Navacquir* ad urbem *Alexandriam* V. M. P. Et ab *Alexandria* ad urbem *Sur* conſpicuam, litori maris adjectam XV. M. P. A *Sur* ad *Tiberiadem* iter duarum dierum non modicarum. Et ab hac ad *Adalon* arcem munitam, ſecus mare ſitam, indeque ad *Tſarfand* (Sarepta) arcem quoque pulchram XX. M. P. Inter *Sur* ac *Tzarfand* habetur flumen *Lanta*, quod naſcitur e montibus, ibique mari ſe mergit. A *Sur* ad *Damaſcq* quatridui habetur intervallum; Urbs autem *Damaſcq* eſt e nobiliſſimis regionibus *Scham* vel *Sciam*, ſitu pulcherrima, aëre ſaluberrima, ſolo fœcundiſſima, abundantiſſima aquis, frugibus opulentiſſima, fertilitate uberrima, ditiſſima opibus, militibus inſtructiſſima, ædificiis ſumme conſpicua: habetque montes atque arva, quæ vocantur Alghauta: protenditurque Alghauta ſpatio duarum ſtationum in longitudinem, unius in latitudinem: & continentur in ipſa pagi quaſi urbes, qualis eſt *Meza*, cum ſuburbiis ſuis, & *Barda*, *Harſenna*, *Kaucaba*, *Jalas*, *Caſuſanſana* & *Bait-alehua*: eſtque in hac oratorium non multum diſſimile oratorio Damaſci. Ad por-

portam Damaſci occidentalem habes vallem *Albenefsag*, quæ XII. M. P. occupat longitudine, III. latitudine, totam variis fructuum generibus conſpicuam & fluminibus quinque diſtinctam. Aquæ v. per *Alghauta* decurrentes exeunt e fonte *Alfaige*, qui ortum habet in cacumine montis; quare aquæ de ſummitate montis hujusce defluentes non ſecus ac magnus amnis, maximum edunt murmur. A Damaſco ad urbem *Balbec* in plaga ſeptentrionali, duæ habentur ſtationes: eſtque hæc urbs fœcunda ad radices montis appoſita. Ab urbe *Damaſco* ad *Bairut*, iter duarum magnarum dierum. Idemque iter ab ipſa ad urbem *Saida.* Item a *Damaſco* ad *Adreat*, quæ eſt *Bithynia* (*verſio hic vitioſa, credi poſſet potius Batanea*) ſtationes quatuor. Et a *Damaſco* ad *Neapolim* ſtationes ſex, occidentem verſus. A *Damaſco* etiam ad *Tripolim*, maritimam, ſtationes quinque.

*Syria* A *Seida* ad *Hemma*, ſecus mare conſtructam, eſt intervallum VIII. M. P. Ab hac ad arcem *Calmun*, mari adjacentem V. M. P. Ab hac ad arcem *Naamæ*, ad promontorium *Bairut* XXIV. M. P. Et ab hac ad *Demaſcq* iter bidui. Ab urbe *Bairut* ad arcem *Almoradeſiæ* VIII M. P. Hinc ad *Nahr-alcalb*, arcem parvam, ad mare appoſitam VI. M. P. Et ab hac ad arcem *Hunia* IV. M. P. Hinc ad *Afat-Salam.* Ab hac ad *Machur Gebail*, arcem fortiſſimam. Tum ad oſtium fluminis *Abrahim* III. M. P. Ab eo flumine ad urbem *Gebail* V. M. P. Ab urbe *Gebail* prope mare ad *Bathrun*, arcem pulchram X. M. P. Ab hac ad *Anf-alhagiar*, ſecus mare poſitam V. M. P. Ab *Anf-alhagiar* ad urbem *Tripolim* Syriæ VIII. M. P. Reſpiciunt urbem *Tripolim* quatuor inſulæ ordine diſpoſitæ. Prima continenti propinquior eſt inſula *Nargias*: conſequitur hanc inſula *Aloomd*; poſt hanc eſt inſula *Arraheb*: ad hanc poſtremo accedit inſula *Avadhcun.* Ab urbe *Tripoli* ſecus oras maritimas poſita, perges ad *Ras-alheſin*, ſitam in extremitate continentis cujusdam, cujus continentis longitudo recte ſupra extenditur ſpatio XV. M. P. ſin autem ſecundum ſinuoſos littoris flexus menſuretur, XXX. M. P. vocaturque continens *Arcqa*: Et intra continentem iſtam tres deprehenduntur arces, parum ab invicem ſemotæ; una Tripoli vicina, *Leonorus* appellatur: altera *Banina*, adjacetque fluvio cuidam, qui dicitur fluvius *Baninæ*; tertia vocatur *Heſn-alhamam.* Ab hac denique ad *Arcqa*, urbem populoſam, tribus milliaribus a mari diſſitam.

At vero terræ *Hems* metropolitana eſt Hems - - - - - -
Ab urbe *Hems* ad *Haleb* habentur ſtationes quinque. Et ab eadem *Hems* ad *Antarſum*, mari adjacentem, duæ ſtationes. Via vero ab *Aarcqa* ad *Antarſum*, per oras maritimas capienda eſt; egrediendum enim ex urbe *Aarcqa* ad arcem, quæ vocatur *Scenus*, poſtea ad urbem *Antarſum*, quæ quidem ſita eſt in extremitate vaſtæ cujusdam continentis, ſpatioſis montibus utplurimum occupatæ: ſecatur autem iſta continens XV. milliarium menſura recte ſumta: Porro *Antarſus* urbs eſt modica, ad mare appoſita, fortibus muris cincta: & non longe ab ipſa extat in mari magna quædam inſula, in qua habetur eccleſia. Ex *Antarſo* per meridionales mediterranei partes ad arcem *Alcheüabi*, ſummo in vertice montis collocatam, habes intervallum XV. M. P. Ab *Hems* ad *Demaſcq* ſtationes quinque: totidem ſtationes a *Tripoli* Syriæ ad *Demaſcq.* - - - - - - - -

## *EX PARTE* V. *CLIMATIS* IV.

*Syria circa exitum Orontis.* - - - Ab orientali parte hujus inſulæ habet initium *mare Syriacum*: & ubi hoc terminatur mari Damaſceno, extant illic prope littus ejus quædam prædictarum regionum, ſc. *Antarſus* (Antaradus) in oris maritimis extructa, quæ, quamvis modica ſit, vicos tamen habet frequentes, mercesque continuas. Ab hac ad caſtellum *Almarcqab*, ſitum in mon-

monte, undique inacceſſo, habetur ſpatium VIII. M. P. A caſtello *Almarcqab* ad urbem *Balinas* VIII. M. P. eſt autem diſſita *Balinas* a mari IV. M. P. A *Balinas* ad urbem *Giabala* ad mare appoſitam X. M. P. Ab hac ad *Ladhechia* X. M. P. Jacet hæc prope mare, habetque portum venuſtum, navibus atque cymbis eo confluentibus opportunum. A *Ladhechia* ad caſtellum *Herbade* XVIII. M. P. A *Herbade* ad caſtellum *Soüaidie* XV. M. P. *Sovaidia* mari adjacet, eſtque portus *Antachiæ*: diſtat a. *Antachia* a mari XII. M. P. Juxta *Sovaida* exonerat ſe flumen Antachiæ dictum *Alæatſi* & *Sovaida* flumini adjacet eidem, quod mutato nomine vocatur ibi *Alarbat*, cujus origo provenit e terra Damaſci, eo ex loco, ubi cum itinere coincidit via, quæ ducit ad *Alboraid*, & inde excurrens per *Hemts*, poſtea urbes *Hama* & *Saizar* attingens, alluit meridionalem partem *Antiochiæ*, tum in meridiem deflectens, perque eandem plagam excurrens, demum immiſcet ſe mari mediterraneo a meridionali parte *Sovaidæ*. A *Soüaida* ad montem *Ros-alchanzir* habentur XX. M. P. Et ſuper hunc montem ingens inſtructum eſt monaſterium; atque idem mons dat initium *Armeniæ* & terminum *Syriæ*. Ab iſto caſtello ad caſtellum *Roſos* juxta flumen quoddam ſub *Ras-alchanzir* æque poſitum, X. M. P. A caſtello *Roſos* ad caſtrum *Altebnat* XV. M. P. Ab hoc ad caſtrum *Almathcab* VIII. M. P. Hinc ad peninſulam *Alnatſa* X. M. P. Ab hac ad caſtellum *Almolavan*, XV. M. P. Inde ad *Carcas* XXV. M. P. Ab hoc ad *Corcos* XIII. M. P. atque ab iſto caſtro deprehenduntur margines inſulæ *Cypri*.

Ut autem cœpta reſumamus, dicimus ab urbe *Antiochia* ad *Cana* ſeptentrionem verſus haberi ſpatium trium ſtationum. Rurſus ab *Antiochia* ad *Scanderona*, caſtellum in oris maritimis poſitum, XLV. M. P. A *Scanderona* ad *Cabas*, modica ſtatio. A *Cabas* ad *Maſſiſam* eſt intervallum XL. M. P. *Maſſiſa* græce, dicitur *Mameſtera*; eſtque hæc duas in urbes diviſa, poſitas in ambabus ripis fluminis *Gihan*. Amnis v. *Gihan* trahit originem ſuam de terra *Romæorum*, & *Maſſiſam* primo alluens, deinde territorium caſtri *Almolaüan*, poſtremo exonerat ſeſe in mare mediterraneum. Eſt autem diſſita *Maſſiſa* a mari XII. M. P. Inter *Maſſiſam* & *Ainzarba* ſitam ab occidentali ripa fluminis *Sihan*, quod magnitudine inferius eſt amne *Gihan*, ſtationis habetur intervallum. Ab *Ainzarba* ad *Antiochiam*, ſtationes duæ; Ab *Adhana* ad *Tarſum*, aquilonem verſus ſtatio. Idem dicendum de caſtello *Arlas*, quod eſt portus ipſius. Ab *Arlas* ad *Seleuciam*, iter bidui. A *Seleucia* ad *Antaliam* IV. M. P. - - - - -

Via, quæ ducit ab *Antiochia* ad *Raccam*, per *Haleb* capienda eſt, nam ab *Antiochia* ad *Cqennaſerin* habetur XL. M. P. (hæc vero ſita eſt prope flumen *Coüaic*, quod cum ſit fluvius *Haleb*, pervenit excurrens ad usque *Cqennaſerin*, ac poſtea in lacum ſe mergit:) A *Cqvennaſerin* ad *Haleb*, cujus alluit portas flumen *Coüaic* XX. M. P. Ab *Haleb* autem duplex patet iter ad *Raccam*: Et unum quidem eſt ab *Haleb* ad *Nauria*, deinde ad *Choſciaf*, tum ad *Bales*, inde ad *Dauſer*, demum ad *Raccam*, quæ medium, ut prædiximus, obtinet locum in *Daiar-Motdhar*. Vocatur iſta græce *Balanicos*, continetque ſub ſe urbes *Bagervan*, *Harran*, *Roha*, *Sarug*, *Samoſat*, *Ras-ain*, (quæ hic *Ras-ain*, dicitur alibi *Ras-alain*) *Cafar-tutha*, *Taul-Mauran*, *Alrani*, *Niſibin*, *Aderma* & *Retſafa*. Itaque via, qua itur a *Racca* ad *Retſafa*, protenditur ſpatio XXIV. M. P. A *Ret-ſafa* ad *Maragha* XXIV. M. P. A *Marhaga* ad *Caſtel*, XXXVI. M. P. Tum ad *Salamiam* XXX. M. P. A *Salamia* ad *Hemts*, intervallum ſtationis nempe XXIV. M. P.

Aſſerimus præterea, in hac propoſita parte contineri fluvium *Eufratem* celeberrimum, qui adſcribitur in numerum ſex fluminum maximorum; ea vero ſunt: *Nilus*, *Daghele*, *Eufrates*, *Mehran Sindiæ*, *Hanges Indiæ*, *Baghanun* in *Sin*, & *Gihon* in *Choraſan*. Egreditur autem fluvius Euphrates ex intima terra Rumæorum, non procul a *Cazala*, e montibus quibusdam proximis *Cali-cala*: tum tranſiens per regiones Rumæorum, protenditur usque Euphrates. ad

ad *Camch*, indeque fluit usque ad *Malattia*, ita ut *duobus* tantum *milliaribus* diſtet ab illa: labitur deinde a *Samoſat*, atque illinc ferre incipit naves usque ad *Baghdad*. A Samoſat poſtea excurrit per meridiem, declinans ad Orientem, usque ad oras maritimas *Harian*: inde ad pontem *Sobcha*: tum ad *Raſecam* & *Raccam*, quæ orientali ab ejus ripa jacet, alluens, attingit *Mohammediam* ab occidentali ejus parte: inde ad *Chabucam*: poſtea ad *Cqercqiſiam*, ibique cernitur oſtium fluminis *Alchabur*: deinde ad *Rahabat-Malec*: illinc ad *Dalia*: tum ad *Aana*: ad *Hit*: ad *Enbar*: indeque defluit ad amnem *Iſa*, ad *Baghdad*. Jacet autem Baghdad ſecus *Tigrim*. Reliqua vero pars *Euphratis* fluens e Rahaba, e tergo deſerti, in varia dividitur brachia, quorum unum pergit ad *Tſarſar*, aliud ad *Alcatſr*, aliud etiam ad *Sura*, quartum denique ad *Kufam*, & omnia iſta brachia varios in lacus ſeſe immergunt.

*Syria extrema versus ſeptentrionem.*

Porro urbs *Malattia* fortis eſt, diſtatque a *Samoſat* LI. M. P. Inter Samoſat & Malattiam parva civitas conſpicitur *Hetſn-Manſur* vocata: Eſt autem diſlita a *Samoſat* unius intervallo ſtationis, nempe XXII. M. P. A *Malattia* vero XXX. M. P. Deinde ad *Zabtara*, XV. M. P. Verum a *Manbeg* ad *Malattiam* eſt iter quinque dierum. Et a *Manbeg* ad *Samoſat* iter bidui: nec longe ab illa jacet urbs *Sobcha*. Item a *Manbeg* ad *Maraasc* triduo ambulabis. A *Manbeg* ad *Hadeth*, biduo. A *Hadeth* ad *Maraaſc*. diæta una. Similiter a *Manbeg* ad *Haleb* tres tibi conficiendæ ſtationes. A *Manbeg* ad *Cures*, duæ ſtationes: A *Cures* ad *Haleb* diæta una. A *Haleb* quoque ad *Hemts*, diætæ quinque. Pari etiam ratione ab *Haleb* ad *Maarram*, quæ dicitur *Maarat-alneaman*, de territorio *Cqennaſerim*, diæta magna.

## *EX VI. PARTE CLIMATIS* IV.

*Meſopotamia & Tracia.*

Continet hæc pars ALGEZIRA, cujus urbes *Racca Raſeca*, *Chabuca*, *Bageruan*, *Aaraban*, *Socna al abbas*, *Talban*, *Tancqvir*, *Mohammedia*, *Qverquiſia*, *Rahaba*, *Dalia*, *Aana*, *Hit*, *Zab*, *Enbar*, *Tſarſar*, *Alcatſr*, *Sura*, *Kufa*, *Melcaſſin*, *Sengiar*, *Hadhar*, *Mauſel*, *Balad*, *Geziret-ebn-Omar*, *Barcaid*, *Adrama*, *Niſibin*, *Raſalain*, *Maredin*, *Rohha*, *Harran*, *Sarug*, *Herian*, *Herbas*, *Batri*, *Hini*, *Amed*, *Benbu*, *Qvelſabar*, *Qverdiſamidi*, *Maëliana*, *Suc-alahad*, *Haditha*, *Sorr*, *Barema*.

ARAC, cujus *Tharthar*, *Zura*, *Sorramanrai*, *Aalab*, *Harib*, *Ocbara*, *Baghdad*, *Hailun*, *Rauha*, *Nahrouan*, *Giargiaja*, *Dogiail*.

Iter a *Bagdad* ad *Raccam*.

Bagdad $\frac{12}{m}$ Sailohim $\frac{24}{m}$ Embar $\frac{21}{m}$ Zab $\frac{36}{m}$ Hit. Hæc jacet e regione *Tacrit* ad latus orientale, *Tacrit* in parte Arac ſeptentrionali jacet ad ripam occidentalem.

Hit $\frac{21}{m}$ Nauſia inſula Euphrate circumflua $\frac{21}{m}$ Daſſa $\frac{21}{m}$ Anat $\frac{21}{m}$ Dalia $\frac{30}{m}$ Rahabat-Malecben-Tauc ab orientali latere Euphratis ſita. Rahabat 2 ſtat. Al Chabur 2 ſtat. Kerkiſia, quæ ad orientale latus Euphratis, infra quam fl. Harnas vel Alchabur ſe exonerat. Kerkiſia 2 dies Chabuca vel Chaluca 2 ſtat. Racca.

Aliud iter a *Bagdad Raccam*.

Bagdad ad Nauſia ut ſupra. Unde ab oriente Euphratis & dextrorſum progrediendo: Nauſia $\frac{21}{m}$ Vaſſa $\frac{18}{m}$ Agima $\frac{18}{m}$ Hincad Doracqui $\frac{18}{m}$ Fardtha $\frac{15}{m}$ Vadialſebaa $\frac{21}{m}$ montes Kerkiſia $\frac{24}{m}$ Soaid $\frac{42}{m}$ Giardan $\frac{33}{m}$ Mabrac $\frac{24}{m}$ Racca.

Summa totius itineris $\frac{372}{m}$.

Aliud iter a *Bagdad Raccam*

Bagdad ad Thartar. Thartar $\frac{15}{m}$ Ocbar $\frac{9}{m}$ Bageſa $\frac{21}{m}$ Cadeſia $\frac{9}{m}$ Sorramanrai $\frac{6}{m}$ Karch $\frac{18}{m}$ Halitha oppidum magnum $\frac{15}{m}$ Senn, prope quam *Zab* fluv. *minor* ſe exonerat. (Senn a Tacrit $\frac{40}{m}$) Senn a Baureh. $\frac{12}{m}$ Senn Haditha $\frac{36}{m}$.

Hæc ad orientale litus Tigris, in ea oſtium *Zab-majoris.* Decimo inde mill. *mons Carema*, & prope montem *Gilon* urbs. Pariter circa Zab eſt *Rauha* urbs Armeniæ. Duo Zab fluvii in unum coaleſcentes æquant dimidiam partem Tigris. Haditha $\frac{21}{m}$ Ben Tamian $\frac{21}{m}$ Tacrit. *Tacrit* ad *Mauſel* duæ ſtationes leves, *Tacrit* ad *Racca* 9 ſtationes per regionem *Rabiaa.* *Mauſel* ad *Balad* $\frac{21}{m}$ Balad ad occident. ripam. Tigris ut etiam Mauſel.

Iter a *Mauſel Niſibin.*
Mauſel $\frac{21}{m}$ Balad $\frac{18}{m}$ Maëliana $\frac{18}{m}$ Barcaid $\frac{18}{m}$ Adrama $\frac{15}{m}$ Tal Nadaſa $\frac{12}{m}$ Niſibis.

Iter a *Niſibi Raccam.*
Niſibis $\frac{15}{m}$ Dara $\frac{21}{m}$ Cafartutha $\frac{15}{m}$ Alchabur $\frac{18}{m}$ Caſtellum Maslema $\frac{21}{m}$ Bagervan $\frac{9}{m}$ Racca.

Iter a *Niſibi* ad *Majafarecqvin.*
Niſibis $\frac{39}{m}$ Caſtellum Ebn Baree $\frac{18}{m}$ Talcoraa $\frac{21}{m}$ Amed. Ab hac tranſito Tigri 2 ſtat. ad *Majafarecqvin.*

Iter ab *Amed* ad *Racca.*
Amed $\frac{77}{m}$ Samoſat $\frac{15}{m}$ Tal Mauran $\frac{18}{m}$ Herian $\frac{15}{m}$ Tameeda $\frac{21}{m}$ Caſtellum Giallab $\frac{12}{m}$ Roha $\frac{12}{m}$ Harran $\frac{12}{m}$ Bagera $\frac{21}{m}$ Bagervan $\frac{9}{m}$ Racca.

Iter a *Balad* ad *Racca.*
Balad $\frac{15}{m}$ Talachair verſus occidentem $\frac{21}{m}$ Sengiar $\frac{15}{m}$ Ain-Algebal $\frac{21}{m}$ Seccat Alabbas, cum Chabur fluv. $\frac{15}{m}$ Alnahrain pariter ad Chabur $\frac{18}{m}$ Macheſin pariter ad Chabur $\frac{15}{m}$ Kerkiſia ad Chabur & Euphratem 4 ſtat. Racca. *Racca* & *Rafeca* ſunt duæ urbes, quæ licet conjunctæ videantur, ſunt tamen multorum cubitorum ſpatio ſeparatæ.

Diſtantiæ quædam:
Samoſat $\frac{90}{m}$ Niſibin
Niſibis 3 ſtat. ad Raſalain.
Harran Raccam. 3 Diæt.
Harran ad pontem Manbeg. 2 diæt.
Samoſat ad Roha 3 ſtat.

# CAPITIS XI.

## TAB. I.

| | *Diſtantiæ quædam ASIÆ, ulterioris præſertim & citerioris pro examine typi 2 vel mappæ 3 ſervientes.* | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| I | Seleucia, np. quæ ad Tigrim, a capite Meſopotamiæ Euphratem navigantibus | 1125 | | 1125 |
| | a rubro mari | 320 mill. R. | *Plin.* VI. 26. | 320 |
| | a Zeugmate | 527 | | 527 |
| | Babylon a Seleucia Intra | 90 mill. R. | *Plin.* VI. 26. | |
| | varia lectio | 40 | | |
| | Tab. Peutinger. | 44 | | |
| | | 300 ſtad. | *Strab.* | 37½ |
| | Babylone ad Perſicum mare, navigantibus Euphratem | 412 m. Rom. | *Plin.* VI. 26. juxta *Oneſicritum* & *Nearchum.* | 412 |
| | | 3300 ſtad. vet. | *Arrianus* in Periplo *Nearchi* | 225 |

*CAP. XI.* *TAB. I.*

| | | | | Mill. Rom. |
|---|---|---|---|---|
| | Babylone ad oſtia Euphratis & Teredonem | 3000 ſtad. | *Strabo* | |
| | Babylone Characem juxta Jubam | 175 mill. R. | *Plin.* VI. 26. | |

*OBSERVANDA.*

Si apud Arrianum intelligerentur 3300 ſtad. recent. ea forent 412 mill. Rom. præciſe, ut Plinio placet. At vero intelligenda eſſe ſtadia vetera ex reliquo toto contextu Arriani patet, unde exurgunt 225 mill. Rom. Et *Plinius* lapſus eſt ignoratione legitimæ reductionis ſtadiorum, ac diſcriminis inter ſtadia diverſarum ætatum.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| II | Seleucia ad mare Perſicum | 490 m. R. | *Plin.* VI. 26. | 490 |
| | Item Tigrim navigantibus | 320 m. R. | *Idem* eod. cap. | 320 |
| | Seleucia Characem | 318 m. R. | *Tabul. Peuting.* | 318 |

*OBSERVANDA.*

Videtur nova aliqua Charax intelligenda, quæ mutato fluminum ſtatu inferiori loco ad novum oſtium condita.

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| III | Inter duo oſtia fluviorum | 25 mil. | *Plin.* VI. 27 | |
| | aliis | 7 | | |
| | Minima diſtantia fluviorum Euphratis & Tigris circa Seleuciam fere & Babylonem | Paul. ſup. 200 ſt. | *Strabo* L. XVI. | |
| | Diſtantia eorundem prope Opin pagum & Semiramidis murum | 200 ſtad. | *Idem* L. I. | |
| | Cteſiphon a Seleucia | 3 mill. R. | *Idem* VI. 26. | |
| | Suſa a Babylone | 4900 ſtad. | *Strabo* | 612 |
| | forſan | 3900 ſtad. | | 487 |
| | a Seleucia | 450 mill. R. | *Plin.* VI. 27. | 450 |
| | ab Ecbatanis | 450 m. R. | *Idem ibid.* | 450 |
| | a mari | 250 m. R. | *Idem ibid.* | |
| | a vico Aphle, ad quem ſubiit claſſis Alexandri M. inde a Paſitigri | 65 m. R. | *Plin.* VI c. | |
| | Ora Suſiana à Perſiæ finibus ad Tigris fere oſtia | 3000 ſtad. | *Strab.* XVI. | |
| | Paſitigris ad fl. Orvate | 2000 ſtad. | *Strab.* XV. | |
| | Charace ad fl. Orontem | 240 m. R. | *Plin.* VI. c. 27. | |
| | Ecbatana a Seleucia | 300 m. R. | *Tab. Peuting.* | |
| | item | 750 | *Plin.* VI. 14. | |
| | a portis Caſpiis | 20 | *Idem* | |

*CAP. XI.* *TAB. I.*

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| | ***OBSERVANDA.*** Uterque poſteriorum numerorum Plinianorum in ſphalmate cubat. Videtur pro priori ſcribendum 450. Totidem enim præciſe ductum Iſidori ſequamur, inter utramque urbem. | | | |
| | | | | Mill. Rom. |
| IV | A portis Caſpiis ad Hecatompylon | 133 mill. R. | *Plin.* VI. c. 15. & 17. | |
| | Anguſtiæ portarum Caſp.<br>In iis manu facta ſemita | 38<br>8 } mill R. | *Idem ib.* | |
| | A portis Caſpiis ad Indiæ initium juxta Alexandrum | 15680 ſtad. | *Plin.* VI. 15. | 1069 |
| | Ab iisdem ad Bactra oppidum, quod Zariaſpa appellant | 3700 ſtad. | | |
| | potius | 13700 ſtad. | | 934 |
| | Bactris ad Jaxartan amnem | 5000 ſtad. | | 341 |
| V | Ex Eratoſthene juxta *Strabon.* L. XI. | | | |
| | A Cyro fl. ad Caſpias portas | 5600 ſtad. rec. | | 700 |
| | Inde ad Alexandr. Ariorum | 6400 | | 800 |
| | Inde Bactra | 3870 | | 484 |

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| VI | Ex Diogneti & Betonis menſorum Alexandri relatione; recenſente *Plinio* VI. 17. | | Ex Eratoſthene recenſente *Strabo* L. XI. | |
| | A portis Caſpiis ad Hecatompylon | 133 mill. R. | 1960 ſtad. vet.<br>1960 ſtad. rec. | 133 mill. R.<br>245 m. R. |
| | Inde Alexandriam Ariorum | 565 | 4530 ſtad. rec. | 566 m. R. |
| | Inde Prophtaſium Drangarum | 199 | 1600 ſtad rec. | 200 |
| | Inde ad Arachoſiorum oppidum | 515 | 4120 ſtad. rec. | 515 |
| | Inde Orthoſpanam | 250 | 2000 ſtad. rec. | 250 |
| | Inde Alexandri oppidum, ſub ipſo Caucaſo, Paropamiſſo poſitum vel ab Orthoſpana ad Indiæ initium | 50 | 1000 | 125 |
| | Ab eo ad fl. Chepta & oppidum Peucolaitin | 227 | | 227 |
| | Inde ad fl. Indum & urbem Taxila | 60 | | 60 |
| | Inde ad Hydaſpen fl. | 120 | | 120 |
| | Inde ad Hypaſin fl. majorem illo | 390 | | 390 |

*CAP. XI.* *TAB. I.*

| Ex *Agathemero* I. c. 4. | | Mill. Rom. |
|---|---|---|
| Ab Euphrate ad Mazacam Cappadociæ | 2550 ſtad. vetera intellige | 175 |
| Mazaca Epheſum | 3320 | |
| *OBSERVANDA.* Videntur integra alia 3320 ſtad. deeſſe. Nam diſtantia 2550 ſtadiorum Mazacæ ab Euphrate quum exacte quadret, ſi vetera intelligantur, probabile facit indicium, etiam 3320 ſtadia vetera intelligenda eſſe. Atqui præciſe duplum hujus numeri efficit diſtantia Epheſi & Mazacæ. Forſan negligentia amanuenſium ob ſimilitudinem numerorum membrum aliquod, verbi gratia, inter Mazacam & Synnadam, Synnadamque adeo & Epheſum diſtantiam notans omiſſum. | | |
| Ex *Strabone* L. XIV. iter tritum ab Epheſo ad Euphratem | | |
| Epheſo per Magneſiam, Tralles, Nyſam, Antiochiam ad Carura Cariæ & Phrygiæ limitem | 740 ſtad. | 92½ |
| Hinc Phrygia per Laodicæam, Apameam, Metropolin & Chelidonios ad initium montani tractus, quo Holmi ſunt | 920 | 115 |
| Per Philomelium ad Tyriarium, qui eſt limes montanorum ad Lycaoniam | 500 & plus | 62½ |
| Inde Lycaonia per Laodicæam combuſtam ad Coropaſſum Lycaoniæ | 840 | 105 |
| Inde ad Garſaura oppidulum Cappadociæ in ipſis ejus finibus | 120 | 15 |
| Inde Goandum, Sadacora, Mazaca primariam Cappadociæ | 680 | 85 |
| Inde per Herphenſe oppidulum ad Euphratem & Tomiſum Sophenæ pagum | 1440 | 180 |
| Summa omnium | 5240 | 655 |
| Mazuca vel Cæſarea Cappadociæ a mari, nempe proximo, Ponto Eux. | 800 ſtad. *Strab.* | 100 |

# CAPITIS XI.

## TAB. II.

| *ARRIANUS* in Paraplo *Nearchi* | Summæ | *MARCIANUS HERACLEOTA* in Periplo | Summæ |
|---|---|---|---|
| Ab oſtiis Euphratis ad Babylonem | 3300 | | |

CAP. XI. TAB. II.

| ARRIANUS | Summæ | MARCIANUS HERACLEOTA. | Summæ |
|---|---|---|---|
| SUSIA | | SUSIA | |
| Oſtium Euphratis. Pagus *Diridotus* | | Orientale oſtium Tigris. | |
| | | 80 | |
| | | Vallum Spaſini. | |
| 900 | | 700 | |
| In alto. | | Oſtia Magæi fl. | |
| 600 | | 400 | |
| | | Sinus Pelodes, cœnoſus. | |
| | | 6 | |
| Cataderbis Lac. *Margaſtana Inſ.* | | Eulæi fl. oſtia, ad quem Suſa in mediterraneis. | |
| 500 | | 450 | |
| Aroſis fl. maximus reliquorum | | Tenagos arenoſum in oſtiis Oroatis fluvii | |
| *Suſiorum ora ad Paſitigris oſtia.* In textu | 2000 | *Suſianæ litora.* In textu | 3430 |
| PERSIA. | | PERSIA. | |
| Aroſis fl. | | Oroates, Oratius fluv. | |
| - - - - - - forſan 160 | | 500 | |
| Brizana fl. exiguus | | | |
| 400 | | | |
| Rogonis fl. exiguus | | | |
| 200 | | | |
| Taoce ad Granidem fl. 200 ſtad. interius | | Taoce promont. *Oce* | |
| 200 | | 700 | |
| | | Ragomanes fl. In via inſ. Sophtha. | |
| | | 500 | |
| Meſambria Cherſoneſ. *Padarus* fluviolus. | | Cherſoneſus. *Inſula Alexandri* ei adjacens. | |
| Noctis vel diei navigatio. | | | |
| Hieratis opp. *Heratemis* fl. | | | |
| 750 | | 650 | |
| Sitacus fl. Sitiogagus Plinio, ad Paſargada usque navigabilis | | | |
| 800 | | | |
| Gogana regio. *Areon* fl. vel torrens. | | Briſoana fl. | |
| 600 | | 600 | |
| Sinus pagis frequens. | | | |
| 400 | | Auſinza | |
| Apoſtani pagus | | | |
| 450 | | 450 | |
| Ochus M. | | Bagradas fl. | |
| * | | | |
| Inſula margaritifera. | | | |
| 40 | | | |
| Ila, locus inſ. *Caicandro* objectus. | | | |
| 400 | | | |
| Perſidis fines. *Catæa* Inſ. | | | |
| *Summa* oræ Perſidis | 4400 | *Perſidis litora* | 3400 |

CAP. XI. TAB. II.

| *ARRIANUS.* | Summæ | *MARCIANUS HERACLEOTA.* | Summæ |
|---|---|---|---|
| CARMANIA. | | CARMANIA.<br>Bagradas fl. Perſiæ lim.<br>300 | |
| | | Dora<br>500 | |
| Catæa inſ. Carmaniæ & Perſiæ limes<br>300 | | | |
| Tarſias Promont.<br>300 | | Chatrapis fl.<br>700 | |
| Pylora Inſ. *Sydodone* urbecula<br>** | | Corius fl.<br>400 | |
| Inſ. 300 ſtadiis a continente<br>400 | | Achindana fl.<br>500 | |
| Portus in Oaracta inſ. 800 ſtadiorum longitudinis exiſtente.<br>200 | | Addanus fl.<br>400 | |
| Inſ. Oaractæ extremum. Organa inſ. deſerta.<br>300 | | Sagani fl.<br>200 | |
| Harmuzeja urbs. *Anemis* fl.<br>100 | | Armozuſa urbs.<br>800 | |
| Neoptana<br>700 | | Armozon Prom.<br>750 | |
| Litus deſertum Arabiæ promontorio Macetæ objectum<br>800 | | Carpella prom. & M. Strongylos vel Semiramidis. | |
| Badis locus cultus Carmaniæ.<br>* | | | |
| Fines Carmaniæ & Ichthyophagorum. | | | |
| *Longitudo navigationis juxta Carmaniam* | 3700 | *A Bagrada ad Carpellam Carmaniæ litus* | 4250 |
| ICTHYOPHAGI litorales, mediterranea GEDROSIS tenentibus | | CARMANIA DESERTA. | |
| Limites Ichthyophagorum<br>1100 | | Carpella. Initium *Sinus Paragon* ad promont. Alambater extenſi.<br>1000 | |
| Dagaſira<br>300 | | | |
| Troeſi<br>800 | | Cancatis.<br>250 | |
| Canates<br>750 | | Agriſa<br>600 | |
| Locus ſtationis in mari, Diei & noctis navigatio | | | |

CAP. XI. *TAB. II.*

| *ARRIANUS.* | Summæ | *MARCIANUS HERACLEOTA.* | Summæ |
|---|---|---|---|
| | | Ommana emporium | |
| | | 150 | |
| Canaſida urbs deſerta. | | Rhogana | |
| 400 | | * | |
| | | Salarus fl. | |
| | | 200 | |
| Talmena portus. | | Phaſis urbs. | |
| | | 200 | |
| | | Samydace | |
| 1000 | | 500 | |
| | | Samydacus fl. | |
| | | 400 | |
| Parvum oppidum | | Tiza, Teſa. | |
| | | 200 | |
| | | Hydriacus fl. | |
| 500 | | 400 | |
| | | Caſia promont. | |
| | | 250 | |
| Cuiza, Cyiza. | | Cuiza | |
| 800 | | 400 | |
| | | Alambatira prom. Inſ. Polla in alto. Inſ. Ziba ad ipſum prom. | |
| | | *A Carpella Alambatira* | 1700* |
| | | 250 | |
| | | Derenobilla. Carminna Inſ. | |
| | | 250 | |
| Cophanta portus. | | Cophanta portus | |
| 400 | | 200 | |
| Dendrobuſa | | Zorambus fl. | |
| 200 | | 250 | |
| Barna vicus | | Badara | |
| 400 | | 300 | |
| Litus Balornum | | | |
| 750 | | | |
| Muſarna | | Muſarna | |
| | | *A Carpella ad Muſarnam* | 5350 |
| | | *A Bagrada ad Muſarnam* | 1200 * |
| | | GEDROSI. | |
| Moſarna ad promontorium ultra in mare 150 ſtadiis procurrens. | | Muſarna. | |
| 150 | | | |
| Carbis litus, *Cyſa* pagus. | | | |
| 200 | | | |
| Calami. Inſula 100 ſtad. a litore *Carmine* | | | |
| 600 | | | |
| Rupes in mare procurrens. *Colta.* | | | |
| 200 | | | |

CAP XI. TAB. II.

| *ARRIANUS.* | Summæ | *MARCIANUS HERACLEOTA.* | Summæ |
|---|---|---|---|
| Bagiſara. Paſira pagus. | | | |
| 600 | | | |
| Melana. | | | |
| *Ichthyophagorum oræ Sum̃a* | 10000 | | |
| ORITÆ. | | | |
| Melana. | | | |
| 300 | | | |
| Tomerus fl. | | | |
| 500 | | | |
| Cocala. Ubi Leonnatus Oritas vicit. | | | |
| 200 | | | |
| Cabana, | | | |
| 300 | | 1300 | |
| Pagala | | | |
| 200 | | | |
| Arabii fl. fauces. | | Arabius, Artabius fl. | |
| *Summa ab Oritarum finibus.* | 1600 | | |
| ARABII extremi Indorum. | | 550 | |
| Arabius fl. | | | |
| 120 | | | |
| Inſ. ἀνώνυμος | | Rhaprava | |
| 70 | | 500 | |
| Morontobari, fœminarum portus. | | Mulierum portus. Vici Arbitarum. | |
| 300 | | 400 | |
| Sacalo. Locus deſertus. | | | |
| ** | | | |
| Saranga | | Cojamba. Initium PATALENES. | |
| 300 | | | |
| Locus aquationis | | | |
| 20 | | | |
| Sabuloſum litus. Inſula Domæ. | | | |
| 60 | | | |
| Portus Alexandri. Inſ. Bibacta. M. Irus | | | |
| ** | | | |
| Crocala Inſ. in limit. Arabiorum & Indorum. | | | |
| 150 | | | |
| Ad foſſam, per quam naves traductæ | | | |
| 5 | | | |
| Coreatis. Unde non longe Indi oſtia. | | | |
| 20 | | | |
| Caumana alveus. | | | |
| 30 | | | |
| Alveus magnus Stura. | | *A Muſarna ad Rhizanam* | 3800 |
| 100 | | | |
| Nauſtathmus portus | | | |
| *Summa ab Arabiorum finibus.* | 1000 | | |

*OBSERVANDA.*

E diſcrepantibus horum autorum ſententiis elegimus ſequentes.

| | |
|---|---|
| Litora Suſianæ ad Oroatem. | 2340 ſtad. vet. |
| Perſidis ad Bagradam. | 4400 |
| Carmaniæ ad Harmoziam | 3000 |
| Carmaniæ ad Carpellam promontorium & Badin. | 1600 |
| Fines Ichthyophagorum. | 10000 |
| Oritarum. | 1600 |
| Litora Indiæ ad Nauſtathmum. | 1000 |

Diverſam paulo & ſuccinctiorem narrationem habemus apud *Plinium* L. VI. c. 23 omnino conferendam. In qua tamen mirum, quod conqueratur, Nearchi & Oneſicriti navigationem nec nomina habere ſtationum, nec ſpatia, cujus contrarium videmus apud Arrianum, Nearchi commentarios ipſos edentem.

# CAPITIS XI.

## TAB. III.

| *Ex HERODOTI* L. V. *Iter ad Suſa.* | Stathmi | Paraſang. | Stadia |
|---|---|---|---|
| Epheſo ad Sardes - - - - - - - - | - - - | - - - - | 540 |
| Sardibus per Lydiam & Phrygiam. | 20 | 90½ | |
| Super Halyn fl. & portas ad Halyn, per Cappadociam ad fines Ciliciæ. | 28 | 104 | |
| Per duplices Ciliciæ portas ipſamque Ciliciam ad Euphratem. | 3 | 15½ | |
| Super Euphratem per Armeniam, & ſuper fl. Tigrim primum, ſecundum, ac tertium, ac demum Gyndem. | 15 | 56½ | |
| Ex Armenia in terram Mantienam vel Matienam | 4 | | |
| In regionem Ciſſiam ad fluvium Choaſpen, ſuper quo Suſa & regia Memnonium. | 11 | 42½ | |
| Summa Sardibus ad Suſa juxta textum Herodoti. | | 450 | |
| vel 30 ſtadiis juxta eundem in paraſangam computatis. | | | 13500 |
| Unde Epheſo Suſa. | | | 14040 |

*OBSERVANDA.*

Stationes quasdam & numerum Stathmorum, ac Paraſangarum his reſpondentium, nempe ad 137, deficere manifeſtum. Quomodo autem hic defectus ſupplendus veniat, præſentis operæ non eſt, judicium noſtrum interponere. De difficultate ſaltem, quæ ex totius hujus loci contextu oritur circa menſuram ſtadiorum, quibus Herodotus utitur, in textu noſtræ tractationis ejusque proœmio diximus.

PAR-

# PARTIS PROŒMIALIS
## CAPITIS XII.
### PARS. I.

Inſtituti ratio.

CUm in delineatione regionum Davidicum regnum contingentium vel maxime comparere debuerit ea, quæ inter illud atque Ægyptum interjicitur, in quod ſpatium incidit tractus, quem Iſraëlitæ Moſis ductu ex Ægypto egreſſi, & in Palæſtinam iter inſtituentes, peragrarunt: fieri non poterat, quin de ejus conſtitutione aliquid annotaretur in mappa.

Negari autem non poteſt, eas, quæ hactenus propoſitæ extant, ejus itineris deſignationes nobis ſiſtere non niſi fœtus imaginationis manifeſto corruptæ hominum, qui & judicio & ſubſidiis deſtituti ſufficere crediderunt, temere absque omni fundamento aut ratione in chartam, quodcunque libuiſſet, conjicere, tanquam cum pueris res eſſet, adeo ut majoribus eos erroribus in figura, quam ipſos Iſraëlitas in deſerto in vertiginem actos dicere quis valeat. Unde argumento ſimili tractando tanquam ignobili abſtinendum eſſe erectioris animi viris videri poterat, niſi vacuum relinqui in mappa noſtra cum invenuſtate aliqua conjunctum videri potuiſſet.

Proteſtatio.

Sed dum conjecturas noſtras de hujus itineris ratione proponimus, initio ſtatim proteſtamur, cum nemine nos ſuper iis vel minimum certaturos, aut contentionis ſerram alternaturos, paratos utpote cuilibet ſuam ſententiam relinquere, etiam aliis haud invitos concedere.

In tranſitu etiam cum hæc ſolum a nobis expedienda veniant, ſtrictimque tantum de iis agere conſtitutum ſit: brevibus ſaltem poſitionibus, quæ iter illud Iſraëlitarum per illum tractum anteceſſerunt, exhibebimus, tum iter ipſum in tabula ſynoptica ex ipſis ſacri textus verbis concinnatum proponemus, demumque obſervata quædam circa illam tabulam jungemus, in quibus hypotheſis noſtra proponetur.

I. De Principiis, & quæ iter anteceſſerunt. 1: Poſitiones locorum.

Primo adeo præſupponimus, quæ de diſtantiis locorum & figura regionum harum, *Heroi*, *Phacuſæ*, *ſinus Heroopolitani* &c. *poſitionibus* in mappa exhibuimus, tanquam eum certitudinis vel probabilitatis gradum, quem hoc genus veritates attingere poſſunt, habentia. Quibus admiſſis,

II. Tanis.

Conſtat 2) regionem, in qua Iſraëlitæ ante ſuſceptum iter morati fuere, extitiſſe circa *Tanim*. Tzoan enim eandem fuiſſe, ac Tanim, nemo dubitat; in agris vero Tzoan miracula, quæ Moſes inter Iſraëlitas patravit, edita manifeſtum eſt ex *Pſalmo* LXXVIII. ℣. 12. & 43.

An ſedes regia tempore illo Tanis fuerit, non eſt hujus loci diſquirere. Certe e dynaſtia Tanitarum regum, quæ in *Catalogo Æpyptiorum* regum ampliſſimo *Manethoniano* exhibetur, extitiſſe regem, cum quo Iſraëlitis res fuit, minus eſt probabile. Poſteriori enim longe ætate, ſi Chronologiæ illius catalogi fides ſua conſtat, illæ dynaſtiæ, quæ a Tanitis inſcribuntur, fuere. Ex dynaſtia potius Dioſpolitanorum vel Thebæorum eum extitiſſe oportet, ſi ſententiis autorum fere omnium ſtandum ſit, quamvis, cujus nominis, & quinam in ordine fuerit, non conveniat.

Interim tamen cum Moſen ab Iſraëlitica matre expoſitum a filia Regis conſpectum fuiſſe memoretur *Exod.* II. ℣. 5. videtur hoc innuere, non longe ab Iſraëlitarum ſedibus abfuiſſe Regiam. Nimis enim longe in Ægypto & ad Memphim usque ſparſos fuiſſe Iſraëlitas, haud credibile.

Fieri tamen potuiſſe, ut reges ex ipſa dynaſtia Thebæorum ſedem in Tani urbe per aliquod tempus habuerint, non eſt plane improbabile. Ut volunt alii, pluribus tunc regibus

bus paruit Ægyptus diverſas ſedes habentibus. Cujus ſententiæ fundamentum extat apud *Euſebium* & in *Chronico Alexandrino*, quibus memoratur *Palmanothes Heliopolis Rex*, qui filiam ſuam *Merrhin Cenephræ* alii Moſis tempore circa Memphim regnanti in matrimonium dederit. Sed hæc aliis diſcutienda relinquimus.

III. Goſen. Potius 3) de *Goſen* dicendum eſt, quam Iſraëlitarum ſedem expreſſe memorari notiſſimum eſt. Hanc pro *Phacuſa* ut habeamus, rationes ſunt:

(1) Affinitas nominis, præſertim ſi, quod Vir eruditiſſimus obſervat, vox ea ſcribi potius debet, Καισα, Κισσα, quia Ægyptii litera g carent, eamque Ægyptiam eſſe, quod non fit absque ratione, ſtatuatur. Quamvis eam etiam Ebræam potius quam Ægyptiam, & appellativam potius, quam propriam eſſe credi poſſit ex eo, quod & alia Goſchen occurrit in Philiſtæorum regione. Forſan tamen hæc ob ſimilitudinem aliquam bonitatis ſoli ſic dicta, vel quod utraque in plano fuerit ſita, quemadmodum tota Philiſtæorum regio reſpectu Judæ tribus vicinæ, quæ tractum montanum occupabat, planior extitit, & planiciei nomen habuit etiam poſterioribus temporibus.

(2) Conditio regionis. Fertilis enim eſt ob viciniam Nili, inque introitu Ægypti, in quo locum elegiſſe familiæ ſuæ Joſephum credibile ſit ex *Gen.* XLVI. 28.

(3) In vicinia ſunt *Migdol*, *Baal-Zephon*, *Lacus Sirbonis*, quibus infra locum ſuum aſſignabimus.

(4) In hac ſententia etiam locum facilius habet aſſertio *Joſephi* Antiquitatum Judaic. ſcriptoris, tradentis Iſraëlitarum occupationem fuiſſe, inter alias quoque, in egerendis foſſis.

Cui hypotheſi ſi jungatur illa alia non infimæ notæ eruditis placens, quod *Seſoſtris* proxime ante exodum Iſraëlitarum vixerit, qui poſt victoriam & reditum ſubditos & captivos in ducendis canalibus exercuerit, celebremque inprimis eum, de quo in *Tab.*2. *cap.*2. *partis proœm.* eorum opera foderit, nullus ſane eſt locus, cui rectius hæc conveniant, utpote cum foſſæ illius os vel initium ad Phacuſam fuerit, ad lacus amaros perductæ.

Unde & (5) non improbabile videri poſſit, Phacuſam Syllaba auctam dictam fuiſſe ex Hebræo *Phi*, quod oſtium vel os notat, & *Goſen*, quod oſtium Canalis in Goſen fuerit. Quemadmodum & non ab omni veriſimilitudine alienum eſt, *Bubaſtim* vel *Bubaſtum*, quæ Hebræis eſt *Phibeſeth*, ex *Phi* & *Beſeth* ortam, & exitum vel oſtium canalis ad Beſeth innuere. Nam quod Bubaſtum *a Bubaſt*, *Diana* vel *Artemis*, quæ ibi locorum culta fuerit, deducunt, vel urbem ab idolo nomen accepiſſe rentur; eodem jure dici poteſt, Dianam ab urbe, in qua præcipuus ejus cultus fuerit, Bubaſtis nomen tuliſſe.

Scimus, quid huic explicationi vocis Phacuſa, & ſimilium Bubaſti, &c. opponi poſſit, grammaticis nempe regulis adverſari, ex diverſis linguis Hebræa & Ægyptia voces conflare. Sed nec majus pondus huic conjecturæ a quoquam tribui petimus, quam ipſi viſum fuerit. Et certum eſt, non minus conſtare ſententiæ de Phacuſa cum Goſen eadem ſuum robur, ſi Pha præfixum ex Ægyptia lingua derivetur, cum & Vir eruditiſſimus, qui poſtea in alia longe abit, tamen concedat, poſſe *Pha* haberi pro articulo, vel pronomine maſculini generis.

(6) Quædam ex iis, quæ contra infirmandam ſententiam eorum, qui Heroum pro ſede Iſraëlitarum habent, afferentur, e contrario pro roboranda (iſthac) factura, quivis facile intelligit. Alia etiam non ſine fructu videri poſſunt apud *Lackemacherum* non ſine laude citandum in *Obſervationibus ſuis Philologicis*. *Hardtium* in eadem ſententia eſſe, vel potius ſententiæ autorem, monere ſuperfluum eſt.

Equidem ſententia, quæ Heroum pro Goſen habet, unice ab iis defenditur, qui, dum Iſraelitas per ſinum Heroopolitanum tranſiiſſe ponunt vel ſumunt, eos brevi quaſi via ad idem mare deducere ſtudent. At vero

4) *Heroum* non potuiſſe eſſe ſe- IV. dem Iſraëlitarum, vel illam a ſacro Heroum. autore

autore memoratam Goſen exiſtere, his argumentis, ut credamus, adducimur.

Nam 1 docente non mappa ſolum noſtra, ſed & unanimi veterum autorum conſenſu & teſtimonio conſtat, Heroum remotius ſitam inter medias arenas, quousque exundatio Nili, unde omnis fœcunditas Ægypti, pertingere non potuit, cum territorio adeo non magno, ut tantæ multitudini Israëlitarum, qualis tempore exitus fuit, alendæ ſufficere haud valuerit; nec paſcuis pro pecoribus felix eſſe potuit.

2 Quod ſi quis dicat, ductum fuiſſe ſane canalem ex Nilo ad Heroum, & per Heroum urbem ipſam, teſte *tab.* 2. *capitis* 2. *partis procem.* & hunc ipſum eſſe laborem, quo Israëlitæ afflicti & fatigati fuerint, foſſæ illius perductionem, & non unum ſolum canalem navigationi deſtinatum, ſed & plures rigando ſolo utiles fieri potuiſſe. Fatendum tamen eſt, remotiorem eſſe Heroum ab agro Tanitico & Nilo, in quorum utroque, agro nempe & fluvio miracula Moſis patrata fuiſſe, ſupra notatum vidimus, & in quorum alterum, flumen nempe, infantes Hebræorum projectos fuiſſe, credibile eſt ex *Exod.* I. 22.

Unde adeo 3 nec ſatis explicari videntur poſſe labores Israëlitarum in deducendis foſſis ex Nilo pro anguſtiori hoc tractu, ſiquidem non improbabilis traditio Joſephi in hac parte habeatur, niſi dicamus eos extra Goſen quoque ad alia opera perficienda adhibitos.

4 Nec oſtendi poteſt in vicinia vel inter mare rubrum & Heroum *Migdol* & *Baalzephon*, quas itinere ſuſcepto Israëlitæ adierunt, niſi per fictionem meram & entia multiplicando præter ſufficientem rationem.

5 Siquidem non absque ratione ponatur, Joſephum Patri Jacobo non illam commendaſſe aut demonſtraſſe viam, ut ea ſecundum litus Rhinocoruram, Oſtracinen &c. ducta (nam hanc regiam fuiſſe viam eundi in Ægyptum & a Gaza ad Peluſium, vel ex *tab.* 5. *cap.* 3. *partis procem.* ubi iter Titi cum parte non modica copiarum & aulici ſatellitii deſcribitur, patet) ſecederet, ac ſubſiſteret demum in remotiori aliqua parte, unde nunciis miſſis eum pater ad ſe vocaret, ſed potius eum patrem recto proximoque itinere deduci curaſſe, quo citius ejus complexu frueretur: hæc, inquam, ſi non præter rationem ponantur, itemque fieri non potuiſſe, ut, quo Heroum perveniret, per media deſerta rectiori itinere Jacobus iter inſtitueret, prohibente hoc gregum numeroſiorum comitatu; tunc ſane manifeſtum eſt, longe rectius Goſen illam, in qua Jacob ſubſtitit Joſephum operiens, & quam poſtea Iſraëlitæ ſedem acceperunt, ſtatui oſtiis Nili & Peluſio propiorem, quam eſt ipſa Heroum, adeoque nos quaſi manu ad Phacuſam deduci.

6 Eſt & aliqua ratio petita ab incredibili, quod explicari ſcilicet non poteſt, cur poſito ſitu Heroi, qualis in mappa noſtra ad rei veritatem quam exactiſſime delineatus exhibetur, Moſes, ſiquidem tranſitus factus eſt per ſinum Arabicum, vel Heroopolitanum in ſpecie, non potius ſtatim ad montem Sinai ſinu illo Heroopolitano ad dextram relicto duxerit, ſed ad occidentalem potius ripam deflexerit.

Sed quia hæc ratio in genere militat etiam contra ſententiam eorum, qui ex inferiori etiam loco, qualis eſt Phacuſa, Moſen ad mare rubrum acceſſiſſe volunt, inferius etiam & fortiori quidem jure eam allegandam eſſe conſtabit.

*Pithom* & *Rahamſes* memorantur *Exod.* I. 11. urbes, ad quarum ædificationem adhibiti dicuntur Israëlitæ in *Hebræo* textu, quibus *On* vel *Heliopolin* jungunt *Græci* interpretes.

*Rahamſes*, *Rahmeſes*, *Ramſes*, urbem a celeberrimo Rege *Ramſe*, quem Seſoſtris filium vel ipſum Seſoſtrim fuiſſe aliunde maxime probabile ſit, dictam extra dubium eſt. Locum ejus aſſignare non poſſumus. Credibile eſt, ex celebrioribus tamen fuiſſe, varia nomina habuiſſe, quorum illud, quod a Rege illo impoſitum habuit, vetere ad tempus abolito, iterum in oblivionem venerit, vetere viciſſim vel alio iterum in

V Pithom, Rahamſes.

in uſum vocato. *Peluſium* quidam pro ea habent, ut Chaldæus interpres S.S. *Lackemachero* videtur *Avaris* illa Manethoni memorata, cujus tamen ipſius ſitus incertus, niſi & ipſa eſt Peluſium, quod *Marshamo* placet.

Viciniorem tamen Phacuſæ cum oportuerit eſſe, quia ibi Iſraëlitarum copiæ collectæ, atque inde itineris initium ductum, non admodum abſurdum foret, eam cum *Heracleopoli parva*, urbe nempe non ignobili componere, cujus vetus nomen, propter Græcorum ſocordiam, nomina legitima alterantium, interierit.

De *Pithom* ex affinitate nominis hoc colligimus eſſe, eam eandem cum *Patumo.* Ignoratur quidem ea urbs Ptolemæo & itinerariis, ſed *Herodoto* in loco ſupra *tab.* 2 *cap.* 2. *partis procœmialis* citato expreſſe memoratur, & ſitus ejus graphice deſcribitur. Verba ipſa ſunt: ἠκται δε καθυπερθεν ολιγον Βουβαςιος πολιος παρα Πατουμον την Αραβιην πολιν: *Deducitur*, Canalis nempe a Seſoſtri cœptus, *paulo ſupra Bubaſtin oppidum*, *præter urbem Arabiæ Patumon.* Cumque adeo de ſitu Bubaſti vel ex ipſo Ptolemæo conſtet, quam ipſe ſatis vicinam Phacuſæ in eodem latere Nili facit, quin Patumos ipſa vel Pithom in eadem vicinia fuerit, non eſt dubium, conſpirantibus adeo ſingulis ad locum Iſraëlitarum commorationis circa Phacuſam demonſtrandum.

VI *Vicus Judæorum*

Vicus aliquis Judæorum prope Phacuſam memoratur in itinerario Antonini. Hunc vero nihil facere ad demonſtrandam Iſraëlitarum commorationem, certum eſt, quia nomen Judæorum longe poſterius eſt, poſt Babylonicam captivitatem introductum.

VII *Inſula Heracleopoli magnæ adſita.*

Aliis etiam alia placere de ſede Iſraëlitarum horum, dum in Ægypto degerunt, notiſſimum eſt, quorum examen inſtituere noſtrum non eſt. Unicum hoc liceat addere. Viſas nobis eſſe eruditiſſimi Viri, qui *de terra Goſen* nuper commentatus eſt, diſſertationes, ingenii & doctrinæ profundæ ſpecimina habentes, mirari tamen nos non potuiſſe ſatis, ex tam ingenioſis præmiſſis concluſionem deduci potuiſſe ab eo tam a veriſimilitudine omni remotam, Goſen nempe iſtam eſſe inſulam Nili ſupra Memphim, in qua *Heracleopolis*, quæ vocatur *major*, exiſtit, a Ptolemæo & veteribus memorata, etſi ejus in recentiſſimis mappis a *Paulo Luca* de ſtatu Nili editis veſtigia nulla appareant, alveo vel ramo eam ambiente utrolibet forſan ſiccato.

Nam non ſolum ex omnium ſententia, textu ſacro hoc innuente, Iſraëlitas in aditu potius Ægypti & limitibus, non in ejus meditullio ſedes accepiſſe, ne permixti forent Ægyptiis, palam eſt. Verum etiam multa ſunt, quæ in relatione itineris Iſraëlitarum ex hac hypotheſi explicari non poſſunt. De tranſitu enim Nili ex inſula in alteram partem, & in eam partem Ægypti, quæ Arabia pridem vocabatur, in textu ſacro nihil plane, quæ tamen circumſtantia non exigui momenti, quin commemorari meruiſſet, dubio caret. Nec etiam, ubi *Migdol* & *Baalzephon* aliqua in itinere illo occurrat, oſtendi poteſt, niſi pariter per fictionem arbitrariam. Ut taceamus: eadem, quæ ſupra capitis hujus §. V. n. 5. attulimus, circa conſiderationem itineris, quod Jacobus in Ægyptum inſtituit, magis etiam contra hanc ſententiam militare. Sed hæc fuſius perſequi non vacat. Neque etiam alia, quæ eidem Viro eruditiſſimo placent. Quorum illud cum rationibus Geographicis neutiquam conſtat, quod *Heracleopolim magnam* cum *Fium* moderna eandem fecit; quod & credimus, ipſum poſito rectius calculo inſpectaque mappa noſtra, non invitum retractaturum. Hanc enim eſſe *Dionyſopolim*, & non in inſula, verum ultra illam catenam montium, quæ ripas Nili comitatur, inde usque a Syene ad initium ipſius Deltæ ſitam, ipſe Vir eruditiſſimus novit, atque etiam annotat. Equidem canalem, qui a Nilo ad Fium ducit, Joſepho tanquam autori tribui a modernis, verum eſt quidem, unde circa ejus viciniam habitaſſe Joſephi populares & conſanguineos, videri non improbabile poſſit. Verum quemadmodum illi traditioni ut plane fidamus,

quæ-

quædam impedire poſſunt, cum Arabes ignorantia antiquarum hiſtoriarum ſæpiſſime in his rebus errent, ut qui exempli gratia omnia fere magnifica opera Alexandro M. tribuunt, columnas Herculis, murum Caucaſeum vel Albanum. (Eſt hic nullus alius, quam murus Coſrois & montes inter *Schamachie* & *Derbent*); ita non ſimpliciter ex operibus Joſephi, qui totam Ægyptum iis illuſtraſſe creditur, ad moram atque agrum Iſraëlitarum concludi poſſe, manifeſtum remur. Quod ſi tandem verum eſt, quod Vir undiquaque eruditiſſimus per conjecturas admodum ingenioſas eruere ſatagit, ſignificatum ſcilicet vocis *Goſchen*, *Goſchem*, *Keſſem*, importare *urbem Herculis* vel *Heracleopolim*, miramur, cur non potius Heracleopolim parvam, quæ paulo infra Phacuſam noſtram ſita eſt, elegerit pro demonſtrando loco commorationis Iſraëlitarum. Vel ſaltem manifeſtum credimus, ſi vel maxime ille ſignificatus vocis obtineat, nihil obſtare, quin eandem & regioni circa Heracleopolim parvam accommodemus.

VIII Obſervatio de Daphne, Tachpanhes. Cæterum cum neque in examinandis neque refutandis aliorum etiam opinionibus aut conjecturis operam noſtram requiri credamus, ſtrictim ſaltem annotamus, ex ipſa mappæ noſtræ inſpectione patere, *Daphnen* Ægyptiacam vel Peluſiacam cum *Damiata* recentiori comparari non poſſe, quemadmodum *Hardtius* leviori paulo nominis affinitate ductus voluit. *Thamiatis* enim, quæ nunc *Damiata*, ad alveum Nili Taniticum remotiori verſus ſiniſtram ſita loco, quo etiamnunc viſitur. Daphne dexterior & mediterranea fuit ultra Peluſium, teſtante *Itinerario Antonini* & aliis, ipſa adeo cum *Tachpanhes* potius comparanda, ex qua voce Græci more ſuo Daphnen ſibi notiorem formarunt & finxerunt. Non enim Ægyptiam vocem a Græca, ſed contra hanc ab illa originem duxiſſe, nobis perſuaſum eſt.

IX Obſervatio de Peluſio & Sethron. In tranſitu demum liceat quædam annotare de *Peluſio*, quam *Sethron* dictam vult *Marshamus*. Cujus ſententiæ nos adſtipulari non poſſe, propterea profitemur, quia *Strabo* L. XVI. p. 804. expreſſe: *A Peluſio autem procedenti tradit Artemidorus primum occurrere eam foſſam, qui lacus eos implet, qui vocantur: ad Paludes. Atque ii quidem duo ſunt, & ad ſiniſtram magni fluvii jacent. Supra Peluſium in Arabia ait eſſe alios quosdam lacus & foſſas in iisdem partibus extra Delta. Ad alterum lacum eſt præfectura Sethroitica vel Nomus, qui eſt unus ex decem, qui intra Delta exiſtunt.* Ex quibus adeo ſequitur, quia in diſtantia aliqua a Peluſio Sethroiticus Nomos demum incepit, Peluſium ipſum Sethron dici vix aut nequaquam poſſe. Clarius *Ptolemæus*, qui Sethroitici Nomi metropolin dicit eſſe Heracleopolin parvam.

Si hiſtoria *Typhonis*, quem Ægyptii ſua lingua Seth vocarunt, in lacu Sirbonide extincti, quicquam affinitatis habet cum hiſtoria Pharaonis, qui propter impietatem mari merſus eſt, ut rentur quidam; cujus ſententiæ vadimonium tamen in nos ſimpliciter non ſuſcipimus, utrolibet modo, ſive Peluſium ſive Heracleopolis pro Sethron urbe habeatur, accedit aliqua confirmatio ſententiæ eorum, qui Iſraëlitis & geſtis circa eos ſedem & locum in inferiori hac Ægypto propius oſtia Nili aſſignant.

Hæc de terra & urbibus commorationis Iſraëlitarum. De mari, quod SUPH vocatur, hoc conſtat: X Mare Suph. Varios ei dari ſignificatus & derivationes, aliis mare *procelloſum*, quia סוּפָה turbo, aliis *mare termini*, plerisque *algoſum* exiſtere. Quicquid ſit de etymologia nominis, idem pluribus maribus commune fuiſſe, ſtatuere oportet.

Vulgo rentur, tum in genere rubrum mare vel Erythræum, ſub quo ſinum Arabiam inter & Africam univerſum intelligunt, tum in ſpecie quoque ſinum Heroopolitanum, qua maxime idem in anguſtias redigitur, id nominis ſolum geſſiſſe.

Verum ex *Num. XXI.* ℣. 14. patet etiam, *Aſphaltitidi* lacui, vel *ſodomitico* aut *mortuo* mari, ut vocari ſolet, commune idem fuiſſe. Nam cum divinus autor libri ℣. 13. hæc commemoraſſet: *Inde profecti caſtra meta-*

*metati ſunt ad vadum Arnonis, quod eſt in ipſo deſerto procedens a termino Emoræi*, junxiſſetque: *Nam Arnon terminus Moabitarum eſt inter Moabitas & Emoræos:* per parentheſin in ỳ. 14. addit: *Inde eſſe, quod in libro Recenſionis bellorum Jehovæ dici ſoleat, vel dictum inveniatur: Contra Vahebum in regione Suph, & contra flumina vel fluenta Arnonis.* Ex quibus non inepte colligitur, quia ſcilicet de uno ac eodem eventu hic ſermonem eſſe, ponere nihil obſtat, Arnonem mari Suph contiguum, cui adeo utrique vicina caſtra vel ſtationem Iſraëlitæ eodem tempore habuerint. Breviter oſtia Arnonis in mari Suph extitiſſe. At vero Arnonem in mare mortuum exonerari, noto notius exiſtit.

Magis hoc elucere credi poſſit ex *Deut. I.* 1. ubi videtur innui, Iſraëlitas caſtra habuiſſe ad mare Suph, tunc cum ad Jordanem, & oſtium ejus in mare Aſphaltites exiens, e regione Jordanis eadem haberent. Verba ipſa Juniana Verſio ſic repræſentat: *Iſta ſunt verba, quæ eloquutus eſt Moſes univerſo Israëli cis Jordanem, in deſerto, in campeſtribus, quæ ſunt e regione Suph.* Quæ ſi hucusque legantur, manifeſte ſatis videntur hoc velle, concionem Moſis ultimam, quæ in Deuteronomio deſcribitur, quæque habita eſt in ſtatione ultima, finito itinere, antequam Jordanes tranſiretur, adeoque prope Arnonem fluvium in mare mortuum influentem, fuiſſe habitam in vicinia maris Suph, & proinde mare Suph & mare mortuum idem exiſtere. Verum enim vero quo minus pro certo atque indubitato hoc argumentum venditemus, impediunt nos ſubſequentia verba illius textus, in quibus loca memorantur longius ab illa ſtatione ultima ad Arnonem remota, quæ adeo non cenſeri posſunt tanquam allata pro determinatione loci illius a vicinis adſitis, quin potius illo textu itineris, quod Iſraëlitæ ingreſſi fuerant, ductum usque ad illam ultimam ſtationem breviter & ſuccincte exhiberi. Quia fere illa loca *Deut. I.* ỳ. 1. & 2. memorata occurrunt inter ea, quæ in itinere illo fuſius recenſentur. Ut adeo ſenſus foret: Verba hæc a Moſe prolata fuiſſe in ſtatione ad Jordanem, poſtquam ex campeſtribus ad mare illud Suph, quodcunque demum illud fuerit, per *Paranem* (ſtatio hæc *Num.* X. 11. memoratur) *Tophel*, & *Laban*, *Libanum* vel *Libnam* (*Num.* XXXIII. 20. 21. videtur hæc ſtatio innui) tum *Chazeroth* (quæ *Num.* X. 35. &c. expreſſe allegatur) & *Ditzahab*, itinere etiam facto juxta *montana Sehiris* & *Kades barnea* (notiſſimæ hæ ſunt ſtationes) perveniſſent Iſraëlitæ ad caſtra illa, undecim dierum itinere ab Horebo monte diſtantia.

Sed omnium apertiſſime hoc ipſum, nempe Suph mare pro Aſphaltitide lacu poni, apparet ex loco *Exod.* XXIII. ỳ. 31. ubi latitudo Palæſtinæ numeratur a *mari Suph ad mare Philiſtæorum*, (hæc adeo eſt linea ab oriente ad occidentem ducta) *& a deſerto usque ad flumen illud*, *ſcilicet magnum* (ad quod lineam ex auſtro in boream ductam terminari ſemper, ex aliis locis Scripturæ, etiam a nobis infra afferendis, novimus.)

# CAPITIS XII.

## PARS II.

His principiorum quaſi loco præmiſſis, reſtat, ut ipſum iter Iſraëlitarum ex harmonia relationum in textu ſacro variis locis extantium in *tabula ſynoptica* exhibeamus, cui obſervationes noſtras dum jungimus, ſperamus; ex iis fore, ut omnes intelligant, nos non ſtudio novarum ſententiarum aliquid proponere, ſed conſideratione circumſtantiarum debitisque Geographicis adhibitis ſubſidiis manu quaſi ad eam deductos.

TA-

# TABULA SYNOPTICA
## STATIONUM
## Iſraëlitarum
## *In itinere ex ÆGYPTO in PALÆSTINAM,*
### *nec non eventuum potiorum.*

| | A | B | PARALLELA ex DEUTERONOMIO | |
|---|---|---|---|---|
| | HISTORICA RELATIO in EXODO & NUMERIS extans | SYNOPSIS & CATALOGUS continua exhibita Num. XXXIII. ex præſtituto Dei juxta ℣. 2. d. c. a MOSE conſignata | C<br>Ex recapitulatione publica MOSIS | D<br>Ex incidentali relatione |
| EXOD. c. XII. v. 37. | 0. RAHMESES, initium itineris (a) Iter factum non via verſus Philiſtæam ducente. Exod. c. XIII. v. 17. (e) | 0. RAHMESES. *Menſe primo, die 15 poſtridie Paſchatis* | | |
| c. XIII. v. 20. | 1. Succoth. (b) | 1. Succoth. | | |
| | 2. Etham, (c) in fine deſerti | 2. Etham, in extremo deſerti | | |
| c. XIV. v 2. | 3. Divertunt Iſraëlitæ & caſtra ante fauces (montium) Chirotharum inter Migdolum & inter mare ante Baaltzephonem e regione ejus ad mare metantur. (d) | 3. Reverſi Iſraëlitæ ad fauces Chirotharum, quæ ante Baaltzephonem, caſtra ante Migdolum metantur. | | |
| v. 19. ſs. | 4. Tranſitus per mare. (f) | 4. Profecti Iſraëlitæ ex adverſo Chirotharum tranſeunt per medium maris in deſertum. | | |
| c. XV. v. 22. | A mari Suph in deſertum *Schur* euntes, per triduum non inventa aqua, Iſraëlitæ perveniunt | Triduanum iter per deſertum *Etham.* (g) | | |
| | 5. Ad Mara, (h) Dictam ab aquis amaris | 5. Mara. | | |
| v. 25. | Sanatis ope ligni. | | | |

## TABULA SYNOPTICA.

| | A | B | C | D |
|---|---|---|---|---|
| EXOD. c. XVI. v. 1. | 6. Elim. (i) Fontes 12, palmæ 70 | 6. Elim. Fontes 12, palmæ 70 | | |
| | | 7. Mare SUPH (k) | | |
| v. 2. | 8. Deſertum Sin, Inter Elim & Sinai. *Die 15. menſis 2di ab exitu.* | 8. Deſertum Sin. | | |
| v. 14. 15. | Coturnices veſperi, Manna mane. Confer *Num.* XI. 4. 18. 31. infra etiam citat. | | | |
| | * | 9. Dophka. | | |
| | * | 10. Aluſch. | | |
| c. XVII. v. 1. | 11. Rephidim, (l) Locus inaquoſus. | 11. Rephidim, Locus inaquoſus. | | |
| v. 6. | Rupes in Horeb percuſſa dat aquam, | | | |
| v. 7. | Maſſæ & Meribæ appellatio, | | | |
| v. 8. ſs. | Pugna cum Amalekitis. | | | |
| c. XVIII. v. 1. | Jethro venit ad Moſen. Idem Chobab *Num.* X. 29. (m) | | | |
| v. 12. | Jethro ſacrificat. | | | |
| v. 13. | Jethronis conſilium. | | | |
| v. 27. | Jethro domum abit. Conf. *Num.* X. 29. ſs, & infra. | | | |
| c. XIX. v. 1. | 12. Deſertum SINAI. *Novilunio 3° vel initio menſis tertii.* | 12. Deſertum SINAI. | c. I. v. 19. CHOREB. Per deſertum magnum & formidabile via ad montem Emoneorum ad - - - - - | |
| c. XX. ſs. | DECALOGI promulgatio, aliæ leges. | | | |
| NUMER c. I. | Populi recenſio. | | | |
| c. IX. v. 1. | Paſcha indicitur, *anni* 2di *menſe* 1mo, Habendum *die* 14to *menſis* 1mi. | | | |

TA-

# TABULA SYNOPTICA.

| NUMER. | A | B | C | D |
|---|---|---|---|---|
| c. X. v. 11. | 13. Ex Sinai in PARAN deſertum, *a monte Dei itinere tridui* v. 33. *Anno* $2^{do}$ *menſe* $2^{do}$ *die* 20. (n) | | | |
| v. 29. | Chobab rogatur, ut maneat. | | | |
| c. XI. v. 3. | Appellatio loci TABHERA ob ignem Dei exardeſcentem. | | | |
| v. 18. 31. | Coturnices. | | | |
| v. 34. 35. | Appellatio loci KIBROTH THAAVA i. e Sepulchra concupiſcentium. | 13. Kibroth Thaava. | | |
| v. 35. | 14. Chazeroth. | 14. Chazeroth. | | |
| c. XII. v. 16. | * Deſertum Paran iterum. | 15. Rhithma. | | |
| | | 16. Rimmon Perez. | | |
| | | 17. Libna. | | |
| | | 18. Riſſa. (o) | | |
| | | 19. Kehela. | | |
| | | 20. Mons Schephar. | | |
| | | 21. Charada. | | |
| | | 22. Makeheloth. | | |
| | | 23. Thachath. | | |
| | | 24. Therach. | | |
| | | 25. Mithka. | | |
| | | 26. Haſchmona. | | |
| | | 27. Moſeroth. | | *C. X.* 6. ſ. A puteis filiorum Jahakan & Moſera Ubi mortuus & ſepultus Aaron. (q) |
| | | 28. Filii Jahakan. | | |
| | | 29. Chor Gidgad. | | Gudgod |
| | | 30. Jotbatha. | | Jotbatha, regio fluminibus aquarum irrigua |
| | | 31. Habron. | | |
| | | 32. Heziongeber. (p) | | |
| | | 33. Deſertum TZIN, quod & Kadeſch. | *C. I. v.* 19. Kadeſchbarnea | |

TA-

## TABULA SYNOPTICA.

| | A | B | C | D |
|---|---|---|---|---|
| c. XIII. v. 3. | Exploratores emiſſi e deſerto Paran. Redeunt ii verſus deſertum Paran in Kadeſch *c. XIII.* 25. exactis 40 diebus *c. XIV.* 34. Iſraëlitæ reverti jubentur in deſertum via ad mare SUPH *c. XIV.* 25. | | *v.* 22. Exploratores emiſſi<br>*v.* 40. Reverti jubentur in deſertum via ad mare SUPH | |
| c. XIV. v. 40. | Infelix expeditio contra Chananæos & Amalekitas: | | *v.* 41. Infelix tentamen irruptionis contra Emoræos | |
| v. 45. | Clades ad Chormam. | | *v.* 44. Clades in Seir ad Chormam usque | |
| c. XVI. | Seditio Corachi. | | | |
| c. XX. v. 1. ſs. | 33. Deſertum TZIN vel Kadeſch. Mirjam moritur. Aquæ contentionis. Petra percuſſa aquam dans. | | *v.* 46. Mora Kadeſchi per dies multos | |
| v. 14. ſs. | Tranſitus per Edomæos petitus, idemque negatus. | | *C. II. v.* 1. Converſio & profectio in deſertum via maris SUPH Circumitio mont. Sehir diebus multis. | |
| v. 22. | 34. Iter a Kadeſch ad HOR<br>Aaron mortuus | 34. HOR mons juxta fines Edomæorum Aaron mortuus, *anno* 40. *ab exitu Iſraëlitarum*, *menſe* 5. *die* 1. | | |
| c. XXI. v. 1. ſs. | Aradi rex inaudit de adventu Iſraëlitarum. Primum eos fugat: Poſt cæditur usque ad Chormam Conf. *Jud. I.* 17. | Aradi rex de adventu Iſraëlit. inaudit. | | |

TA-

## TABULA SYNOPTICA.

| | A | B | C | D |
|---|---|---|---|---|
| v. 4. | Hore monte digreſſi Iſr. via ad mare SUPH progrediuntur, ut circumirent terram Edumæorum.<br>Populi animo ob illud iter imminuto. | | *v.* 3. Converſio Aquilonem verſus Tranſitus ſecundum limites Edomæorum<br>*v.* 7. *Annis* 40. *jam exactis* | |
| v. 9. | Serpens æneus erectus. | | | |
| | | 35. Tzalmon.<br>36. Punon. | | |
| v. 10. | 37. Oboth. | 37. Oboth. | | |
| v. 11. | 38. Cumuli Habarimorum in deſerto ante conſpectum Moabitarum ab ortu Solis. | 38. Habarim terminus Moabitarum. | *v.* 9. Iter juxta viam deſerti Moabitarum | |
| v. 12. | 39. Vallis Zered. | | *v.* 13. Vallis Zered<br>*v.* 14. A Kadeſch barnea ad vallem Zered; *tempus* 38. *annorum*<br>*v.* 9. & 19. Prohibitio lædendi Moabitas & Ammonitas. | |
| v. 13. | 40. Vadum Arnonis, quod eſt in ipſo deſerto, procedens a termino Emoræi. | | *v.* 24. Exhortatio ad tranſeundum Arnonem<br>*v.* 26. Legatio e deſerto Kedemoth ad SIHONEM R. Tranſitus negatus. | |
| v. 16. | 41. Beer puteus. (r) | | | |
| v. 18. | 42. Matthana. | | | |
| v. 19. | 43. Nehaliel. | | | |
| | 44. Bamoth. | | | |

## TABULA SYNOPTICA.

| | A | B | C | D |
|---|---|---|---|---|
| | | Dibon Gad Halmon Diblathaim | | |
| v. 20. | 45. Vallis in agro Moabitarum ad initium collium verſus ſolitudinem reſpiciens. | 45. Montes Habarim ante Nebuntem | | |
| v. 21. | Legatio ad SIHONEM Regem fruſtranea. | | | |
| v. 23. ſs. | Prælium cum Sichone in deſertum progreſſo ad Jachzam: Victoria & occupatio Chesbuntis. | | *v.* 32. Prælium cum Sichone ad Jahzam | |
| v. 32. | Jahzer erepta Emorrhæis. | | | |
| v. 33. | Expeditio contra OGUM Regem Baſanitidis: Prælium ad Edrehi. | | *C. III. v.* 1. Expeditio contra OGUM, Prælium ad Edrehi. | |
| c. XXII. v. 1. | 46. Reditus ad campeſtria Moabitarum ad vadum Jordanis Jerichuntinum, & ad Schittim juxta *c. XXV. v.* 1. | 46. Campeſtria Moabitarum ſecundum Jordanem ex oppoſito Jerichuntis: a Bethjeſchimoth usque Abel Schittim. | *C. I. v.* 1. 2. Deſertum in campeſtribus e regione *Suph* - - - - - Diſtantia 11 dierum a Choreb | |
| v. 5. | Bileami acta | | | |
| c. XXV. v. 1. ſs. | Peccata Iſraëlit. cum Moabiticis & Midianiticis fœminis commiſſa | | | |
| c. XXXI. v. 1. ſs. | Vindicta de Moabitis ſumta | | | |
| DEUTERON. XXXIV. | Mors MOSIS in monte Nebunte Sepulcrum e regione Bethpeoris. | | | |

CA-

# CAPITIS XII.

## PARS III.

## *OBSERVANDA AD HANC TABULAM.*

a)

Rahmeſes. INitium itineris eſt *Rahmeſes* vel *Rahemſes* aut Ramſes. Hæc, per dicta, ſive Heracleopolis parva, ſive alia fuerit, in vicinia tamen cum fuerit Phacuſæ, ab hac ultima lineæ veſtigia itineris Iſraëlitarum ſignantis initia duximus.

Succoth. b) *Succoth*. Vocem hanc tentoria, ſcenas ſignificare notiſſimum. Occurrunt in tractu circa Nilum inde ab origine τȣ̃ Delta in Itinerario Antonini notatæ *Scenæ Mandræ* & *Scenæ Veteranorum*. Harum illæ remotiores longe ſunt, & Nilo adjacentes Memphi oppoſitæ, ſtatio pro petentibus interiora Ægypti aptior, quam pro fugientibus ex eadem. Hæ initio, unde iter Iſraëlitarum ductum, propiores, etſi idem ex Phacuſa verſus meridiem vel plagam inter meridiem & occidentem intermediam, ac, ut volunt, verſus Heroopolitanum ſinum inſtituendum fuiſſet, accommodatior ſtatio, quam Scenæ Mandræ. At vero easdem Scenas Veteranorum Nilo pariter nimis admotas, nec deſtinationi Iſraëlitarum accommodam ſtationem præbentes, quorum erat a Nilo potius, quantum liceret, recedere, ex mappa noſtra conſtat.

At vero non eſſe improbabile, ut plures ejus nominis Scenæ vel Succoth in dicto tractu fuerint, nemini non apertum exiſtit, quia videntur ita denominata illa loca in vicinia deſertorum & ſabuloſorum locorum fuiſſe, in quæ Ægypti regiones, quæ Nilo irrigabantur, deſinebant, ſtationes videlicet exiſtentes extremæ deſertis illis contiguæ, forſan præſidio aliquo excubantium inſeſſæ.

Quapropter & nulla cogit neceſſitas iter Israëlitarum a Phacuſa ad aliquam illarum alterarum Scenarum dirigere, ſed potius eo, quo mox conſiderandæ circumſtantiæ ſuadent, & alias adeo tertias ſcenas ſtatuere, Phacuſæ & Heracleopoli minori propiores, & in via ad ſtationes mox ſubſequentes obvias.

c) Ab *Etham*, deſerto *Autæos* Arabes, quos *Plinius* agnoſcit vi dictorum in *cap.* *partis proœm.* nomen habere, dubio carere videtur. Quo admiſſo ex *Plinio* quoque dicto loco patet, illud deſertum ſatis longe verſus boream & ad litora fere mediterranei maris proceſſiſſe. Proficiſcentibus adeo a Phacuſa verſus ortum & ſeptentrionem adiri potuiſſe, eo facilius credi poteſt, quia textus ſacer monet, in fine ſaltem ejus deſerti ſtationem Iſraëlitas cepiſſe. Deſert. Etham, Autæi.

d) Tertia ſtatio Iſraëlitarum ea eſt, quæ præ cæteris conſiderationem meretur. Caput enim rei & ſententiæ in ejus explicatione vertitur. Migdol, Baalzephon.

Videndumque adeo de ſingulis locis, quorum fit mentio. Et *Migdol* quidem eſſe Magdolum, cujus ſitum ex Itinerariis & aliis vel ipſe *Cellarius* fixum ponit, qualis idem eſt in mappa noſtra, ipſa nominis non affinitas, ſed identitas innuit.

*Baalzephon* poſſe haberi pro templo *Jovis Caſii* circa eadem loca exiſtentis, ſituſque plane ex Geographicis rationibus determinati, non eſt abſonum. *Baal* enim eſſe nomen commune plurium Deorum conſtat, adeoque & idem a Græcis Jovi potuiſſe tribui, qui ex Baalzephon more ſuo Jovem Caſium finxerunt, nihil impedit. Unde huic Baal vel Jovi appellatio Zephon, eorum eſt inquirere, qui antiquitatibus Hebraicis eruendis, operam ſuam impendere poſſunt.

*Phi Hachiroth*, *fauces Chirotharum* reddunt, & *Junio* placent plane fauces montium. Enimvero vocem *Phi* oſtium, vel exitum, aut fauces etiam canalium vel fretorum notare poſſe, nemo non videt. Sane inde ſunt conjecturæ noſtræ ſupe- Phi Hachiroth.

ſuperius allatæ de Phibeſeth & Phacuſa. Offert ſe vero in tractu, ubi Magdolum & Jovis Caſii templum exiſtunt, ipſum *Ecregma* Sirbonidis lacus vel paludis, quo nomine *fretum* vel *emiſſarium* illius lacus vocatum conſtat.

Quia adeo in rebus, quæ ad demonſtrationem perfectam deduci non poſſunt, valet conſpiratio circumſtantiarum numero plurium pro generanda probabilitate rationabili vel morali, ut loqui amant: inde ſane eſt, ut commodam adeo explicationem patienti triga harum circumſtantiarum in deſcribendo loco hujus ſtationis nobis videatur ſi non probabilis, attamen ulteriori examine & conſideratione non indigna (amplius enim haud eſt, quod petimus) ſententia, quæ in mappa noſtra proponitur.

Sententia maxime probabilis propoſita.

In qua adeo ita ſumimus verba textus ſacri, ſtationem hanc fuiſſe inter *Magdolum* ad ſiniſtram & occidentem, *Phi Hachiroth* vel *Ecregma* Sirbonidis lacus ad dextram vel orientem, ex oppoſito montis, in quo *Baalzephon* vel *Jovis Caſii templum*, ad boream ſiti. Ita ut lacus ipſius Sirbonidis in latitudinem magnam excurrentis portio a latere vel etiam plane a tergo Iſraëlitarum tunc fuerit.

Alia ſententia.

Scimus ab *Hardtio* Phihachiroth cum *Gerrho*, Baalzephon cum *Pentaſchœno* componi propter nominum aliquam affinitatem, quæ tamen eſt parva; & quamvis major foret, non adeo, vel non unice inter argumenta alleganda eſſet. Sed inprimis noſtra vocis Baalzephon interpretatio concinnior videtur, & uterque locus, qui *Hardtio* placet, Gerrhum nempe & Pentaſchoenus propior eſt Ægypto, inque extremo litore, quam plagam fugientes ex Ægypto adire optaſſe, aut eo iter direxiſſe vix videtur credibile. Imo Ægyptios, conſiderato ductu itineris Iſraëlitici, in perſuaſionem adductos, ut crederent, eos in perplexos errores in deſerto incidiſſe, narratur *Exod. XIV.* ℣. 3. Quæ opinio ipſis in mentem venire non potuiſſet, ſi Iſraëlitæ adeo parum a locis habitatis Ægypti & regia via in eandem ex Palæſtina ducente diſceſſiſſent.

Argumenta pro priori ſententia alia.

In eruendis vero probabilitatibus cum plura etiam argumenta ſpectari debeant, ut hæ ſint eo firmiores, quo plura illorum exiſtant, & præterea, quæ in contrarium afferri poſſunt, probe ponderanda, adeoque removenda.

Primum.

Conſiderandum eſt *primo*: ea, quæ de loco commorationis Iſraëlitarum circa Phacuſam nempe & Ramſes, & quæ de deſerto Ethami dicta ſunt, probe pati hanc explicationem.

Secundum.

*Secundo* vero objici quidem poſſe, pervulgatam & univerſaliter quidem receptam eſſe opinionem, qua mare illud, per quod Iſraëlitæ tranſierunt, eſt *rubrum mare*, vel pars ejus extrema, *Sinus* nempe *Heroopolitanus*, a qua adeo non ſit temere recedendum, utpote conſenſu LXX. viralis interpretationis S. Scripturæ fulta.

Verum ad hoc facile reſpondebit is, cui noſtra placuerit hypotheſis: Nempe cum, remota illa ſententia, quæ Iſraëlitarum ſedem in Ægypto facit inſulam Nilo circumfluam Nomi ab Heracleopoli majore dicti, reſtet ſola examinanda, quæ autoribus placuit de *Heroo*, patet ſane, difficultates ſe offerre non leves ſtatuentibus, ex Heroo iter Iſraëlitarum ductum verſus dexteriora & occidentaliora maris illius rubri.

Nam cum ex mappa pateat, ab Heroo ad montem Sinai iter deſtinantibus propiorem & expeditiorem eſſe viam, a parte ſiniſteriori illius ſinus ducendo, utpote nullo mari interjecto, concipi non poſſet, cur Moſes abſonam illam itineris rationem elegiſſet.

Quæ abſurditas major fuiſſet in ſententia, quæ Phacuſam pro ſede Iſraëlitarum habet. Nam multo expeditior ad montem Sinai via fuiſſet, relicto ſinu Heroopolitano ad dextram, quam limites infeſtæ Ægypti ſemper ſtringendo, & ſinum illum inter montem, quem petebant, & caſtra ſua interponendo, hocque ipſo in periculum manifeſtum, ne in tranſitu ſinus illius, ad quem nullas paratas haberent naves, opprimerentur, ſe conjiciendo.

Ter-

Tertium. *Tertio* vero conſiderandum eſt, in via illa ab Heroo ad mare rubrum, quin & a Nomo Heracleopolis magnæ, nullam occurrere *Magdolum*, nullum etiam veſtigium loci, quod cum *Baalzephon* comparari poſſit. De *Phi Hachiroth* nihil dicimus, quia excipi poſſet, fuiſſe fauces montium quorundam, quales & ubique & in illo tractu fuisſe nihil impedit.

At vero Magdolum aliam ac duplicem & Baalzephonem nullo alio fundamento, quam ut hypotheſi ſerviatur, ſtatuere, non eſſe regulis Logicis & prudentiæ conforme, patet.

Exceptio & reſponſio ad eam. Excipi vero poſſet, ſtationem hanc propiorem eſſe viæ ordinariæ ex Ægypto in Palæſtinam, quam velint verba textus *Exod. XIII.* 17. ubi memoratur Moſi præceptum, ut via non verſus Philiſtæam, ſed verſus deſertum duceret, ratione adjecta, ne gens Iſraëlitica, terrore aliquo panico concepto, via in Ægyptum facili rediret. Cui acceſſit alia etiam ratio, quod Moſes ſemper coram Pharaone præ ſe tulit, ſe populum eo ſaltem fine ex Ægypto abducturum, ut ſolenne Deo ſuo ſacrificium in Sinæ monte perageret.

Verum enim vero ad hanc difficultatem, quam non diſſimulamus, cum id non ſit noſtrum, ut quovis artificio ſententiam propoſitam ornemus & pingamus, reponi poſſe hoc videtur: Moſen quidem primo recta verſus orientem ad modicum intervallum, (ut ſemper initium itineris remoras habet plures) ad *Succoth* duxiſſe, atque inde ſtationem ad deſerti Etham extrema cepiſſe talem, quæ aliquo modo declinaverit verſus dexteriorem partem a via verſus Philiſtæam abducentem, ita tamen, ut modica deflexione ad ſtationem illam, quam diximus inter Migdol & Ecregma, potuerit ſe convertere.

Atque illud innuere verba ſacri textus ita concepta, ut dicatur in loco *Exodi XIV.* 2. Iſraëlitas a priori ſtatione *divertiſſe* ad Phi Hachiroth ſtationem, & preſſius *Num.* XXXIII. *Reverſos* Iſraëlitas ad fauces Chirotharum. Atque adeo Moſen primo verſus orientem tendiſſe, dein iter verſus Sinai montem usque magis declinans ſuſcepiſſe, ſed accepto nuncio de Ægyptiorum apparatu & animo Iſraëlitas perſequendi, humana forſitan infirmitate ductum acceſſiſſe ad illam ſtationem, eo animo, ut tranſito Ecregmate illud inter ſe & Ægyptios interponeret. Hoc ipſo vero ſe quidem in tale periculum conjeciſſe videri poterat, unde non niſi miraculo divino adjutus cum populo evadere potuerit. At vero hanc ipſam fuiſſe providentiæ divinæ directionem, quæ Ægyptios in locum talem pellicere voluerit, ubi omnes funditus deleri poterant

Tranſitus per mare. f) Sequitur tranſitus per mare. Qui, ſi locum habeant, quæ dicta ſunt de ſtatione ultima, explicandus erit ita, factum eſſe eum per brachium vel ramum lacus *Sirbonidis* ab Ortu verſus Occaſum excurrente; ad latus (& ſiniſtrum quidem) relicto Ecregmate. Adeoque a parte boreali vel Iſthmo inter mare ipſum mediterraneum & lacum dictum, in partem vel ripam ejus auſtralem.

Factum hoc eſſe diſpoſitione & voluntate divina, ut a via, quæ in Philiſtæam dirigebatur, abducerentur, & in eam, quæ verſus Sinæ montem ducebat, redirent Iſraelitæ.

Objectio. Objici huic explicationi poſſe, quod eadem a vulgata ſententia, quæ tranſitum per mare rubrum factum aſſerit, longius recedat, ſtatim monitum eſt. Sed cui non niſi vulgatæ ſententiæ placent, ei ſuam libenter relinquimus, nos vero hanc propoſitam non propter novitatem adamare profitemur.

Unde nomen Suph lacui Sirbonidis. Quæri vero poſſit, unde nomen maris *Suph* lacui *Sirbonidi*? At vero, quid ad hoc reponi viciſſim queat, ex ſuperioribus patet. Si vera eſt opinio eorum, qui hoc nomen interpretantur per mare limitis vel limitaneum, quælibet extrema vel arctior pars maris aut ſinus eo intelligi poterit; cujus generis & hic lacus fuit; abuſive ſaltem lacus dictus, quia cum mari ipſo per Ecregma vel emiſſarium communicavit. Nec nomen adeo abludit aut derivatio ejus adeo eſt abſona, ſi aliter, ac ab *Hardtio* fit, eadem inſtituatur. Nam cum ille a Græco σιρβωνις Suph petat,

petat, ex ſua hypotheſi ſcilicet nimis ab omni veriſimilitudine abhorrenti, quod omnia promiſcue vocabula Hebræa ex Græcia ortum ſuum repetant. Nobis contra videtur ex Hebræo Suph a Græcis factum eſſe Surph, Sirbon, Sirbonis, interpoſita litera r. Cujus generis interpoſitionum a Græcis pro rotunditate oris ſui, affectata maximam partem, exempla numero plurima occurrunt: *Seſoſtris* pro Seſoſis, Sethoſis, *Bactra* pro Balch, *Tigris* pro Degilat, Hiddekel, nec apud noſtros inuſitata ſunt, qui *Carton* pro Coton, *Spalatro* pro Aſpalathum, *Tartar* pro Tatar &c. dicunt.

**Tranſitus modus miraculoſus.** Cæterum modum tranſitus fuiſſe miraculoſum atque extraordinarium, nemo eſt, qui conſideratis circumſtantiis omnibus, præſertim temporis, non fateri cogatur. Quamvis enim probari poſſet, concurriſſe in iis, quæ tranſitui huic conjuncta fuere, vel eum facilem reddiderunt, quædam, quæ aliis temporibus ex cauſis etiam naturalibus extiterunt, tamen in illo præſenti momento, ubi maxime Iſraëlitis in ſummas anguſtias & deſperationem adductis, Deoque ex machina, ut loqui amant, opus habentibus, ea ut exiſterent, fieri non potuiſſe, niſi ſpeciali directione & diſpoſitione Dei, manifeſtum eſt quam maxime. Quotidiana ſunt fulgura & fulmina, ſed quod Eliæ contra centuriones cum militibus vim ipſi allaturos in tempore ipſo præſto fuere, quis non miraculoſum dicat? Quod Joſuæ contra hoſtes pugnanti eo momento auxilium tulere, hoſtibus infeſta, & in faciem eorum directa fuere, non ſine Numine factum eſſe, apertum eſt.

**Ulterior confirmatio: probans, non fuiſſe æſtum marinum ordinarium.** Ut ex comparatione rectius judicari poſſit, ſciendum eſt *primo*, in hoc eventu non concurriſſe motum maris ordinarium, quem Moſes prævidere atque in ſuum uſum absque miraculo convertere potuerit, illum nempe fluxum refluxumque maris notiſſimum. Alii quidem, qui tranſitum per ſinus Heroopolitani extremum factum eſſe ſtatuunt, rejicere eum voluere in reciprocationem illam maris ſtatam, & quamvis conſtet, illam fluxus & refluxus viciſſitudinem obſervari ſaltem in Oceano, non in ſinubus, tamen rentur vel extraordinarie tum temporis in ſinu illo productam fuiſſe a Deo talem reciprocationem; vel non impoſſibile judicant, ut æſtus marini alternatio quoque in Sinu Arabico ſentiatur, quia ipſe proxime cum Oceano Indico, in quo æſtus contingunt maximi, connexus. Verum enimvero hæc nihil ad præſentem caſum in propoſita hypotheſi, certo enim certius ex Phyſicis & Geographia ſcimus, mare mediterraneum omne, cui connectitur hic ſinus vel lacus Sirbonidis, carere omni reciprocatione æſtus marini.

**Fuiſſe alius generis.** *Secundo* memorantur apud autores quidem extraordinarii caſus mutationum maris in hiſce oris, quorum duos allegare non erit ingratum. Unus eſt apud *Strabonem* L. XVI. p. 758. qui ita rem refert: *Memoriæ proditum eſt, mirum quippiam, & ex iis, quæ raro contingunt, in litore accidiſſe inter Tyrum & Ptolemaidem, cum Ptolemaici prælium cum Sarpedone Imperatore commiſiſſent, fuga inſigni facta, pelagi affluxu inundationi aſſimili fugientes obrutos, atque alios in pelagus abreptos, alios in locis concavis mortuos relictos fuiſſe. Poſt cum iterum defluxiſſet æſtus, corpora detecta, atque oſtenſa, inter piſces mortuos promiſcue jacentia.*

Alter eſt apud *Ammianum Marcellinum* L. XXVI. ſub finem, ubi commemorat, ſub conſulatu Valentiniani primum & Fratris, qui incidit in annum poſt Chriſtum 365. fulguribus præviis crebris terræ motum talem extitiſſe, ut mare a litoribus retro fugeret longiſſime, adeo ut multæ naves, multi piſces in ſicco relinquerentur, hominesque ad colligendos piſces, oſtreas &c. longe in litora excurrerent, ſed mox redeuntibus undis, non ſolum omnium horum aliquot millia propter celeritatem fluctuum fuiſſe oppreſſa, ſed & mare longe ultra litora in terram procurriſſe, ſecumque raptis omnibus naves quasdam in terram ejectas. *Ingentes*, inquit, *aliæ naves extruſæ rapidis flatibus culminibus inſedere tectorum, ut Alexandriæ contigit, & ad ſecundum lapidem fere procul a litore contortæ ſunt aliquæ,*

ut

*ut Laconicam prope Methonem oppidum nos tranſeundo proſpeximus diuturna carie fatiſcentem.*

Frequentiores etiam ejusmodi extraordinarios maris motus, vel terræ motus in mari, quales revera dicendi ſunt, exiſtere in mari pacifico dicto, quod alias etiam æſtum extraordinarium experitur, etiam eo, quod Europam & Americam interjacet, ex relationibus, quæ de Peruviano & Chillienſi regno habentur, aliisque peregrinationum exoticarum conſtat.

Sed maxime memorabilis eſt locus ipſius quoque *Strabonis*, mox citata verba immediate ſequens, cujus verba: *Idem circa Caſium apud Ægyptum accidere, ubi terra convulſione quadam celeri atque ſimplici in alteram partem transferatur & decidat, ut pars ejus in ſublime elevata mare impellat, pars ſubſidens id recipiat, qua rurſum in diverſum mutata priſtinam omnia ſedem recipiant; & interdum permutatio quædam fiat, nonnunquam nulla. Fieri poteſt, ut motus hi certis converſionum circuitionibus ac vicibus ſint devincti, quæ nobis ſint ignotæ: quomodo etiam Nili incrementa diverſis modis, & ignoto hominibus ordine evenire traditum eſt.* Patet ultimum hunc locum Strabonis agere de ipſiſſimo tractu regionis, circa quem tranſitum factum eſſe, ex hypotheſi propoſita ſequitur.

Verum enim vero, etſi vel per ſimplicem terræ motum vel peculiari illa ratione, quæ litori circa Caſium montem propria eſt, eventus hic inſignis innoxii tranſitus Iſraëlitarum & oppreſſionis Ægyptiorum perſequentium contigiſſe ſtatuatur, miraculum tamen ei conjunctum fuiſſe propter opportunitatem temporis, quo hæc facta ſunt, apertiſſimum exiſtit. Nemo enim ſanus ſerio loquens ponere auſit, Moſen ex naturalibus cauſis potuiſſe (niſi divino afflatu) ſcire & prævidere, eo præciſe tempore futuros extraordinarios hoſce motus. Nam quamvis *Straboni* non impoſſibile videatur viciſſitudinum, quæ circa Caſium montem obſervantur, cauſas & periodos invenire, nimis tamen in dubio nos relinquunt ejus conjecturæ, & ne centeſimam quidem partem certitudinis ſperari poſſe in inquiſitionibus talibus videtur, quam ſibi imaginantur ii, qui rationem & periodos tempeſtatis & ventorum indagare hactenus conati fuere. Imo vero nihil periodici in his motibus terrarum ripenſium lacus Sirbonidis unquam fuiſſe, nobis propterea videtur plane manifeſtum ex eo, quod lacus iſte tandem plane ſiccatus, & noſtro tempore nullus eſt.

Conjuncta cum hoc tranſitu.

Cæterum terræ motui, quem miraculoſe productum a Deo ad hoc factum concurriſſe non plane impoſſibile, conjunctum quoque fuiſſe ventum maximum & vehementiſſimum, dubitare nos non ſinunt verba clara textus ſacri *Exod. XIV.* 2. *Cap. XV.* 8. 10. Et probe hoc convenit extraordinariæ illi naturæ & aëris ac interiorum terræ commotioni. Conglaciatas vero aquas lacus Sirbonidis fuiſſe, an proprie dici queat, ut celeb. *Hardtio* placuit, hoc eſt, quod aliis dijudicandum relinquimus.

Quemadmodum & aliis mittimus diſceptandum, an ex hac hypotheſi commodius etiam explicari poſſit, vel cum eadem nexum aliquem habeat traditio Ægyptiorum, qui *Typhonem* peſſimæ apud eos famæ tyrannum, vel *Seth*, ut vocabatur Ægyptiis, in Sirbonide ipſa palude merſum aut occultatum ferunt.

Aliorum opiniones de loco tranſitus.

Aliorum opiniones de loco ſpeciali in litore ipſius Sinus Heroopolitani, ubi tranſitus Iſraëlitarum factus, ponderare aut examinare præter noſtri inſtituti rationem eſt.

Quæ *Ovingtono*, *Monconnyſio* videantur, data occaſione in Tabulis noſtris partis procem. notavimus, *Clyſma* quibusdam aliis placere, ex *Weſſelingio* ad *Itiner. Antonini* intelligimus.

Deſertum Etham iterum.

g) Mari tranſito iterum Iſraëlitas in deſertum *Etham*, quod cum *Schur* idem eſſe, collatio locorum in tabula expreſſorum indubium facit, ſiſti, illud ex propoſita hypotheſi rectius quam ex ulla alia explicari, manifeſtum.

Qui per mare rubrum tranſitum factum ferunt, oportet ſtatuere, deſerta fuiſſe bina ex utroque latere illius,

lius, quorum utrumque nomen Etham habuerit.

Mara, Fontes amari. h) Hanc *Maram* cum *fontibus amaris*, in quos canalis a Seſoſtri perductus fuit (etſi deſtinatione prima ad rubrum uſque mare fuerit continuandus) comparari poſſe eo eſt veriſimilius, quia etiam diſtantia itineris triduani Iſraëlitis inſumti ab illa ultima ſtatione circa ripas Sirbonidis lacus uſque ad eosdem, admodum quadrat cum iis, quæ de ſitu horum locorum, fide ſuperiorum tabularum, in mappa noſtra repræſentavimus. Eſt enim milliarium Romanorum fere 45, vel novem mill. German. vulgar. Ut adeo tria milliaria Germanica itineri diurno illius numeroſiſſimi exercitus reſpondeant.

Fontes illos amaros dulces factos, aqua Nili in eos per canalem illum inducta, *Strabo* autor eſt. Sed non impoſſibile, illam aquarum ſanationem Moſi potius & miraculo deberi. Vel ulterius quidam fontes amari in deſertum uſque excurrerunt, quos Moſes ſanavit, & ad quos fuit ſtatio Iſraëlitarum, reliqui Ægypto viciniores cum Nilo communicantes aliam mutationis hujus cauſam habere potuerunt.

Elim Phœnicon. i) Hæc *Elim* an cum *Phœnicone*, de qua tribus locis in *cap.* 3. *partis procemialis*, eadem ſit, aliorum eſto judicium. Non procul ſane ab intimo receſſu ſinus Heroopolitani, apud quem *ara Neptuni*, unde Poſidii nomen, Phœniconem illam fuiſſe probabile. Et diſtantia a priori ſtatione, ſi triduano pariter itineri ab ea ad Elim 45 mill. Rom. tribuamus, apprime quadrat.

Mare Suph. k) Nunc demum ad *mare Suph* a ſacro autore ſiſtuntur Iſraëlitæ. Sed ad illud alterum, rubri nempe maris nomen gerens, perveniſſe eos, vel potius (cum Elim quoque videatur illi mari confinis fuiſſe) ad ſtationem in ripa nullo nomine inſignem, adeoque a mari ſaltem denominandam, cepiſſe, veroſimile exiſtit; vel ex ſuperioribus noſtris ſequitur.

Et ductus itineris continuo nunc verſus Sinai montem directus ſpeciem habet veroſimiliorem quam apud eos, qui tranſitum per ipſum Sinum Heroopolitanum factum, dein per duas ſtationes ab eo diſceſſum, mox iterum ad eundem reditum factum eſſe, atque dein iterum converſum fuiſſe iter ad Sinai montem, ſtatuere coguntur. Quales ambages, ut Moſes faceret, an toleraturi fuiſſent Iſraëlitæ, merito dubitamus.

l) Stationis ad *Rephidim* locum aſſignare multo eſt facilius, quam aliarum, quia propior Sinai vel Horeb monti fuit ex notatis in *Tab. præced.* & *Exod. XVII.* 6. Locus tum temporis fuit inaquoſus. Aqua non niſi per miraculum a Moſe producta. Noſtro tempore ex vicinia hujus tractus rivum deſcendere, videtur ſequi ex notatis in *Tab.* 4. *Cap.* 3. *partis procem.* Forſan ex eo tempore, quo ibi fuere Iſraëlitæ, & Moſis opera fluvius proſiliit, idem fluere perſeveravit. Rephidim.

m) *Jethro* vel *Chobab* Moſis ſocer, qui ad eum veniſſe dicitur mox, cum de ſtupendis geſtis & Exodo Iſraëlitarum inaudierit, antequam ad ipſam ſtationem ad Sinai montem acceſſerunt, in ſacris patriam vel ſedem habet *Madian*.

Hanc plerique quærunt inter Moabitas, quibus Midianitas, Madianitas mixtos habitaſſe conſtat. Arabes eam plane ſtatuunt in Arabia ad rubri maris litora orientaliora, vocantque locum *Mgar al Schoaib*, i. e. *antrum Schoaibi vel Chobabi*, hoc eſt *Jethronis*, qui quidem cum *Modiana*, quam *Ptolemæus* aliique veteres agnoſcunt, coincidere creditur. Sed hoc faciunt Arabes, qui Alexandrum ad Inſ. Socotoram, & ad fretum Herculeum, ac ad pylas Derbenti peregrinari faciunt.

Nobis huc ſpectare videtur *Medeja*, cui in *tab. Auguſtana* a *Clyſmate*, a *Pharan* atque *Aila* ea diſtantia & locus aſſignatur, quam in mappa ei dedimus. Nam incredibile, exiguo tempore ab exitu Iſraëlitarum Jethronem ex Arabia itinere circa Sinum Elaniticum ducto potuiſſe Moſi ante montem Sina occurrere. Et ipſa quoque via ex Moabitide longior videtur. Magis etiam incredibile, greges Jethronis, quorum curam Moſes habebat, a Moabitide, multoque magis ex Arabia tam remota,

mota, ad Horeb montem, ubi apparitio Dei facta Moſi, fuiſſe ductos. Sed de Medeja hac noſtra nulla talis difficultas.

Altera pars itineris a Sinai M. ad Jordanem.

n) Poſtquam produximus iter Iſraëlitarum ad Sinai montem: quæ ſtatio difficultatem non habet, geſtis ad eam nobis quoque extra deſtinationis & inſtituti metas exiſtentibus, ſequitur altera pars hujus itineris a Sinai monte ad Jordanem usque fluvium.

In hac vero ambages adeo varias & ſtupendas pingunt & fingunt alii, ut ſatis appareat, eos, quo ſe vertant, neſcire, nec in hoc labyrintho rationis & hiſtoriæ aut Geographiæ ac Criticæ artis ductum præ oculis habere.

Principia circa hanc quæſtionem. I. Geographicum.

Nobis breviter eadem percurrenda venit. Cynoſuræ vero loco nobis in hoc itinere eſſe poſſunt hæc duo. Quorum *primum*: loca quædam determinati & certi ſitus, ſequentia nempe: *Beeroth Bne Jahakan*, *Petræ*, *Kades barneæ*, *Phunon*, *Oboth*, & *Arnonis fl.*

*Beeroth Bne Jahakan*, vel putei filiorum Jahakan, quorum diſtantiam & plagam reſpectu Petræ Arabiæ habemus ex *Euſebio* in *tabulis ſuperioribus cap.* 3. *partis proœmialis.*

*Petræ* vero ſitum adeo determinatum exhibemus in mappa noſtra, per dicta in ſuperioribus, ut vix ullius in terris & regionibus maxime cognitis.

*Kadesbarneæ* poſitio ex tabula limitum tribus Judæ infra exhibenda pariter eſt quaſi demonſtrata.

Jam vero de *Phunon* in *tab.* I. *cap.* 3. *partis proœmialis* notata quædam extant, nempe de ſitu ejus inter Zoaram & Petram. Quæ ex Relando de ea obſervare ulterius poſſumus, ſunt: quod φινω quoque & φαινω dicta, item φαινω & φινες, & quod urbs Idumææ (vel in finibus Idumææ veteris) fuerit; poſt vicus in ſolitudine, metallifodinas habens, ſed aëris peſtilentis.

De *Oboda*, quæ & *Oboth* ex *Tabula Peutingeriana* potiſſimum nobis conſtat, & *Ptolemæo*, probabilitate ea, quæ dari poteſt in hiſce rebus. Scilicet in via ab Eluſa ad Lyſam in *Tabula Auguſtana* occurrit. *Eluſam* vero etſi *Ptolemæus* ex occidentali latere lacus Aſphaltitidis locet, tamen, quia inter urbes Moabitidis memoratur, non ſolum in ſacris, ubi *Luith* dicitur, verum etiam ab *Hieronymo*, qui eam in Palæſtina tertia & Moabitide ſitam expreſſe ait, ab orientali dicti lacus latere eam locandam patet, ad diſtantiam ab Hieroſolymis, quæ in tab. Auguſtana annotata exiſtit. Quibus poſitis locus Obodæ determinatur promte.

*Alterum*, quod diximus, Cynoſuram vel Ariadnæum filum præbere poſſe in iſthoc labyrintho, eſt ordo itineris illius *Num. capite* XXXIII. definitus, &, ut in deſcriptione capitis illius, & tabulæ noſtræ notatur, ex præcepto Dei conſignatus: quem ponere licet eſſe talem abſolute, hoc eſt, non *indicem* ſolum ſtationum, ſed ipſius *ordinis* earum ſtudioſe factam *expreſſionem.* II. Criticum.

Cujus rei indicium eſt manifeſtiſſimum, modus, quo verba ipſa hujus catalogi concepta ſunt, cum ſemper terminus a quo & ad quem commemoratus inveniatur circa ſingulas, ut cum dicitur: *profecti e Sinai caſtra metati ſunt in Kibroth thaava*, *profecti ex Kibroth thaava caſtra metati ſunt in Chazeroth* &c. atque adeo prior cum poſteriori ſemper connectatur immediate.

Conclusio ex his principiis & ſententia verior

Jam in *Exodo* quidem, ſive relatione itineris illius, quæ extat in ſecundo Pentateuchi Moſaici libro, qualis *columna A. tabulæ præcedentis* exhibetur, inter ſtationem ad Sinai & ad Kadesbarnea duæ ſaltem interjiciuntur, de cætero ſacer autor contentus eſt commemorare iter factum per deſertum horribile & magnum Paran. In fuſiori vero & completa illa recenſione in *Numeris* extante, quam exhibet *columna Tab. præcedentis* B, earum plures enumerantur debito ordine, illic relegendæ.

Ad quas adeo Iſraëlitas ordine quoque acceſſiſſe, *antequam* ad *Kadesbarneam* pervenerint, ſi ſtatuamus, jure & quidem maximo hoc ſumere poſſe videmur.

Ut adeo reſtent poſt Kadesbarneam ſaltem illæ ſtationes, quæ in

dicta Catalogo *Num. XXXIII.* ſequuntur.

Aliorum ſententia.

Aliis ſcimus placere, *poſt* illud tempus, quo ad *Cadesbarneam* ſtationem habuerunt, demum Iſraëlitas in deſerto hinc inde per varias ambages durantibus 38 annis, quo una cum duobus illis, qui ante ſtationem ad Kadesbarneam effluxerunt, complerentur 40 anni moræ in deſerto, qua populus, qui ad Kadesbarneam immorigerum ſe geſſerat, & ad eam pœnam a Deo damnatus erat, ut ante introitum in terram promiſſam conſumeretur, a Moſe circumductos.

Ratio quædam pro illa ſententia.

Videntur quoque ſibi rationem ſuæ ſententiæ aliam inveniſſe in verbis *Exodi XIII.* 3. & *Deuter. I.* 40. ubi poſt infeliciter geſta ad Kadesbarneam reverti jubentur verſus mare Suph, vel in deſertum via ad mare Suph.

Difficultates hujus ſententiæ poſterioris.

At vero ſic ſtatuere coguntur, vel mentionem Kadesbarneæ aut Kadeſch injuſto loco & ordine, fieri in illo catalogo in *Numeris* extante, vel bis Iſraëlitas ad eam ſtationem acceſſiſſe, quarum ſecunda omiſſa ſit a ſacro Scriptore, quorum utrumque eſt contra ſuperius ſtabilita. Nec trahi huc poteſt locus *Deut. I.* v. 46. in *Tab. noſtra column.* C. expresſus, ubi videtur altera vice commemorari Kadeſch.

Manifeſtum eſt enim, ibi per modum ſaltem recapitulationis vel tranſitionis ad ſequentia mentionem Kadeſch iterato fieri.

Rationis ſuperioris refutatio.

Præterea certum eſt, quod de directione itineris verſus *mare Suph* dicitur, non eſſe neceſſe, ut mare ipſum rubrum, vel ejus ſinum ab Heroo dictum intelligamus, atque adeo, quo tempus huic diſtantiæ a Kadeſch ad mare rubrum accommodum expleatur, ordinem ſtationum a ſacro textu ſuppeditatum luxemus & alteremus. Nam obſervatum eſt mare, quod *mortuum* vocamus, quoque illo nomine appellatum fuiſſe.

Ut adeo ſenſus illorum verborum *Exod. XIII.* 3. & *Deuteron.* I. 40. poſſit eſſe potius hic: Iſraëlitas, cum in itinere ſuo acceſſiſſent ad Kadesbarnea (ordine ſcilicet, quo refertur in ſacro textu, a Sinai nempe monte vel ſtatione 12 ad 33 ſtationem progreſſi) miſſis exploratoribus propiorem ingreſſum in Palæſtinam tentaſſe, ſed relatione illorum exploratorum audita, adeo ſe contra Deum immodeſte geſſiſſe, ut idem eis pœnæ loco dictaverit, non debere eos in terram ipſam ingredi, multoque minus per expeditam illam viam progredi. Iſraëlitas vero majori etiam pervicacia, vel invito Deo voluiſſe illac irrumpere, a Rege vero Aradi & fœderatis repulſos atque rejectos: quibus iratus Deus non ſolum præceperit, ut non jam proximam & recta in Cananæam ducentem, ſed aliam viam juxta mare mortuum inter ipſos limites Idumæorum & Moabitarum mediam, vel per deſertum, quod inter Idumæam & Moabitidem eſt, inſtituerent, verum etiam voluerit illos eouſque, dum omnes militari ætate inter eos, & qui piaculo inobedientiæ obſtricti fuerant, deceſſiſſent, circa Kades deſidere.

Dubia & difficultates circa ſententiam priorem. I Dubium.

Dubia, quæ circa hanc explicationem moveri poſſe prævidemus, ſunt potiſſimum bina. *Unum*, quod hac ratione ſtatuendum ſit, per tempus duorum ſaltem annorum ad Kades proceſſiſſe Iſraëlitas. Nam ſecundi anni menſe 2 vel 3 a Sinai monte digreſſos brevi tempore ad Kades perveniſſe, ubi exploratores emiſſi, videri. Ac dein integros 38 reliquos annos ex maxima parte moræ ad Kades, ex aliqua parte itineri reliquo deputandos. Quam diuturnam moram ægre obtenturus fuiſſe Moſes videatur ab ipſis Iſraëlitis.

At vero reſponderi ad hæc poteſt, videri hoc ipſum confirmari verbis ℣. 14. *Cap.* 11. *Deuteronomii*, ubi aſſeritur, a Kadeſchbarnea ad vallem Zaredi tranſeuntibus effluxiſſe 38 annos. Præterea majorem futuram fuiſſe difficultatem Moſi in officio continendi Iſraëlitas, ſi eos a Kadesbarnea retro duxiſſet ad mare rubrum & verſus Ægyptum; quin potius Iſraëlitas plane in Ægyptum redeundi animum capere potuiſſe.

II Dubium.

*Alterum* dubium eſt, non tam quod *tempori*, quod hac ratione inter abitum ex monte Sinai & appulſum ad Kadesbarnea ſtatui oportet,

tet, numerus ſtationum, quæ ſunt ad viginti & unam, non ſatis reſpondeat, ſed potius *diſtantiæ ſpatii peragrati*.

Nam quantum ad *prius*, certum eſt quidem, quemadmodum ab exitu ad ſtativa ad montem Sinai capta 49 ad ſummum dies (quot eſſe inter Paſcha & Pentecoſten omnes norunt) elapſi reſpondent 12 ſtationibus, ita ab anni ſecundi menſe ſecundo, die 20 itineris a monte Sinai inſtitui cœpti ad finem fere illius anni, quo ipſo ad Kadesbarnea pervenerunt, cum effluxerint dies ſextuplo fere plures, his ipſis probe abſolvi potuiſſe 21 illas ſtationes.

Sed quantum ad *alterum* ſive diſtantiam inter hæc loca interjectam, ſiquidem quod mox oſtendetur via quaſi proxima a *Sinai* ad *Beeroth Bne Jahakan* vel puteos filiorum Jahakanis acceſſerunt ſtationibus 16, diſtantia hæc videtur juſto brevior. Etſi iterum, ſi a puteis illis ad Kadesbarnea numeremus ſtationes 5 (omnia ſecundum ea, quæ oculis ipſis exhibentur in tabula) iterum diſtantia illorum extremorum non plane abſona cenſenda ſit.

Nam quod ad ſtationes illas priorus 16, ſequi videtur ex hypotheſi noſtra & diſtantiis mappæ, collatis itinerum diurnorum intercapedinibus, quæ antecedebant moram ad Sinai, verbi gratia eorum, quæ ab Elim ad Sinam montem exiſtunt, diſtantiis harum ſtationum ſingulis tribuenda eſſe milliaria Romana 30 vel 25 potius, numero rotundo.

Qui numerus milliarium in ſtationum numerum multiplicatus daret 400 mill. diſtantiam a Sinai ad puteos filiorum Jahakan. At, ſi quidem mappa recte ſe habet, non integra 120 mill. Romana linea quidem recta inter hæc loca intercedunt.

Auget difficultatem, quod repetito itinere a monte Sinai Iſraëlitæ dicantur primam ſtationem cepiſſe tridui ſpatio a monte illo vel ſancto. In quod triduanum ſpatium ſi, ut ſupra, imputemus 45 mill. Rom., vel rotundius 40 ſaltem, detractis illis ex 120, reſtant vix 80 mill. Romana computanda in 15 ſtationes, nec adeo integra 6 mill. Rom. in unam ſtationem. Ut adeo dicendum foret, vel via admodum irregulari & per ambages ducta hoc ſpatium itineris abſolutum, vel nimis multo breviora itinera diurna curtasque diſtantias ſtationum electas. Quod incommodum non leve futurum fuiſſet in tam numeroſo hominum cœtu, cujus ſtativa ejus amplitudinis fuiſſe oportet, ut ab uno eorum extremo ad illud non facile minus quam 5 milliarium Romanorum, quæ uni Germanico vulgari æquantur, extenſio locum habuerit.

Quam difficultatem cum ipſimet profiteamur talem ac tantam, quæ nos plenarium aſſenſum hypotheſi propoſitæ accommodare vetet, etſi fieri poſſe credamus, ut ei tollendæ ratio aliqua inveniri queat, hanc ipſam modeſtiam noſtram æquis lectoribus argumento futuram ſperamus, ut nihil credant nos levitatis & novitatis ſtudio attuliſſe.

Quæ adeo & ratio eſt, cur in mappa noſtra illud ſpatii, quod intercedit, nullis harum ſtationum veſtigiis aut notis inſtruxerimus; præſertim cum nobis, qui nihil ſine ulla ratione in medium afferri debere in animum inducere poſſumus, nulla ſit, cur in dextram potius quam ſiniſteriorem partem ille itineris ductus deſignandus videatur.

Quemadmodum vero dubiis ejusmodi non obſtantibus licet hypotheſeos alicujus examen ad finem perducere, ita liceat & nobis ulterius, quæ ex ſuperioribus ſequantur, conſiderare. *Sententiæ prioris declaratio ulterior.*

Fuit adeo iter Iſraëlitarum a Sinai monte ad *puteos filiorum Jahakan* continuatum ordine, quo in *tabula hujus capitis partis proœmialis* expreſſum. Inde converſo eodem ſecundum montes, qui Idumæam claudunt, ad *Kadesbarnea* quinque ſtationibus perventum. Diximusque non inconditas eſſe diſtantias harum poſteriorum ſtationum prodeuntes. Quinque ſtationibus enim cum competant, teſte mappa 60, fere milliaria & amplius, uni ſtationis cujusque ab altera diſtantiæ competent 12 milliaria Rom. vel $2\frac{1}{2}$ mill. Germ. proxime.

Poſt moram demum diuturnam ad Kades continuatum idem fuit, via

via ducta ſecundum *mare Suph* vel *mortuum*, ut ſupra dictum.

Conſequentiæ hujus ſententiæ. Ex hac deſcriptione itineris ſequuntur varia de natura & conditione locorum & regionum, juxta quas idem proceſſit.

Idumææ amplitudo. Nam rectius ex ea, quam ex aliis, intelliguntur *terræ Idumæorum limites.* Petram enim primariam ejus urbem fuiſſe, eſt tritiſſimum. Ab ea cum vix 10 mill. Roman. ſpatio abfuerint *Beeroth Bne Jahakan*, quos extra Idumæam fuiſſe longe eſt maniſeſtiſſimum, cum Iſraëlitis prohibitum fuerit, pedem in terra Idumæorum ponere: patet, admodum arctum, ſaltem in illa parte, tractum illius regionis fuiſſe.

Montes Seir. Atque ſecundum eum *montana Seir* proceſſiſſe, quæ limitem faciebant Idumææ, ex hoc conſtat, quia Iſraëlitæ & ad montes Hor & ad montes Seir acceſſerunt, per quorum priores cum iter fecerint, poſtquam a Kadesbarnea ulterius fuerant progreſſi, ſequitur latus montium Seir eos ſtrinxiſſe, antequam ad Kadesbarnea accederent, adeoque in via a Beeroth Bne Jahakan, quæ in limitibus, ad Kades.

Mons Hor. Porro & *montis Hor* ſitus rectius intelligitur, quoniam, cum a Kadesbarnea progreſſi mare mortuum circumire incepiſſent, patet illo loco & non alio, quam quo eum in mappa noſtra notavimus, eum quærendum.

Eziongeber. Denique quantum ad ſitum ſtationis 32 vel (p) quæ eſt *Eziongeber*, patere credimus manifeſtiſſime hæc duo:

1) Non fuiſſe Eziongeber in terra Idumæorum, hanc enim, ut dictum, calcare quovis modo Iſraëlitas, præſertim ante tranſitum petitum, (quod factum demum, poſtquam ad Kadeſch acceſſerant, vel potius, quando iter a Kades ulterius continuare aggreſſi erunt) eundemque negatum, non auſos, & a Deo prohibitos fuiſſe.

2) Neque etiam fuiſſe ad mare rubrum, ſed mediterraneam proxime fines Judææ, & modico intervallo a Kades. Hoc enim ductus itineris manifeſtum facit.

3) Ubi adeo in dictis quibusdam Scripturæ *Elath* & *Eziongeber* junguntur, ſequitur, ibi intelligenda eſſe duo extrema terræ Idumæorum, alterum maritimum Aila vel Elath, & alterum mediterraneum, quemadmodum hoc graphice mappa noſtra inſinuat. Talis eſt locus *Deuteronom.* II. 8. Cujus ſenſus manifeſto eſt hic: *Prætergreſſi ſumus fratres noſtros filios Heſavi inhabitantes Sehirem a via campeſtrium, & ab Elatha ad Heziongeber.*

Quæ cum ita ſint, alterius eſt loci, diſpicere, quomodo ſtet eorum ſententia, qui Eziongeber portum maris rubri putant prope Elath ſitum, & in media terra Idumæorum, ex quo ipſo, non ex Elatha Salomo naves emiſerit.

Nunc ad reliqua.

o) Riſſa hæc an cum Geraſa Ptolemæi eadem, nobis, qui non ex nominum affinitate ſolum, ſed diſtantiarum conſideratione ratiocinia inimus, dicere non licet. *Ptolemæi* poſitiones ſemper dubias eſſe, niſi alia teſtimonia accedant, dictum. *Raſa Tab. Peutingerianæ*, ſi quidem, qualis in mappa noſtra 11. notatur, ſitum habuit (quamvis dubium eum nobismet profiteamur) huc non ſpectat. Foret enim in media Idumæa. Riſſa.

q) Eorum, qui loca Scripturæ ſacræ vexata conciliare ſuum ducunt, eſt, hunc locum, qui luxatus & extra ordinem trajectus videtur, explicare. Itemque alium *Numer. XXXIII.* 40. Expedita res eſt apud eos, qui ſtatuunt, ex variis ſchedis collectum textum legum Moſaicarum; eo caſu enim fieri poterat, ut iniquiori hoc loco reponerentur hi textus. Dub.

r) An ad puteum iſthunc, vel *Beer*, peculiaris fuerit ſtatio, & quomodo ſtationes ſequentes, quas notis 42. 43. 44. diſtinximus, *Cap.* 21. in *Numerorum libro* occurrentes cum iis, quæ *Cap. XXXIII.* ejusdem libri memorantur, in concordiam redigi debeant, dubium eſt: Sed non adeo magni momenti. Prius difficile reddunt interpunctiones minus commodæ vulgatæ, cum ea, quæ v. 18. dicti *capitis* 21. *Num.* ſtationem Mathanæ a verſu ſequenti ſejungit, ſit plane vitioſa. Videtur ſen- Dub.

ſenſui optime conſuli, ſi interpunctiones fiant inde a verſu 13 tales: *Inde profecti caſtra metati ſunt ad vadum Arnonis, quod eſt in ipſo deſerto procedente a termino Emorræi.* (*Nam Arnon* (parentheſis hæc eſt) *terminus eſt Moabitarum, inter Moabitas & Emorræos diſtinguens. Unde etiam eſt, quod dici ſolet in libello, qui Bella Jehovæ inſcribitur:* CONTRA VAHEB IN REGIONE SUPH (hæc eſt mare mortuum & manifeſte, ut ex contextu patet, ad limites Moabitidis) *& contra flumina Arnonis.*) *Ita ut decurſus ipſe vel alveus horum fluminum ad Arem vel Areopolim Moabitidis metropolim procurrens conſtituat terminos Moabitarum. Et inde profecti ſunt ad Beer*, vel: *ibi quoque eſt puteus.* (*Is nempe eſt ille puteus* (pariter hæc eſt parentheſis) *de quo dixerat Jehova Moſi: congrega populum, & dabo eis aquam, de quo etiam Iſraëlitæ tunc hoc canticum cecinerunt: Aſcende putee, acclamate ei: putee, quem fodiunt Principes, quem effodiunt Ingenui e populo cum legislatore ſcipionibus ſuis.*) *Porro a deſerto* (nempe eo, quod ℣. 13. memoratum) *profecti ſunt Mathanam, Mathana Nehalielem, Nehaliele Bamothai* &c.

*OBSERVANDA.*

Promiſit publico deſcriptionem accuratam itineris ſui verſus montem Sinai, ipſiusque adeo regionis circa hunc montem *C. Schau*, nondum tamen nobis viſam. Qui ſi rectius nos de his edocere potis fuerit, magnam apud omnes eum gratiam initurum dubium eſt nullum.

# CAP. XIII.

## Limitum terræ Iſraëliticæ propriæ promiſſæque deſcriptio parallela.

*MERIDIONALES.*

| Num. XXXIV. 3 ad 5 | Joſ. XV. 2 ad 5. | Ezech. XLVII. 19 |
|---|---|---|
| Plaga AUSTRALIS a deſerto *Tzin* ſecundum ſedes Edomæorum. | Ad terminum Edomæorum deſertum *Tzin* meridiem verſus extremitas auſtralis | Latus auſtrale meridiem verſus |
| *Extremitas maris ſalſi* (יָם הַמֶּלַח) ad Orientem. | *Extremitas maris ſalſi* ab eo ſinu, qui ſpectat meridiem verſus | A mari orientali (terminum orientalem claudente) a *Thamar* |
| divertit hic terminus ab Auſtro ad *aſcenſum Acrabbim* | unde procedit ſecundum meridiem ad *aſcenſum Acrabbim* | |
| pertranſit *Tzin* (Pro urbe habet Relandus צִנָּה dicta. Sed manifeſtum eſſe deſertum Tzin adſitum Kadeſcho) | pertranſit *Tzin* | |
| exitus ejus ab auſtrali plaga per *Kadeſch barneha* | aſcendit a meridie *Kadeſchi barneha* | ad aquas contentionum *Kadeſchi* |
| | tranſit *Hezron* | |
| procedit *Chazar Adar* | aſcendit *Adar* | |
| | divertit *Karkah* | |

| *MERIDIONALES* | | |
|---|---|---|
| Num. XXXIV. 3 ad 5 | Joſ. XV. 2 ad 5 | Ezech. XLVII. 19. |
| tranſit *Chazmon* Chazmone divertit ad *vallem Ægypti* exitus ejus ad ipſum *mare* | tranſit *Hazmon* procedit ad *vallem Ægypti* exitus ejus termini in *mare* | latus poſſeſſionis ad *mare magnum* |

| *OCCIDENTALES.* | | | |
|---|---|---|---|
| Num. XXXIV. 6 | Joſ. XIII. 2 | Joſuæ XV. 12 | Ezech. XLVII. 20 |
| Terminus occidentalis *mare magnum* | vide obſervand. ad (a) | Terminus occidentalis *mare magnum* | Latus occidentis *mare magnum* a termino usque *ex adverſo aditus Chamathæ* (b) |

| *SEPTENTRIONALES.* | | | |
|---|---|---|---|
| Num. XXXIV. 7 | Joſ. XIII. 5 ſs. | Ezech. XLVIII. 1 | Ezech. XLVII. 15 |
| A mari magno | Continuatio hæc eſt limitum inde a verſ. 2. exhibitorum | Hæc autem ſunt nomina tribuum | Mare magnum ex adverſo aditus Chamathæ (b) |
| | *Magora*, מעכה (Vertunt Speluncam Zidoniorum. Et arte factas *ſpeluncas* teſtantur recentiores autores, inter quos Maundrellus. Sed *Plinius* L. V. c. 20 *fluvii* meminit his verbis: *At in ora etiamnum Libano ſubjecta fluvius Magoras, Berytus* &c.) | Ab extremitate verſus Aquilonem (ſcil. incipiendo) — | |
| | *Aphek* (Aphaca inter Heliopolim & Byblum, ad fluvium quoque Adonidem, qui Byblum præterfluit) | | |
| | usque ad *terminum Emorræorum* | | |
| | *Terra Giblæa* (c) | | |
| | *Totus Libanus ad orientem ſolis* | | |
| ad *Hor* montem | a *Baalgad ſub Chermone* | | |

## *SEPTENTRIONALES.*

| Num. XXXIV. 8 ſs | Joſ. XIII. 5 ſs. | Ezech. XLVIII. 1 | Ezech. XLVII. 15 |
|---|---|---|---|
| ab eodem qua itur *Chamatham* (b) | usque ad *Chamathæ ingreſſum* (b) | ſecundum *viam Chetloni*, | *Via Chetlonis* |
| exitus illius termini *Zedadi* | | | *Tzedadum* usque |
| | | *aditus Chamathæ* (b) | *Chamatha* |
| ex quo procedit terminus ad *Ziphron* | | | *Berotha* *Sibrajim*, quæ incluſa termino Damaſci & termino Chamathæ |
| exitusque ejus *Chazarhenane* | | *Chazarhenan* termini Damaſci, aquilonem verſus. | *Chazerhattichon ad terminum* (ſive in vicinia) *Chauranis* |
| | | Secundum Chamatham, hæc enim ei ſunt latus orientale & occidentale, | (Mala eſt verſio Junii, quæ pro Chazerhattichon ſubſtituit pagos medianos) |
| | Pergit textus Joſuæ: *omnes habitatores illius montis a Libano usque ad fornaces vitriarias* (combuſtiones aquarum) *omnes Tzidonios expellam* &c. | Danis tribus una (potius: ab oriente verſus occidentem porrigitur Danis tribus prima) | Pergit denique *Ezechiel* ℣. 17. *Et erit hic terminus a mari ad Chazar Henan* (quam proinde pro nomine proprio ipſi Chazarhattichon æquipollente ſumit Ezechiel) *quæ eſt in limite Damaſci, ductus terminus maxime Aquilonaris, & terminus Chamatham verſus. Et hic adeo eſt terminus Aquilonaris* (vel: hæc adeo de termino Aquilonari dicta ſunto.) |

ORIEN-

## ORIENTALES.

| Num. XXXIV. | Exech. XLVII. 18 | |
|---|---|---|
| Terminus orientalis ab *Chazar Henan Schephamum* unde deſcendens hic terminus *Riblam* verſus ab oriente *Haijini* (vulgatus hic habet, fontem Daphkim) pergit porro deſcendere, donec attingat *litus maris Cinnereth* orientem verſus | Latus orientis a *Chaurane* & a *Damaſco* | |
| & deſcendente termino ad ipſum *Jardenem* | Præter terram *Gilhadis terramque Iſraëlis* (Quid hoc ſibi velit, an ſcribendum *Jahzeris* vel aliud, non liquet) ad *Jardenem* | |
| exitus ejus ad *Mare Salſum* (יָם מֶלַח) | & a termino hoc ad *mare orientale* | |

## OBSERVANDA.

(a) Locus hic Joſuæ XIII. 2. difficilis admodum videtur, difficultatem augentibus interpunctionibus: Credibile eſt hunc ejusdem eſſe ſenſum: ***Hæc eſt terra, quæ relinquitur: Omnes limites Peliſchtæorum & tota Geſchuræa, a Schichore, qui eſt ante Ægyptum, usque ad terminos Hekronis*** (intellige de limitibus eo usque extenſis. Sequitur vero dein Parentheſis, quæ pridem forſan ad marginem fuit) ***verſus Aquilonem quæ ſunt*** (ſcilicet eorum, quæ hic proxime memorantur, inter Schichorem & Hekronem) ***Cananæis accenſentur, regio nempe quinque ſatrapiarum Peliſchtæorum, Gazathææ, Aſ hdodææ, Aſcalonitica, Gatthææ & Hekronitica. Quæ ad meridiem vero Havæorum ſunt.***

Pergitur dein in textu: ***Tota adeo terra Canaan, ad Magora, quod eſt Tzidoniorum Aphekum usque, & inde ad terminum Emoræi,*** (intellige: ad terram, quæ relinquitur, ſpectat. Ita ut demum terminus ſeptentrionalis & ulterior terra Giblæa comprehenſa & toto Libano orientem ſolem reſpiciente usque ad ingreſſum Chamathæ extendatur.)

(b) Cum vox לבוא ſæpius & conſtanter occurrat locis pluribus, in quibus interpretes eam reddunt: *in aditu Chamathæ, qua venis Chamatham,* &c. Credi poſſit, eam non injuria pro nomine proprio habendam, & cum *Libo, Lybon, Lybona,* quæ in *Itinerario Antonini* extat, inter Laodicæam Cabioſam & Heliopolim, plane ad Eleutheri fluminis tranſitum ſita, componendam. Certe ad flumen Eleutherum limites Iſraëliticæ terræ proceſſiſſe, & eum intelligi nomine magni fluvii Phrat, infra allata reddent haud improbabile. Ut adeo hæc Libo vel Libon a vicina Chamatha, Hama vel Epiphania, *Libo Chamathæ* dici cenſenda foret.

(c) *Maundrellus* Byblum pro terra Giblæ vel Giblæa habet. Et ſane verum eſt, quod obſervat, Giblim, qui in textu Ebræo *I. Reg. IV.* 18. dicuntur, a LXX. interpretibus vocari Byblios: itemque, qui dicuntur *Ezech. XXVII.* 9. Seniores Gebal ab iisdem interpretibus appellari pariter Seniores Bybliorum. Videri vero poterat in recenſione horum limitum a *Joſua XIII.* 5. facta obſervari ordinem naturalem, & quod Giblæa terra memoratur poſt *Aphekum, Aphacam,* eum longius poſt Aphekum in mediterranea recedere, propiusque medium Libanum (vel Antilibanum) prope Baal Gad ad Chermonem montem ſtatuendam. At vero neque hæc ſententia minus commoda exiſtit, quæ ſtatuit, nullo adſtrictiori ordine recenſeri celeberrimas ejus viciniæ tractus gentes,

quæ

quæ limites terræ Iſraëliticæ attigerint, adeoque non malam eſſe interpretationem LXX. viralem.

Cui pondus accedit, quod hæc ipſa Byblus noſtro tempore quoque *Gibelette* dicitur, voce Arabica vel Syriaca Italicam terminationem habente. Quod eſt ex uſu illarum gentium, quas alibi obſervavimus vetera nomina, quæ a Græcis alterata fuerant, in uſum revocaſſe: quibus tempore expeditionum cruciatarum aliqua levis mutatio ratione terminationis accidere poterat.

Nam quamvis & hoc obſervatu dignum ſit, occurrere in eodem litore Syriaco tractu paulo borealiori inter Laodicæam & Balaneam Gabalam aliquam, quæ ſoni ratione propius etiam accedat ad Giblæam hanc terram: verum tamen eſt, eam longius recedere a limitibus terræ Iſraëliticæ, quam ut hoc loco Joſuæ eadem intelligi poſſit; quemadmodum & loco *I. Reg. V.* 18. minus commode idem fieri poteſt, cum Giblæi memorentur operas Churamo Regi Tyrio præſtitiſſe in cædendis lignis in monte Libano, quæ Salomoni ipſe devehenda curabat, quod Bybliis potius, quam Gabalenis longius diſſitis quadrat.

## *Limitum terræ Iſraëliticæ extremorum varia deſcriptio alibi occurrens.*

*Num. XIII. v.* 22. Aſcendentes exploraverunt terram illam a *deſerto Sinis Rechobum* usque, *qua venis Chamatbam.*

*Joſ. XII.* 7. Hi ſunt reges iſtius terræ, quos percuſſit Joſua cum filiis Iſraëlis cis Jordanem ad occidentem a *Bahal Gade* in convalle *Libani*, usque ad montem glabrum, qua aſcenditur *Sehirem.*

*I. Chron. XIII.* 5. Congregavit ergo David ex toto Iſraële a *Schichore Ægypti*, usque *qua venis Chamatham*, ad deducendam arcam Dei ex Kiriath Jearim.

*I. Reg. VIII.* 65. Celebravit etiam Salomo tempore illo illud feſtum & totus Iſraël cum eo, congregatio magna, inde *ab ingreſſu Chamathæ* usque ad *torrentem Ægypti*, coram Jehova Deo noſtro ſeptem diebus.

Item *II. Chron. VII.* 8. Celebravit etiam Salomo feſtum illud tempore illo ſeptem diebus, & totus Iſraël cum eo, congregatio magna valde, inde *ab ingreſſu Chamathæ* usque ad *torrentem Ægypti.*

*Amos VI.* 14. Excitaturus ſum contra vos gentem, quæ premet vos *ab aditu Chamatæ* usque ad *torrentem campeſtrium* vel *deſerti.*

Plura loca ejusmodi videantur infra, ubi de flumine Phrat agetur.

# PARS II.
# GEOGRAPHICO-HISTORICA,
ET
## PRINCIPALIS
## CAP. I.
## *DE REGNO DAVIDIS ET SALOMONIS.*

Inſtitutio operis.

DAVIDIS & SALOMONIS tempore maxime floruiſſe Imperium vel regnum Iſraëliticum, nemo ignorat.

Quæ ratio eſt, cur idem illuſtrationem mereri nobis viſum ſit. Præſertim cum ad cognitionem ſtatus regnorum & imperiorum ejusdem ætatis in profana hiſtoria non parum eadem ſimul factura videretur. Quoniam vero ex collatione ſtatus etiam ſubſequentis ejus conditio rectius intelligitur; de hoc quoque ſuccincte agere operæ pretium duximus.

Partibus vero conſtabat regnum hoc Davidicum, primo ipſa terra Iſraëlitica, dein & regionibus extra eam, partim a Saule, partem & quidem maximam a Davide bello acquiſitis & adjectis, a Salomone vero conſtitutis, & ex parte cum reliquis unitis.

Palæſtina.

De PALÆSTINA propria, quo nomine nobis venire vulgo ſolet Iſraëlitica terra, adeo fuſe RELANDUS, ut, ſaltem in præſenti opere, explicatio ejus nulla deſiderari queat.

Fuiſſe tamen intra ipſiusmet terminos etiam *gentes alienigenas* reſiduas ex veteribus incolis gentilibus, notum.

Harum tantum non omnes a Davide partim expugnatas, ut expreſſe de Rechobæis, & Jebuſitis Hieroſolymam tenentibus narratur; partim tributarias ab ipſo & filio Salomone redditas conſtat.

De *Gezer*, quæ in limitibus tribus Judæ, ſed ad Ephraimiticam ſpectans a Pharaone in gratiam Salomonis expugnata deletaque, ſed Salomoni, cui dotis loco, quam filia Pharaonis ab ipſo ducta attulerat, conſignata fuerat, reſtituta, infra dicendi locus erit.

De *Mahaca* aliisque pariter infra agetur. De reliquis ejusmodi ſufficere quoque poſſunt, quæ a *Relando* obſervata fuere.

Externæ regiones.

Ut adeo ſolum ac potiſſimum nobis ſit agendum de regionibus illis externis, recens maxime regno illi, poſtquam conſtitutum fuerat a Saule, a Davide vero confirmatum, cum prius aliis gentibus, ultimoque & maxime Philiſtæis ſubjectum, & oppreſſum ab iis fuiſſet, adjectis.

Sunt ergo eæ ſequentibus capitibus comprehenſæ.

## *AMALEKITIS*
### *Et affines vel vicinæ quædam gentes.*

*Amalekitæ.*

AMalekitarum regionem primitus fuiſſe inter Oſtracinem & Gazam, atque etiam ulterius paulo, ſecundum montes Palæſtinam a deſerto Iſthmi Africam & Aſiam ſeparantis dirimentes, usque ad Kades, quæ *Procopio Gazæo* Cydiſſus vocatur, facile ex rationibus apud *Relandum* legendis admittimus. Sed tamen non continuo

tinuo tractu eos habitaſſe, quia illa portio propter ſterilitatem & aquæ inopiam, inprimis Oſtracine (de qua præter citata apud *Relandum* c. 11. L.I. etiam *Joſephi* de Bello Jud. L.V.c. 14, *Herodoti* L. III. 5. teſtimonia extant) vix habitari poterat, certum eſt: Sed ſparſim, ubi valles hinc inde aquis irriguæ mitiores præbebant ſedes. Quales eſſe in hoc tractu etiam ex itinerariis ſupra in *parte proœmiali* exhibitis novimus.

Extat locus apud *Plinium*, in quo gentes Arabiæ, quæ eſt inter Ægyptum & Palæſtinam, recenſet L. V. c. 11, ubi Canchlei memorantur Arabes. Verba ſunt: *Hæc Catabanum & Esbonitarum & Scenitarum Arabum vocatur, ſterilis, præterquam ubi Syriæ confinia attingit, nec niſi Caſio monte nobilis. His Arabes junguntur ab Oriente CANCHLEI, a Meridie CEDREI, qui deinde ambo Nabathæis.* Sub his adeo an lateant *Amalekitæ* & *Kedaræi*, aliorum judicio permittimus.

Præterea concedendum, Amalekitas quoque ultra illos montes, in partibus tribus Judæ, quæ meridionaliores exiſtunt, incoluiſſe. Sed certum eſt quoque, recte ſtatui, eos inde ab Oſtracine, quousque demum placuerit, extenſos limites habuiſſe, quia Saul, qui eos debellavit, dicitur eos ad internecionem cecidiſſe a Schur, (quæ eſt Oſtracine juxta quosdam, vel potius nomen deſerti Ægypto proximi, alias quoque Etham dicti.) ſive a Schur, quæ eſt e regione Ægypti, usque ad Chavila I. *Sam.* XV. 7. Præterea nulla foret ratio, cur Amalekitæ omnium primi Iſraëlitis ex Ægypto vix dum egreſſis ſeſe oppoſuerint, niſi ipſi proximi viæ ipſorum fuisſent, metuiſſentque ſe primos quoque ab iis invadendos, adeoque eos prævertere deſtinaſſent, dum eſſent adhuc infirmi.

Quin adeo terram Amalekitarum, utpote Saulis jam temporibus Iſraëliticæ ditioni acquiſitam, regno Davidico quoque accenſeamus, nulla prohibet ratio; etſi de colonis novis in eam deductis nihil expreſſe memoratur, ſed ſaltem de manubiis ex Amalekitide, in templi fabricam impenſis II. *Samuel* VIII. 12. Limitum vero lineam plane determinatam ducere in tractibus per deſerta ſparſis, nec expeditum eſt, nec adeo neceſſarium.

Certum eſt vero etiam, poſt cladem illam a Saule ipſis illatam reliquias Amalekitarum inter Edomæos habitaſſe, poſtquam eo profugiſſent. Haſce vero reliquias Simeonitas, numero 500, Ducibus Pelatia, Neharia, aliisque uſos, deleviſſe, & tractum, quem in montibus Sehiris hi profugi occuparant, ſibi vindicatum incoluiſſe, refertur I. *Chron.* IV. 42. 43. De tempore etſi non conſtet, ſed ex antecedentibus ſaltem colligi poſſe videatur, factum ætate Hiskiæ, qua altera illa ibidem memorata expeditio Simeonitarum ſuſcepta fuit, tamen hic, ubi propter affinitatem materiæ de terminis Iſraëlitici regni etiam poſt Davidica tempora agere licet, hujus expeditionis mentio fieri potuit.

*Kinæi.* De Kinæis, qui inter Amalekitas ſparſim habitarant, maxime vero in locis, Cydiſſo, id eſt, Kadeſch Barnehæ conterminis, ut *Procopius Gazæus* aſſerit, conſtat eos monitos a Saule ante illud bellum ab iis diſceſſiſſe, & in regiones Iſraelitarum interiores, in quibus jam ex parte habitaverant, ſe recepiſſe, idque ex citati capitis I. *Sam.* XV. verſu 6.

*Geſchuræi.* Geſchuræorum hic quoque gentem aliquam fuiſſe, loca quædam Scripturæ manifeſtum faciunt. Dum enim limites terræ promiſſionis occidentales, qua ad Auſtrum vergunt, deſcribuntur *Joſu.* XIII. 2. verba ſunt: *Hæc terra eſt, quæ relinquitur, omnes limites Philiſtæorum, & tota Geſchuræa, a Sichore, qui eſt ante Ægyptum, usque ad terminum Hekronis, verſus aquilonem Cananæis accenſetur.* Et I. *Samel.* XXVII. 8. dum expeditionum Davidis, quas durante tempore, quo inter Philiſtæos fuit, ſuſcepit, mentio fit, dicitur: *Aſcendebant David & viri ejus, irruentes in Geſchuræum & Girzæum & Hamalekitam. Illæ enim ſunt gentes, quæ habitaverant ipſam terram, qua venis Schurem, uſque ad terram Ægypti.* Manifeſtum quidem eſt, hos Geſchuræos cum

cum Geſchur, quæ in Manaſſitide trans-Jordanica fuit, non confundendos. Si quidem verum eſt, de quo vix aliquis dubitat, Schichor Ægypti eſſe fluvium, qui propius Gazam (milliar. nempe 5 Rom. verſus auſtrum, Tabatham vicum 29 ſtadiis a mari diſtantem præterfluens) in mare exit, confuſos cum Philiſtæis terminos habuiſſe hos Geſchuræos, dicendum foret. Niſi forte potius videtur, fuiſſe gentem ignobiliorem, quales in eodem tractu forſitan plures, nec ſedium adeo ſtabilium. Quapropter etiam an imperii Davidici partem aliquando fecerint, quæſtio videtur vix ullam ſolutionem habitura.

## IDUMÆA.

*Idumæi.*

Idumæam (veterem intelligimus circa Petram ſitam, non recentiorem, quæ in partibus meridionalioribus tribus Judæ fuit,) totam Davidi & Salomoni paruiſſe, manifeſtum vel ex ſolis locis II. *Sam.* VIII. 13. 14. I. *Chron.* XVIII. 12. ſeqq. Et quidem ſummo rigore fuiſſe habitos Edomæos, Joabo per ſex menſes ſtationem in ea regione habente, & mares, quotquot nanciſci poterat, internecioni dante, ex I. *Reg.* XI. 15. 16. notum eſt.

Fines ejus deſcribere non expeditum adeo. Maxime autem veroſimilem eſſe ejus figuram & ſitum, quem in mappa ei tribuimus, ex allatis teſtimoniis patet.

Clauſam eam fuiſſe a parte occidentali montibus Seir; montem vero, vel montana potius, Hor latus dextrum vel orientale clauſiſſe, ex ductu Iſraëlitarum itineris patet, qui cum montana Seir circumiiſſent, demum ad Horem montem acceſſere, ubi & Aaron mortuus, quem pariter ad dextram reliquerunt.

*Eziongeber.*

Maxima eſt difficultas de *Eziongeber*: de qua cum ſupra *Partis proœmialis Cap. XII. p.* 3. quædam propoſuerimus, pauca ſaltem adjungemus.

Hanc adeo credunt fuiſſe ſitam ad mare, fuiſſe prope Elothas, ſive Elanam vel Elath, portum habuiſſe, ex quo Salomon naves in Ophiram emiſerit, fuiſſe in ipſa terra Idumæa.

Ad hoc credendum adducuntur locis Scripturæ I. *Reg.* IX. 26. 27. 28. I. *Reg.* XXII. 49. II. *Chron.* VIII. 29. ſeqq. II. *Chron.* XX. 36.

At vero (I) certum eſt (α) Iſraëlitas ſtationem habuiſſe apud Eziongeber. (β) Iſraëlitas pedem in terram Idumæorum nullatenus intuliſſe: de quo utroque videatur *cap.* XII. *dictæ partis proœm.* Ex quo ſequitur, Eziongeber in terra Idumæa neutiquam fuiſſe.

(II) Si ponatur, eam proxime Idumæam in litore maris fuiſſe. (α) Admodum vicina Elathæ in litore non eſſe potuit, amplitudo vel limites Idumææ enim prodirent admodum anguſti, ſitu ſcil. Elathæ exiſtente, qualem ex dictis *citati capitis* expreſſimus: & cum (β) immediate ex Eziongeber Kadeſchum progreſſi fuerint: diſtantia inter litus maris & Kadeſchum nimia foret, nec unico itinere (nulla ſtatione interpoſita) abſolvenda.

Dicas, hoc eſſe ipſum difficile iter, quod circumeundo Idumæam, unicæ ſtationis mora interpoſita, fatigarit Iſraëlitas, adeo ut murmurarent. Manet tamen, iter illud difficile futurum fuiſſe, etiamſi pluribus ſtationibus abſolutum foret. Neque etiam credibile, quemquam ſerio aſſerturum, unico itinere, per ingentem quaſi ſaltum, illam viam abſolvi potuiſſe.

(III) Manet adeo Eziongeber in mediterraneis prope Kadeſch ſitum. Et quando Elath & Heziongeber junguntur, ut *Deut.* 2. v. 8. intelligendum eſt, ſermonem eſſe de terminis extremis Idumææ, e diametro quaſi oppoſitis.

*Navigatio Ophirana.*

(IV) Quid adeo de navigatione ex Heziongeber Ophiram facta ſtatuendum, alterius loci eſt explicare; breviſſime vero hic commemorare licebit quædam ejus quæſtionis momenta.

*(I) Sentent.*

Vel adeo Heziongeber hæc, unde navigatio facta, *alibi quærenda*, in litore nempe maris Syriaci, cui fini

ſini non male reſpondet Ornithopolis, cum hæc vox Eziongeber cum *Tornegal* vel Gallorum urbe *Gabara*, quam in ſeptentrionalibus partibus Iſraëliticæ terræ fuiſſe, ex monumentis Rabbinorum, ad mare vero ſitam inter Sidonem & Tyrum, & Ornithopolis nomine vocatam fuiſſe ex *Scylacis* Periplo & *Strabone* conſtat, affinitatem habere credatur *Lightfooto*, (de quo vid. *Reland. op. de Palæſt.* p. 1044. ſeq.) & ab ipſo quoque Chaldæo interprete pro eadem uſurpetur: Quo caſu *Mare Suph* per mare mediterraneum explicandum, quod non abſonum eſt, cum plura maria nomen Suph tulerint: *Elatha* pariter alia in illo mari quærenda, qualis eſt Elæa, Elais, inter Tyrum & Sidonem a *Philone*, *Dionyſio Periegeta*, *Stephano* memorata: *Edomæorum terra* per Phœnicum regionem explicanda, demum Ophira ipſa in partibus Palæſtinæ ad occidentem ſitis ſtatuenda. Quæ quidem non alia foret, quam Africa proprie dicta circa Carthaginem, a Tyriis Salomonis in navigatione ſociis adiri ſolita; etſi ulterius quoque ad Tarterſum & Gadiram vel Gades usque navigationem continuatam credibile ſit, quo pacto & longinquitas temporis ei deſtinata, & mercium ex Hiſpania Mauritaniaque ac Africa allatarum genus, auri nempe & argenti vis, eboris & ſimiarum copia quam optime reſponderet tum regionum conditioni, tum relationi Scriptoris ſacri.

Vel ſi ſedeat ſententia de Ophira in orientalibus quærenda, propter locum *II. Chron. VIII.* 29. explicandum eſt factum Salomonis ita: eum per Heziongeber iter feciſſe Elothas, atque ibi naves ſtructas emiſiſſe: vel navium materiam Heziongebere cæſam, eas autem Elothis in mare deductas.

Verum eſt tamen, qui Eziongeber in litore maris mediterranei prope Sidonem locant, & ut terram Edom explicent, ad Phœnicem vel & Porphyrionem, quæ non longe a Sidone abfuit, provocant (vid. *Itinerar. Hieroſol.* apud *Weſſel.* p. 583.) non poſſe commode rationem reddere, cur Joſaphat eo locorum claſſem ædificarit, cujus ditiones a Sidone remotiores fuerunt, cum interim Idumæam ipſam in poteſtate haberet.

Hanc regionem, Idumæis ſedem in ipſa Judæa, durante deportatione Babylonica, quærentibus, & usque ad Chebronem, omnia ejus meridionaliora, tanquam deſerta, occupantibus, ibique usque ad Maccabæorum tempora ipſorumque Hieroſolymorum ſub Veſpaſiano πανολεθρίαν degentibus, occupaſſe Nabatæos, & Reges eorum Petræ reſediſſe, multamque partem adſitæ Arabiæ usque ad Boſtra ſuam feciſſe (quin & aliquando Damaſcum in poteſtate, teſte *Luca* in Actis Apoſtolorum, aliisque, habuerunt) atque inde illam Arabiæ partem Petræam vocatam notum eſt. *Idumæa poſterior.*

Reges eos plerumque *Aretas*, a Perſica, vel alius orientalis linguæ voce *Arta* (quæ in compoſitione frequens, ut cum *Artaxerxes*, *Artamenes* &c. dicitur) quæ magnum videtur notare, dictos, quoque notum.

Nabatoæs adeo regionem Idumæorum, poſt eorum diſceſſum & tranſitum in partes tribus Judæ, poſt tempora captivitatis Babylonicæ totam occupaſſe & inhabitaſſe jam conſtat. Sed eosdem non illis ſolum temporibus, ſed & anterioribus, Davidis nempe, ulterius quoque diffuſos credibile. Et certum eſt quidem ex iis, quæ apud Geographos, ut Cellarium, jam obſervata extant, Nabatæos a litore ſinus Arabici usque ad Medabam, quæ eſt prope Chesbuntem, habitaſſe, & ipſam Medabam urbem eorum dici. Quo pacto terras eorum cum Moabitis communes fuiſſe dicendum foret, & eosdem ſparſim inter Moabitas habitaſſe. Quo etiam pacto cum Moabitarum ditionem Davidi vindicaverimus, etiam totam Nabatæorum gentem ſub ejus imperio fuiſſe dicendum foret. Verum cum illa verba Geographorum dictorum credibile ſit agere de ſtatu poſteriorum Nabatæorum, temporibus ſcilicet Romanorum, in incerto manere videntur eorum fines & regio temporibus priſcis, & Davidis, adeoque & hujus imperium in univerſos, am- *Nabatæi.*

 plam

plam ſcilicet gentem & in Arabiam non ſolum Petræam, ſed & deſertam, quam vocamus inde ab origine ſua diffuſam. Probabilior tamen videtur ſententia fuiſſe ſub Davide. Eupolemi enim locus infra mox citandus videtur hoc innuere.

*Arabia Herodoti.* Cæterum ex illa poſſeſſione portionis tribus Judæ & maritimorum adſitorum ab Idumæis adita, de qua dictum eſt, quoque nobis videtur eſſe explicandum, quod *Herodotus* L. III. ait, a Cadytis (quæ nulla alia eſt quam Jeruſalem, Cadeſcha a ſanctitate dicta) montibus usque ad Jenyſum urbem (quam diſtantia ejus a monte Caſio hoc indicante, 3 dierum itineris ſcilicet, nullam eſſe aliam quam Raphiam patet, & præterea ex eo, quod Gazæ nomen notius fuit, quam ut eidem Jenyſi ignotius ſubſtituere potuiſſet Herodotus, ſi eam in mente habuiſſet) urbes litorales eſſe Arabum, ex utroque vero latere Syriacæ ditionis. Nam Rex, qui Cambyſi expeditionem in Ægyptum ſuſcipienti auxilio fuerat, aqua pro exercitu in arida illa loca intermedia prope Oſtracinem &c. deportata, videtur fuiſſe æque Arabiæ Petrææ ac Idumææ recentioris, quam in tribum usque Judæ excurriſſe diximus, Rex, eique a Perſis poſſeſſio illius tractus vel donata vel confirmata ob illud beneficium atque auxilium. Imo ex illo demum tempore forſan illa poſſeſſio Idumæorum regionum tribus Judæ (quas poſt reditum etiam ex captivitate Babylonica occupaſſe per aliquot annorum ſpatium Judæos, ex relatione in libro *Nehemiæ* c. XI. 25. ad 30. conſtat) videtur initium cepiſſe.

*Dedanitæ.* Inter Edomæos degiſſe quoque Dedanitas, ex variis locis Scripturæ intelligitur, ut *Jeſaiæ* XXI. 13. *Jerem.* XXV. 23. item XLIX. 8. *Ezech.* XXV. 13. An ii peculiarem gentem, an tribum ſaltem Idumæorum conſtituerint, non eſt, quod curatius inquiri mereatur.

*Gebalitæ.* Idem quoque de Gebalitis, qui inter hoſtes Iſraëlitarum *Pſalm.* LXXXIII. 8. recenſentur, & quos inter Idumæos degiſſe veriſimile eſt, (nam terram Giblæam, quæ ad Libanum in limitibus Palæſtinæ ſeptentrionalioribus, huc non ſpectare ex contextu liquet) ſentiendum: utrosque nempe parem cum reliquis Idumæis conditionem tunc ſubiiſſe. Si modo peculiarem gentem vel tribum conſtituerunt. Quod, ut non impoſſibile eſt, ita æque probabile, fuiſſe hoc nomen omnibus Edomæis commune, vel ſaltem iis, qui circa Petram habitabant, proprium. Ita enim *Hieronymus*: *Idumæa regio Eſau, quæ ex eo, quod ille Edom vocabatur, nomen accepit. Eſt autem circa urbem Petram, quæ nunc dicitur Gebalene.* Et *Euſebius*, ex quo ſua Hieronymus: ἐςι δε ἡ ἀμφι την πετραν Γεβαληνη καλυμενη.

Manſiſſe Idumæos ſub Davidis & Salomonis imperio usque ad hujus exitum conſtat. *Iſraëlitarum imperium in Idumæos.* Quo tempore, cum hic ante obitum indignationem divinam incurriſſet, turbas ei ab Hadado generis Regii Principe, qui internecionem maſculorum a Joabo factam effugerat, motas diſcimus ex I. *Reg.* XI. 14. ſeq. Et ab Imperio Iſraëlitico videntur immunes fuiſſe usque ad tempora Joſaphati, quibus plane, fœdere cum Hammonitis & Moabitis inito, regnum Judæ oppugnarunt, quemadmodum narratur II. *Chron.* XX. 23. Tunc vero ab eodem divinitus adjuto repreſſi quidem ſunt. Et quidem, ſi vera eſt ſententia eorum, qui Heziongeber in Idumæa locant, & claſſem ibi a Joſaphato ſtructam ſtatuunt, etiam regionis illius poſſeſſionem habuit Joſaphatus. Unde eſt, quod Rex Idumææ, qui cum Joſaphato & Iſraëlis Rege contra Moabitas expeditioni II. *Reg.* III. memoratæ interfuit, alio loco I. *Reg.* XXII. 48. diſerte Prorex vocatur, utpote qui a Joſaphato demum conſtitutus videtur. Sed ſub filio ejus Joramo plane defecerunt a Judæ regno Edomæi, ut patet ex II. *Chron.* XXI. 8. fruſtraque fuiſſe conatum Joramum, Idumæos ad obſequium reducere, videtur intelligi ex verſ. 9. & 10. ejusdem capitis. Sed majori cum ſucceſſu Amazias expeditionem ſuſcepit, occiſis Edomæorum 10 millibus, & Petra, quam Joktheel vocavit, capta, quemadmodum ex II. *Reg.* XIV. 7. 10. cognoſcimus. Filius ejus Azaria plane Elatham regno

gno Judæ vindicatam reſtituit & ædificavit, ut patet ex verſu 22. ejusdem capitis XIV. in II. *Reg.* libro. Sed totum, quod fuit poteſtatis Judæ Regibus in Idumæos, periit plane ſub impio Rege Achazo. Huic enim Elatha a Rezino erepta, ejectis Judæis, & Syrorum in eam colonia deducta, memoratur II. *Reg. XVI.* 6. Quin & Edomæi eo audaciæ progreſſi dicuntur, ut ipſi Achazum, expeditione ſuſcepta, vexarent, II. *Chron. XXVIII.* 17.

Dictum eſt ſupra, Simeonitas partem Edomææ, expulſis & deletis reliquiis Amalekitarum, quæ ibidem per tempus perfugium & ſedes habuerant, ſibi vendicaſſe & incoluiſſe. De tempore illius expeditionis non plane conſtat. Quod ſi vero ponere liceat, Hizkiæ ætate hoc factum, qua altera expeditio ſuſcepta fuit, quæri poterit, qualis hæc fuerit acquiſitio, & cuinam regno, Iſraëlitico an Judaico, facta cenſeri debeat. Certum eſt vero, Hizkiæ tempore jam extinctum fuiſſe regnum Iſraëliticum, cujus partem Simeonitica tribus conſtituit: an Simeonitæ, quorum regio, interjectis Philiſtæa & Judaici regni partibus, ab Iſraëlitico reliquo ſeparata fuerit, tunc jugum Aſſyrium ſubire coacti fuerint, an Regibus Judæ ſe adjunxerint, non liquet. Quorum neutrum cum adeo veriſimile ſit, videtur potius has reliquias regni Iſraëlitici autonomiam aliquam ſibi uſurpaſſe, & has acquiſitiones ſibimet ipſis vindicaſſe.

## MOABITIS & AMMONITIS.

*Moabitæ.* MOabitas, inter quos *Midianitæ* inde jam a temporibus Moſis ſparſim habitarunt, Davidis imperio ſubjectos ex II. *Sam. VIII.* 2. & I. *Chron. XVIII.* 2. inprimis vero *Joſu. XIII.* 21. in quo loco Principes Midianitarum (ſive ii ab urbibus, quas poſſederant, nomen habuere) a Moſe in poteſtatem redacti memorantur, conſtat.

Diviſo regno Iſraëlitarum, ad Iſraëliticum in ſpecie ſic dictum pertinuiſſe Moabitim (cum vicina Rubenitica tribu ſcilicet) patet ex eo, quod poſt mortem Achabi defeciſſe memorantur Moabitæ II. *Reg. I.* 1. & II. *Reg. III.* 5. quin prius etiam junctim cum Ammonitis & aliis ulterioribus gentibus expeditionem contra Joſaphatum Judæ Regem maximis cum copiis ſuſcepiſſe, II. *Chron. XX.* 1. *ſeq.*

Quos vero non ſolum a Joſaphato, divino auxilio miraculoſe adjuto, repreſſos eodem cap. videmus. Sed & bello in eorum regionem translato a filio Achabi Joramo, iterum auxilio Regis Judæ Joſaphati & Edomææ Regis vel Proregis, ad obſequium redire compulſos, quamvis ex parte ſaltem, cum plena reductio regionis ſub poteſtatem Iſraëlitici Regis ob factum Regis Moabitarum non conſecuta videatur, ex illius capitis III. *Libri Regum II. verſu* 24. *&* 25. cognoſcimus.

Metropolim eorum fuiſſe Ar, Areopolim dictam, quæ & Rabbat Moab (quam corrupte Rabbabatora efferri ſolitam credimus) notum.

AMMONITAS, cum prius Iſraëlitas ſæpe bellis acerrimis infeſtaſſent, a Jephtha vero & Saule repreſſi fuiſſent, a Davide, non niſi acerrimo bello in ordinem coactos & ſub jugum miſſos ex I. *Sam. X. ſeq.* item I. *Chron. XIX.* ſcimus. Rebellaſſe eos una cum Moabitis tempore Regum Iſraëlis, in quorum ſorte ipſi poſt diviſionem regni Iſraëlitici integri fuerunt, conſtat ex mox dictis: an & quomodo ad officium redacti, non plane conſignatum extat. Metropolim eorum Rabbat, Rabbat Ammon dictam, poſtea vero Philadelphiam, & ad Decapolim Syriæ Cœles, de qua tantopere certarunt Seleucidæ & Ptolemæi Reges, accenſam fuiſſe, aliunde notum. AMMONITÆ.

Limites orientales harum regionum præciſos ducere, non plane poſſibile. Si de Moabitide & Ammonitide ſermo foret, deſiiſſet illa in deſertum, quod vocatur Moabitarum, quod Iſraëlitæ, limites Moabiticos ingredi prohibiti, tranſierunt. Quod dicendum foret de Ammonitica quoque regione, deſertæ utpote *Limites Moabitidis & Ammonitidis.*

pote Arabiæ, æque ac Moabitis, contigua. Verum locus extat I. *Chron. V.* 9. ubi memoratur, Rubenitas non contentos finibus ſuis, verſus orientem usque poſſeſſiones ſuas extendiſſe, nominatim ad aditum usque in deſertum, usque ad flumen Phrat, idque factum vel ipſo tempore, vel etiam ante tempora Saulis. Et locis binis mox excutiendis nempe *verſ.* 10. *&* 17. memorantur, de poſſeſſionibus illis bellum geſſiſſe cum habitatoribus earum prioribus. Ex quibus adeo intelligitur, jam temporibus Saulis, adeoque multo magis Davidis, limites Iſraëliticos ultra Moabitidem & Ammonitidem in hiſce inferioribus & auſtralioribus partibus excurriſſe, ut de paulo borealioribus, de quibus mox, nihil dicamus. Et quidem his locis voce Phrat juſtiſſime intelligi ipſum vulgo notum famoſioris ſignificationis Euphratem fluvium, conditio regionum demonſtrat, & ex inſpectione mappæ & contextus verbis, dum Euphrates ad limitem orientalium harum poſſeſſionum pertigiſſe dicitur, videtur extra dubitationem omnem poſitum.

## AURANITIS, TRACHONITIS, ITURÆA, HAGARENI.

*Auranitis Hagareni.*

AMmonitidi verſus ſeptentrionem ulterius progrediendo ſuccedit TRACHONITIS, hanc eandem eſſe cum ITURÆA, ex dictis apud Relandum conficitur: Eandem Trachonitidem vero coincidere quoque cum AURANITIDE, ex ipſa conſideratione regionum, & deſcriptione limitum terræ Iſraëliticæ apud *Ezech. XLVII.* 15. occurrente, cognoſcitur. Secundum Auranitidem enim, quæ Damaſco propinqua eſt, limites Iſraëliticæ terræ ibi ducuntur. Sed Trachonitis eſt illa ipſa regio, Damaſco vicina, nulla alia etiam interjecta. Eadem eſt ergo Auranitis, vocabulo antiquo a Chauran urbe vel tractu, Ituræa ab incolis poſterioribus tempore Davidis, ut mox videbimus, dicta, & ab ipſis, ut videtur, Judæis, Hebræi ſermonis gnaris, usque ad tempora Chriſti, hoc nomine vocata (quoniam qui Trachonitidis erat, a Luca Iturææ Tetrarcha appellatur, & Trachonitis, temporibus Seleucidarum ab indole regionis, utpote aſperæ montibus, ſpecubusque (quæ latronibus perfugium præbentes ab Herode purgatæ) plenæ, nomen ſortita):

Ut intelligamus, an aliquid & quidnam juris in hanc partem David habuerit, juvabit locos quosdam, primum profani ſcriptoris, alterum & tertium ſacri, hic proponere & conſiderare.

Refert vero *Eupolemus* apud *Euſebium* in Præparatione Evangelica, ejusque LIX. Davidem in poteſtate habuiſſe Comagenen (quid hoc nomen ſibi velit, infra, cum de Syria, quæ Davidi paruit, dicendum, diſpiciemus), & Aſſyrios Galadenen tenentes, & Ituræos, Nabatæos, & Nabdæos, cum Surone Tyriorum Rege & Phœnicibus bella geſſiſſe, & ad tributa pendenda eosdem adegiſſe: item pugnaſſe cum Edomæis, Moabitis, Ammonitis, Ituræis, Nabatæis & Nabdæis. Libro autem *Chron. I. cap. V.* 8. 9. 10. extat locus jam citatus, quo narratur, Belachum, Rubeniticæ tribus Principem, habitaſſe ab Harohere, Nebuntem & Bahal Mehonem usque: deinde ulterius ad orientem habitaviſſe usque ad aditum in deſertum, & ad fluvium usque Phrat, quoniam pecora eorum, Rubeniticæ ſcilicet tribus conſortium, multiplicata eſſent in terra Gileadis; ac demum additur: *Quapropter temporibus Saulis bella geſſerunt contra Hagarenos, qui ciciderunt manu ipſorum; ita habitaverunt in tentoriis eorum, in toto tractu anteriori, qui eſt ad orientem Gileadis.*

Demum *eod. cap. V.* 17. *ſeq.* de tribus Gaditicæ & Rubeniticæ & Manaſſiticæ tribubus junctim hoc narratur: *Hi omnes per genera diſtribuendo ſe temporibus Jothami Regis Judæ, & temporibus Jerobeami, Regis Iſraëlis, e filiis Rubenis, & Gadi-*

*Gaditis, & dimidia tribu Manaſſis ſtrenui homines, ferentes ſcutum & gladium, & tendentes arcum, ac periti belli, quadragies quater mille, ſeptingenti ſexaginta, prodeuntes in militiam, geſſerunt bellum contra Hagarenos, nimirum Jethurem & Naphiſchum & Nodabum. Quumque adjuvarentur contra illos, traditi ſunt in manu eorum ipſi Hagareni, & quæcunque erant penes illos. Nam ad Deum clamaverant in prælio, & exoratus fuerat eis, quia fiduciam collocaverant in eo: itaque ceperunt pecora eorum, camelos eorum, quinquagies mille, & pecudum ducenta quinquaginta millia, ac aſinorum duo millia, animarum autem humanarum ducenta millia; poſtquam confoſſi multi cecidiſſent, nam a Deo ipſo confectum erat hoc prælium, itaque habitaverunt loco eorum, usque ad deportationem ſuam.*

Intelligimus adeo ex loco tertio Hagarenos, gentem, quæ eum tractum incoluit, a Ptolemæo Agræorum nomine inſignitam, tribus habuiſſe Jethurem, Naphiſchum & Nodabum.

Ex loco ſecundo intelligimus, totam hanc Hagarenorum vel Agræorum gentem, jam a Saulis temporibus ditioni Iſraëliticæ adjectam, ex quo ſumme probabile, nec tempore Davidis aliam conditionem ejus fuiſſe; & de Ituræis & Nabdæis, qui nulli ſunt alii, quam Nodabi tribus, inſuper hoc diſerte affirmari videmus ab Eupolemo. Quare conſtat, Davidi in hunc totum tractum Iturææ & Auranitidis, Trachonitidisque, imo in ipſos ulteriores Hagarenos vel Agræos imperium, quod ſatis amplum adeo fuit, non denegandum. Etſi vero poſtea rebellarunt hæ gentes, vel, imperio Iſraëlitarum propter diviſionem factam imminuto, & bellis Syrorum Damaſcenorum attrito, in libertatem ſeſe vindicarunt, ut ex loco ſecundo intelligimus, easdem tamen ab Iſraëlitis trans-Jordanenſibus, vel Perææ incolis, tribubus nempe Ruben, Gad, & Manaſſis tribus parte, iterum in poteſtatem redactas, vel internecione deletas, ſedes ſuas ipſis illis Iſraëlitis concedere coactas fuiſſe.

De Geſchur & Mahaca, quæ ad hunc tractum quoque referri poterat, mox in conſideratione Syriæ videbimus.

# SYRIA vel ARAMÆA.

SEquitur ſecundum ductum terrarum regio, quam Syriam vulgo ab antiquis ſatis temporibus usque ad hodierna dicimus. Eam vero in ſacris, & in ipſa hiſtoria Davidis, etiam Aramæam dici noto eſt notius. Quin & ipſis Græcis non ignotum fuiſſe, eos, qui Syri ipſis dicebantur, Aramæos quoque vocari, *Strabo* ex *Poſidonio* oſtendit L. XVI. ſub finem. Qui ipſe plane L. I. p. 42. τοὺς, inquit, γὰρ ὑφ' ἡμῶν Σύρους καλουμένους ὑπ' αὐτῶν τῶν Σύρων Ἀραμηνίους καὶ Ἀραμμαίους καλεῖσθαι. hoc eſt: *qui enim a nobis Syri, ii ab ipſis Syris Aramæi dicuntur.*

Syriæ nomen. Unde nomen Syriæ, non eſt quidem in expedito. Maxime tamen eſt veroſimile, ab Aſſur hoc nomen deſcendere, vel quod, ut eo inclinat recentiorum quorundam ſententia, Aſſur ea ipſa hac Syria ortus, imperium verſus orientaliora prolataverit; vel quod Aſſyriis trans-Tigritanis rerum in Aramæa potientibus, demum a gente dominante adhæſerit. Unde fiat, ut Græci plerique etiam poſt Alexandrum (ut *Arrianus* ipſe, vitæ Alexandri ſcriptor) pertinaciter, ſi ita loqui liceat, Aſſyriæ vocem retinuerint in appellatione Syriæ, quod factum ſit, non per confuſionem, ſed reſpectu habito ad priſtinam verioremque denominationem, demum vero poſterioribus temporibus diſtinctæ appellationes Syriæ & Aſſyriæ introductæ fuerint.

Ut de his facilius judicium fieri poſſit, juvabit integra verba Strabonis, Juſtini & Scylacis exhibere.

*Strabo* præter loca mox citata hæc habet *Libri* XVI. *initio Perſiam & Suſianam contingunt Aſſyrii: ſic enim Babyloniam & maximam circumſitæ regionis partem vocant, cu-*

*jus & Aturia eſt, in qua ſunt Ninus, Appolloniatis, Elymæi: Parætacæ, & ad Zagrum montem Chaonetis: tum campi Nino vicini. Deinde Dolomena, Calachena, Chazena, Adiabena & Meſopotamiæ gentes, Gordyæis & Mygdonibus iis proximæ, qui circa Niſibim ſunt, usque ad Zeugma, quod eſt ad Euphratem, & ad multam trans Euphratem regionem, quam Arabes tenent, & qui proprie nunc Syri appellantur, usque ad Cilices & Phœnices & Libyas & Ægyptium pelagus, ac Iſſicum Sinum, Syrorum nomen tendere videtur a Babylonia usque ad Iſſicum Sinum, & ab hoc olim usque ad Euxinum. Etenim utrique Cappadoces, tum qui ad Taurum, tum qui ad Pontum jacent, ad hoc usque tempus Leucoſyri, id eſt, albi Syri nominantur: ſcilicet quod ſint aliqui etiam Syri nigri: hi autem extra Taurum ſunt. Taurum dico eum, qui ad Amanum usque nomen extendit. Jam qui de Syrorum imperio ſcribunt, cum Medos a Perſis everſos dicunt, Syros autem a Medis, nullos alios Syros intelligunt, quam eos, qui Babylone ac Nini regiam conſtituerunt: quarum alteram Ninum Ninus in Aturia condidit: ejus autem uxor Semiramis, quæ & in regnum ſucceſſit, Babylonem.*

Expoſitis Strabonis ipſius verbis, non opus erit, *Epitomatorem* ejusdem eadem repetentem audire.

*Juſtinus vero ita* L. I. c. 2. *Imperium Aſſyrii, qui poſtea Syri dicti ſunt,* 1300 *annis tenuere.*

*Scylax Caryandenſis in Periplo:*

## *ASSYRIA.*

*POſt Chalybas eſt Aſſyria, & fluvius Thermodon, & urbs Græca Themiſcyra, Lycaſtus fluvius, & urbs Græca, Halys fluvius, & Caruſſa urbs Græca, Sinope urbs Græca, Ceraſus urbs Græca, Ocheræнus fluvius, Harmene urbs Græca cum portu, Tetracis urbs Græca.*

## *PAPHLAGONIA.*

*POſt Aſſyriam ſequitur Paphlagonum gens.*

*Arrianus* cum ſemper alias Aſſyriam Syriam vocat, tum eo loco, cum Darium habuiſſe caſtra in Aſſyria ad Sochos prope Ciliciam ait. Sed ſatis de hac acceptione vocis Syrorum.

*Aramæa nomen.* Reſtat majoris momenti quæſtio, an totum illud, quod Syriam poſtea dixerunt, *Aramææ* vel *Aram* appellatione in ſacris veniat, & potiſſimum, an *Aramææ nomen ultra Euphratem fluvium* porrectum fuerit.

Nam ultra Amanum montem & Taurum, usque ad illas regiones, quas in mox citatis autorum locis Aſſyriæ & Syriæ nomen geſſiſſe vidimus, illud Aramææ nomen extenſum unquam fuiſſe, nemo ſanus unquam dixerit.

Quod ſi conſulantur, qui de Aramæa ſacra commentati ſunt, inter quos inprimis *Wichmanshauſenius* & *Cobius* noſtrates, Aramææ vel Aram vox in ſacris vel ſimpliciter vel cum appoſitione horum ſex occurrit, dum dicitur *Aram Damaſci*, *Aram Maacha*, vel & *Beth Maacha*, *Aram Rechob* vel *Beth Rechob*, *Aram Zoba*, *Aram Naharaim*, & demum *Paddan Aram.*

De ſitu *Aramææ Damaſcenæ* nullum eſt dubium. *Aram Damaſci.*

De *Aram Maacha* & *Rechob* mox accuratius acturis patebit, eas proximas Palæſtinæ, imo ejus terminis incluſas fuiſſe. *Aram Maacha & Rechob.*

Quæ de *Aram Zoba* dicentur, manifeſtum quoque facient, eam in cis-Euphratenſi regione reſpectu noſtri & Palæſtinæ eſſe quærendam. *Aram Zoba.*

Porro non legitur, *Chamatham*, cujus ſitum mox quoque demonſtrative quaſi indicabimus, unquam Aramææ nomine venire, cum tamen in cis-Euphratenſi regione quoque ſita fuerit, Epiphaniam pro metropoli agnoſcens. Et ulteriora, in quibus Antiochia ſita, etiam *Thogar* potius, vel *Thogarmæ* nomen geſſiſſe, credibile exiſtit ex eo, quod Arabes etiam nunc Antiochiæ epitheton addunt, quod ſignat, eam in Thogar ſitam.

Quibus perpenſis, dubitari merito poteſt, an Aram Naharaim & Aram Paddan in remotis & vaſtis adeo tra-

tractibus, ac eſt Meſopotamia, quam quidam per Aram Naharaim intelligi, & ubi etiam Paddan Aram locum eſſe debere rentur, quærenda ſint.

*Paddan Aram.* Circa *Paddan Aram* conſiderandum, eandem regionem, quæ hoc nomine vocatur *Gen. XXVIII.* 5. apud *Hoſeam c. XII.* 13. appellari שְׂדֵה אֲרָם agrum vel campum Aramæum. Præterea obſervandum, Strabonem Syriæ diviſiones recenſere varias, potiſſimum vero eam, quæ fiebat in *campum Macræ* & *campum Marſyæ*. Videatur *liber ejus XVI. p.* 755.

Campus Marſyæ quinam ſit, quia Chalcis arx ejus dicitur, & montana quædam dicitur habere, videtur facile poſſe determinari: Nempe eſſe eam partem Syriæ poſteriori ætate ſic dictæ, quæ verſus mediterranea & ſeptentrionaliora ejus regionis recedit, fluvio Marſyæ adjacentem, & monti Belo ſubjectam.

*Marſyas fl.* Marſyam circa Berœam & Chalcidem fluere, nunc COWAIC dictum, & ſane a Singa diverſum (quem Ptolemæus in Euphratem deducit) quamvis quibusdam, qui in incerto fluctuant, quid Singa, quid Marſyas, aliter videatur, probabile exiſtit. Marſyæ enim arx Chalcis eſſe dicitur a Strabone diſerte. Atqui ſi Chalcis Kinnaſrino æquiparanda, Cowaic fluvius, qui Kinnaſrinum rigat, in campo illo Marſyæ fluxit, vel ipſe fuit Marſyas.

Quod ſi vero hoc non placeat, non tam alius minor fluvius, in Orontem delatus, quam ipſe Orontes intelligendus videtur. Quod ipſum ſuadere videtur locus *Plinii* L. V. c. 23. Ubi Apameam a Nazerinorum Tetrarchia amne Marſya diviſam fuiſſe ait. Ex quo ipſi *Cellario* probabile fit, vel alii fluvio, Oronti inter Lariſſam & Apameam adfuſo, vel ipſi Oronti nomen Marſiæ competiiſſe. Nam cum conſtet, Apameam Oronti adſitam fuiſſe, & a nobiliori potius fluvio, quam parvo & ignobiliori nomen regioni ampliſſimæ petitum videatur, merito concludendum eſt, Orontem potius Marſiæ nomine eo loco a Plinio indigitatum.

In eo enim *Plinio* L. V. c. 24. aſſentiri non poſſumus, qui ſibi non conſtans Marſyam quoque vocat fluvium, qui apud Samoſatam in Euphratem influit, eoque ipſo eum a Singa quidem diſtinguit.

Nam non ſolum fluvius ille, Samoſatam præterfluens, Cappadox vocatur in *Tab. Peutingeriana* a regione, ex qua venit, verum minus etiam credibile eſt, a fluvio minori & ignotiori in extremis finibus, integrum tractum, totam pene Syriam occupantem nomen potuiſſe accipere.

Amplitudinem vero ejus, campi Marſyæ nempe, variam pro lubitu Autorum fuiſſe, ex *Strabone* cum *Plinio* L. V. c. 23. collato deprehendimus. *Marſyæ campus.*

Sed *Strabo* ejusdem initium facit Laodicæam, quæ ad Libanum; cui confines memorat Trachonitas. Ab ea Laodicæa nempe ad Libanum vel Cabioſa incepit alia regio, Polybio vallis Marſyæ dicta, ad Antilibani & Libani radices ſita. Ita enim ille L. nempe V. c. 45. *inde Laodicæam, inquit, venit, unde profectus Rex, & loca deſerta emenſus, impetum fecit in convallem, Marſyam dictam, quæ inter Libani & Antilibani radices jacet, & ab utroque hoc monte in anguſtum redigitur.* Item alio loco: *Convallem* (αυλωνα) *autem emenſus, quæ Marſyas dicitur, fauces, ubi ſunt Gerra, ad lacum, qui montes interjacet, cum copiis conſedit.*

Tota ergo pars Syriæ orientalior, tractu haud modico ab auſtro vel Damaſco ad ſeptentrionem vel Chalcida extenſa, a Marſya nomen poſterioribus temporibus habens (nominis rationem unde ineptus Græcorum mos deſumſerit, omnia novis nominibus, abrogatis veteribus, appellantium, quærere operæ non eſt pretium) in campum & vallem diviſa extitit. Neque eſt etiam in expedito, unde alterum nomen regionibus circa Orontem, quod *Polybius* quoque memorat L. V. verbis: *Orontes e proximis Libano & Antilibano locis primum ortus per eam planitiem, quæ Amycæ vocatur, labens Antiochiam petit.*

Macra campus adeo regio fuit propior mari: id quod etiam diſerte *Strabo* ibidem: pars camporum prima a mari Macra vocatur. Cœleſyriam adeo propriam, quæ eſt *Macra campus.*

inter Antilibanum a meridie & Libanum ab occidente & ſeptentrione incluſa, & ejus inprimis occidentaliorem partem, hanc ipſam eſſe regionem, quæ Macra campus, quæ πεδίον vocata fuerit, quæque propter præſtantiam etiam Aulon Baſilicus fuit ſalutata, cum conſtet, quid prohibeat, quo minus Paddan Aram per πεδίον Ἀραμ interpretemur, præſertim cum aliorum conjecturæ de hoc nomine nimis ſint remotæ vel nimis inſipidæ.

Scimus quidem hanc Paddan Aram etiam pro Meſopotamia haberi, quia ipſi Meſopotamiæ non ſolum Aramææ appellationem convenire rentur, verum etiam quia Haran, in quam Jacobus ad Labanum divertit, juxta *Gen. XXVIII.* 10. (imo ex qua etiam Abrahamus in Canaanem profectus eſt) & quæ juxta citatum *c. XXVIII.* 2. *&* 5. collatum cum *c. XXXV.* 26. in Paddan Aram fuit, Meſopotamiæ urbs, Carrhæ nempe illæ celeberrimæ, fuiſſe creditur, quam opinionem etiam ſacrorum Scriptorum Lucæ nominatim *Act. Apoſt. c. VII. verſ.* 2. auctoritate niti exiſtimant.

Neque nos fugit, in Meſopotamia ipſa eſſe aliam urbem, *Aphadana*, a qua adſitam regionem nomen ſortiri potuiſſe, non impoſſibile.

Verum ut hæc ex inſtituto refutare impræſentiarum noſtrum non eſt, ita non plane nullum pondus habere, quæ mox dicentur de Chamatha, ab Aramææ appellatione excludenda, manifeſtum credimus; ex quo vero ſequeretur, ultra Chamatham aut in ipſa Meſopotamia Paddan Aram multo minus eſſe ſtatuendam.

Inquiſitio in ſitum Paddan Aram ope hiſtoriæ Jacobi.

Nihil vero magis pro vero ſitu ipſius Paddan Aram inveſtigando facere nobis videtur, quam ſi cum Geographicis rationibus conferatur hiſtoria itineris Jacobi ex Paddan Aram & Charane usque ad Sichemum *Geneſeos cap. XXXI. XXXII.* & *XXXIII.* extans, de qua adeo accuratius.

(1) Diſtantia Charanis & Gileadis.

Narrat nimirum ſacer autor, Jacobum *Charane* egreſſum ſeptiduo iter feciſſe, ac demum ad montem Gilead vel Mizpa veniſſe, *verſu* 23. *capitis* XXXI. Labanem vero a Charane tridui etiam itinere abfuiſſe, ex eo intelligitur, quia de fuga Jacobi tertio poſt eam die demum reſcivit, juxta *verſum* 22. *dicti cap.* Credibile eſt, locum, ubi Laban fuit fugiente ex Charane Jacobo, fuiſſe in ulteriora. Directo quaſi itinere vel recta linea eum in ulteriora ſitum ſi ſumamus, graviter hoc non ferent etiam hi, qui in ſequentibus a nobis forſan diſſenſerint. Laban vero, cum Jacobum ſeptimo die ab ejus fuga aſſecutus fuerit, vel quarto ab illo die, quo ipſe iter corripuit, juxta *v.* 23. *d. c.* ſequitur, eum non ſolum iter, quod Jacob ſeptiduo abſolvit, ſed & iter triduanum, quod ipſe in contrariam partem prius ſuſceperat, quatriduo expediviſſe. Quod quidem haud adeo difficulter eum celeritate adhibita præſtare potuiſſe intelligitur, quia Jacobus teſte *verſu* 13. *capitis* 33. cum numeroſo grege animalium, inter quæ multa lactentia & tenella, liberisque, inter quos pariter parvuli, tardius incedebat, ipſe vero expeditior ad iter fuit.

Quod ſi adeo, ut dictum, ponatur locus, ubi Laban commoratus e diametro itineris Jacobæi ſitus, vel in linea plane recta oppoſitus ei loco, ubi ipſe aſſecutus eſt Jacobum, quo maxima diſtantia obtineatur, quæ inter illa loca interjecta eſſe potuit, & ſtatuatur etiam iter diurnum a Charane ad locum, ubi Laban fuit, æquale itineri diurno tali, quale Jacobus abſolvit, conſequitur, ut iter, quod decem diætas Jacobæas longum fuit, vel decendiale Jacobi iter Laban quatriduo expediverit; vel ſi locus, unde Laban exiit, longius a Charane abfuit quam tribus talibus diætis Jacobæis, ut iter, quod celeritate, qua uſus eſt Jacobus, quis undecim, vel ad ſummum duodecim dierum ſpatio abſolverit, Laban ſua celeritate uſus intra quatriduum percurrerit.

Quod ſi vero, ut ſubtilioribus computis parcatur, computemus 3 mill. Germanica quindenaria in diem pro celeritate Jacobi, & concurſum utriusque poſt decem dies factum fuiſſe, atque adeo 30 milliaria Labano quatriduo percurſa fuiſſe, iter ejus dierum erit $7\frac{1}{2}$ mill. Germ.

Sin

Sin vero poſt undecim dies convenerunt Jacob & Laban, hic proxime 8 mill. German. per diem abſolviſſe cenſendus erit. Utrolibet modo iter tam Jacobi, quod propter dictas cauſas tardius fuit, quam Labani, quod propter indolem regionum orientalium æſtuoſiorum celerius vix eſſe potuit, magnitudinem habet admodum probabilem. Atque adeo hoc caſu ſequi palam eſt, per ſeptiduum itinere a Charane continuato, & dietim 3 mill. Germ. habente, *Charanem a monte Mizpæ vel Gileadis 21 ſaltem mill. Germ. diſtantiam habuiſſe.*

Vel etiam, ſi 4 mill. Germ. dietim Jacobo tribuantur, eoque caſu Labano 10 (nempe ubi decendialis quoque intercapedo in diætis Jacobæis computata ponitur) vel etiam 11 (ubi undecim diætarum Jacobæarum intercapedo inter duo extrema fuit) mill. Germanica dietim aſſignentur: quæ celeritates pro conditione utriusque itinerantis & regionum ſatis magna eſt, tunc *diſtantiam Mizpæ vel Gileadis a Charane non ultra* 28 *mill. Germanica habebit.*

(2) Situs Gileadis. Jam ut ſitus ipſius Gilead, Galaad, Galhed, & Mizpa, quæ nomina eidem loco eodem tempore ab actu illo conventus & conventionis inter Jacobum & Labanem indita fuiſſe ex *verſ.* 47. 48. 49. *cap.* 31. docemur, determinetur.

Primo de *Gilead*, *Galaad* certum, etſi mons tunc ſaltem unicus vel locus in eo, ubi Jacob & Laban congreſſi ſunt, hoc nomine inſignitus fuerit juxta *verſ.* 47. *cap.* 31, idem tamen laxe admodum ſumtum poſtea fuiſſe.

Ex una earum parte, ſi, quæ ſtudioſe collegit *Relandus*, noſtra faciamus, ultra Jabokum vel Hieramacem fluvium excurriſſe videtur, & totam vel maximam partem tribus Gad eo comprehenſum fuiſſe.

Unde & Ramoth Mizpe (quæ Amathus nobis eſt & in Gad ſita) Ramoth Gilead vocatur: Ex altera vero itidem parte verſus Boream ita excurrit, ut per totam Baſan vel Bataneam diffuſum, tribusque Manaſſis dimidiam partem, illic locorum ſitam, complexum fuerit. Clare hoc *Euſebius* in *Onomaſtico*: *Attingunt ſcil. ſecundum eum montana Gilead ipſum Libanum, & inde per deſertum extenduntur usque ad regionem olim a Sichone poſſeſſam & Rubenitis datam.* In hoc adeo textu partem borealiorem, quæ ultra Jabocum vel ad boream ejus ſita, intelligendam, ex mox dicendis manifeſtum credimus.

(3) Situs Mizpah. Quantum vero ad *Mizpah* vel *Mizpeh*, pluribus pariter idem nomen competiiſſe, vel ex ipſo *Relando*, ad quem brevitatis cauſa lectores remittimus, cognoſcitur. Remotiora ſunt Mizpa vel Mizpe tribus Benjamin (non longe a Ramathone, quæ 40 ſtadiis ab Hieroſolymis diſtabat, teſte Joſepho) item Mizpe tribus Judæ, quam ab Eleutheropoli verſus boream ſitam *Euſebius* teſtatur, itemque Mizpa Moabitidis. Sed huc ſpectant reliqua a Relando allata. Eadem enim, quæ Mizpa, ubi Laban cum Jacobo fœdus iniit, eſt etiam Mizpa *Joſuæ* XI. 3. memorata, ubi Chiwæi dicuntur habitaſſe ſub Chermone in terra Mizpa. Qui Chermon mons eſt, Libani portio prope Paneadem & Phialæ lacum.

Eadem quoque eſt, de qua agitur *Joſ. XI.* 8. etſi de eo dubitat *Relandus.* Nam cum Joſua, qui ad lacum Merom hoſtes profligavit, dicitur eos verſus Sidonem & ad vallem Mizpa perſecutus, intelligi ſane hoc poteſt ita, eum hoſtes fugam ſpargentes verſus Occidentem, hoc eſt, Sidonem verſus, & verſus Orientem, in quam plagam vel intermediam aliquam Mizpa, aut vallis illa Chermoni ſubjecta, protenditur, perſecutum eſſe. Atque ad hunc tractum usque Mizpæ nomen extenſum fuiſſe, eo eſt certius, cum nomen illud idem cum Galaad, de quo mox docuimus, eum a Libano incepiſſe. Eadem vero Mizpa quoque intelligitur, quando de Ramoth Mizpa vel Ramoth Gilead ſermo eſt, quia oſtenſum eſt, Mizpa & Gilead commune nomen eſſe, & Gileadem usque ad terminos tribus Gad & Ruben in auſtraliora excurriſſe.

(4) Locus conventus Jacobi & Labanis in ſpecie. Quæ ſi ita ſint, atque Gilead & Mizpe idem, ſitusque hujus montis vel

vel tractus montani determinatus, patet, hoc ſaltem textu partem regionis Gileaditidis & Mizpæ intelligi poſſe borealiſſimam, quam Jacobus in fuga ſua attigit; hocque eo lubentius ſumimus, quo non ſolum ea, quæ infra dicenda ſunt de diſtantia Charanis a Mizpa, & locis Palæſtinæ reliquis, ſint eo minus dubitationibus aliorum obnoxia, verum etiam, quia ejus rei in textu ſacro veſtigium apparet. Nam poſt abitum Labanis Jacob dicitur legatos miſiſſe ad fratrem Eſavum, eorumque reditum expectaſſe, quo tamen medio tempore eum non unico loco conſtitiſſe, ſed modicis itineribus progreſſum, credibile eſt: atque demum poſt reditum nunciorum de adventu fratris Eſavi certiorem redditum vadum Jaboki vel Hieramacis tranſiiſſe.

Locus tranſitus fere demonſtratus habetur. Jaboki enim curſus vel ex mappa noſtra determinabilis exiſtit, prope extremos limites tribus Gad fluens. Quo loco etiam fuit *Penuel*, Pnuel, Phanuel juxta *Gen. XXXII.* 30. urbs Gaditarum juxta *Judic. VIII.* 8. Itemque *Machanaim Geneſ. XXXII.* 2. a qua urbe Baſan incipiebat, ipſa vero in tribu Gad & in confiniis quidem Gaditicæ & Manaſſiticæ tribus ad boream Jaboki ſita erat: quam adeo non procul a Jordane & oſtio lacus Kinnereth, ex quo Jordanes exit, ſitam, non plane incommoda eſt. *Relandi* conjectura.

Ad vadum adeo Jaboki & Penuel vel Machanaim quando eum perveniſſe dicimus itinere aliquot dierum, adeoque locum conventus Jacobi & Labanis quam maxime borealem facimus, manifeſtum, nos nihil hypotheſi ſervientes dicere. (Alias ſi preſſe ordinem verborum Moſis ſequendum quis contenderet, juxta *verſ.* 2. *cap.* XXXII. dicendum foret, prope Machanaim conventum illum celebratum fuiſſe, & Jacobum demum inde miſſis legatis reſediſſe, ut reditum eorum expectaret, atque inde adeo Charanis diſtantiam numerandam).

Quod ſi vero jam 21 milliaria illa Germanica, vel 30, de quibus ſupra diximus, diſtantiæ nempe inter Mizpam & Charanem numeremus a borealiſſimo Gileadis & Mizpæ tractu prope Chermonem, Paneada & Phialæ lacum, manifeſtum eſt, immenſo ſpatio Charanem ſic determinatam etiamnunc ab Euphrate, & majori etiam a Carris illis Meſopotamiæ diſtare oportere. Atque multo etiam magis illud obtinere, ſi a loco aliquo meridionaliori ipſius Gileadis, veluti a Machanaim diſtantiam numerandam ſtatuere quis velit.

Atque id unum eſt, quod hic oſtendere animus fuerat. Locum autem verum Charanis obliteratis propter antiquitatem, & Græcorum ineptam conſuetudinem, de qua ſæpius querendi nobis locus erat, veterum nominum veſtigiis ſignare difficillimum credimus. Nam etſi diſtantia illa 21 vel 30 mill. German. vel a Machanaim vel ab Chermone extremo, vel medio aliquo loco montanorum Gilead numerata incidere poteſt, teſte tabula noſtra, in varia loca, *Ocurara*, *Keherre* vel *Goaria*, etiamque *Arethuſam*, talia tamen argumenta a nominum aliquali convenientia nos parum movent. Sed ex his omnibus, ipſius Paddan Aram conditionem & ſitum alium eſſe quam vulgo ſtatuitur, conſequi, manifeſtum ſatis cenſemus.

Quantum ad *Aram Naharaim*, ex dictis etiam intelligitur, nulla neceſſitate ipſam pro Meſopotamia inter Tigrim & Euphratem ſita haberi. *Aram Naharaim.*

Dictam eam eſſe a fluviis numero duali, vel duobus fluviis, certum vel ſatis probabile. An vero ſtatuis Euphratis & Tigris maxima fluenta vaſtiſſimum terrarum ambitum reſpectu aliarum partium, Aramææ nomine certo venientium, complexa ſubintelligenda veniant, probatione ſolidiori videtur egere. Quinam vero alii fluvii accipiendi ſint, de eo conjecturas afferre noſtrum nunc non eſt.

Si propius Palæſtinam quærenda ſit Aram hæc Naharaim fluviorum, qui huc referri poſſint, nobisque noti ſint, non admodum multi ſunt, mappa noſtra omnes expreſſi, *Orontes*, *Eleutherus*, uterque circa fontes, *Chryſorrhoas*, Damaſcum rigans,

rigans, in quem influit aliquis ex Antilibano veniens, *Caſimich* excipiens *Yentlo* exiguum inter Abylam urbem & *Letane* fluvium, *Letanem* porro majorem, cui ipſi jungitur parvus torrens vallem Bucca rigans. Sin vero in ulterioribus, attamen cis Euphratæis partibus ſit ei ſedes aſſignanda, occurrit Orontes ipſe, amplo alveo per plures lacus, Emeſſanum, Apamenſem (qui diffuſus admodum eſt, inter ſe amplum terrarum tractum, Cherſoneſi Syriæ nomine ex hiſtoria Demetrii Poliorcetæ, qui eo loci vitam finiit, notum & a Strabone L. XVI. p. 917. luculenter deſcriptum comprehendens) delatus. In quem & alios influere extra dubium eſt, nobis tamen parum notos.

Sed an jure dicatur ab horum quorundam vel confluxu vel vicinitate hoc nomen Aramææ fluvialis derivatum, illud quidem impræſentiarum exquirere accuratius, non eſſe noſtrum ducimus.

Quemadmodum etiam nec vacat nobis excutere, quam ſolidum pro vulgata ſententia afferri poſſit argumentum ex eo, quod Syri, qui contra Davidem ad bellum induci ſe paſſi ſunt, veniſſe dicantur, atque exciti a tranſitu fluminis אֲשֶׁר
מֵעֵבֶל הַנָּהָר II. *Sam. X.* 16. ex quo videtur ſequi, non tantum ad ipſum tranſitum fluminis (quod majus fuiſſe oportet,) ut Euphratem, ſed & ultra, Aramæorum gentem ſedes habuiſſe. Hoc ſolum velimus intelligi, nos non ſine omni ratione in mappa noſtra Aram vel Aramæam non niſi iis regionibus adſcripſiſſe, quibus indubitato idem competit, regioni ſcilicet intra Libanum maxime ſitæ, vel paulo ultra excurrenti.

Et ne quis aliter hæc noſtra accipiat, notandum, certum quidem & nobis ipſis eſſe Syriæ nomen usque in Meſopotamiam extenſum fuiſſe, quod teſtatur locus *Xenophontis* ſupra *cap.* 6. *partis proœm.* in expeditione Cyri exhibitus. Sed an Aramææ nomen ultra Euphratem porrectum fuerit, de hoc merito dubitari poſſe remur.

*Aram Tzoba.*

De *Syria* vel potius *Aram Tzoba*, quam Græci interpretes ſimpliciter Σȣβα dicunt, magis ad nos ſpectans quæſtio eſt. Otium vero maximam partem cum nobis fecerint viri ſupra laudati, brevibus eadem expediri poterit.

*De Sop'ene remotiſſe.*

Nempe *Sophenera* eam non eſſe, ut volebat *Joſephus*, nominis affinitate inductus, manifeſtum eſt. Regio enim hæc Armeniæ majoris eſt, nimis a Palæſtina & Thapſaco remota, & ultra Euphratem, quem David nunquam tranſiit, ſita. Quemadmodum idem valet de *Comagene*:

*De Comagene remotiſſe*

quam memorat *Eupolemus*, quam Davidi falſo tribuit, niſi forte Chamatenſem intelligi voluit, de qua vero mox.

Equidem vulgata Judæorum Rabbinorum eſt opinio, inter quos exiſtunt *Benjaminus Tudelenſis* & *Petachias*, quibus aſſentitur *Golius*, Syriam vel Aramæam hanc Tzobæam ad urbem, quam nunc dicunt Kinnasrinum diei itinere ab Halepo diſtantem usque fuiſſe extenſam. Quam etiam opinionem apud Judæos, Halebi habitantes, adeo exploratam haberi conſtat, ut ipſam illam urbem Halebum in contractuum literis non facile alio, quam Aram Zobæ titulo, inſigniant. Hujus rei argumentum petunt ex eo, quod David dicatur, Hadad Ezerem Sobæ Regem vel Syros ad Salinas quasdam prælio facto viciſſe. Locus extat II. *Sam. VIII.* 13. ita in verſione Juniana conceptus: *Comparavit etiam David nomen, cum reverteretur a cæde Syrorum in valle Salis, percuſſis octodecim millibus: adeo ut diſponens in Edomæum ſtationarios, in tota Edomæa poneret ſtationarios, & eſſent omnes Idumæi ſervi Davidis.* Quem eventum ita narrat inſcriptio *Pſalmi LX.* ex verſione pariter Juniana: *Cum certaret contra Syros Meſopotamienſes* (id eſt, qui ex Aram Naharaim erant) *& contra Syros Tzobæ, & reverſus Joab percuſſiſſet Edomæos in valle Salis duodecies mille.* Cui plane affinis eſt relatio, II. *Chron. XVIII.* 12. innuens: *Abiſai etiam filius Tzerujæ percuſſit Edomæorum in valle Salis octodecim millia, adeo ut diſponeret in Edomæa ſtationarios, & eſſent omnes Edomæi ſervi Davidis.*

Ve-

Verum enim vero ut impræſentiarum diſcutere non eſt animus, an bini hic intelligi veniant eventus diverſi, & vel Syrorum cædes in valle Salinarum facta fuerit, aliaque Edomæorum alio loco, ejusdem vero nominis & conditionis cum priori: Sive an idem eventus narretur diverſis ſaltem verbis, & Edomæi in valle Salis cæſi ſint ſaltem poſt victoriam a Syris quoque reportatam; tamen etſi ponatur, cædem aliquam factam Syrorum in valle Salis, non tamen neceſſe eſſe patet, ut ſtatuatur, illam cladem contigiſſe prope ſalinas Kinnaſrinenſes, quas ab ea urbe non admodum vel ultra diei iter non diſſitas ex autoribus partim Arabibus, partim recentioribus ſcimus. Obſervavit enim jam *Halifaxius*, qui eſt auctor relationis itineris recentioris ad Thadmor facti, inque *Transactionibus Anglicanis* exhibiti, campos prope Palmyram, qua vergunt ad meridiem ejus, horæ ſpatio ſaltem diſtantes, ſalis tanta copia abundare, ut non injuria locum illum de iis interpretari liceat. Et quo minus credibilis nobis tanta extenſio regni Davidici ex hac hypotheſi reſultans videatur, facit, quod, cum florentiſſimum eſſet regnum ſub Salomone, extrema ejus a Thapſaco (longius a Kinnaſrino diſſito) ad Gazam ſaltem conſtituantur a ſacro Scriptore, ut mox dicetur, & quod inter Kinnaſrinum & Tzobam veram Camathæ regio interjecta fuerit, in quam Davidi nullum jus competiit.

Viſa eſt quidem pariter autoritas aliqua illi ſententiæ accedere, ex eo, quod Antiochiam ipſam ad Orontem pro Chamath, quæ cum Zoba vicinitate juncta fuit, habuere pridem. Sed cum ineptiſſimum plane ſit, Antiochiam cum Chamath confundere, nihil roboris inde ſententiæ illi accedit.

Mittimus alias minus aptas opiniones de Syria hac Tzoba; quam ſane rectiſſime ex inveſtigatis iis, quæ David poſſedit, intelligimus.

Propinquam ſane valde Iſraëliticæ terræ eam fuiſſe oportet, & ex toto vel ex parte citra Damaſcum. Quia etiam Saul percuſſiſſe dicitur Reges Zobæ, cujus tanta non fuit potentia, ut paulo longinquiora bella gerere valuerit.

Confinis adeo cum fuerit Palæſtinæ ex una parte, ex altera parte clauſa erat Chamathæ regione, quæ a Libano incipiens in ulteriora & ſeptentrionaliora porrecta erat. *De Aram Zoba poſitione.*

De hac *Chamath* ejusque metropoli, quam Amatham effert Joſephus, titubanter admodum pronunciarunt veteres Scripturæ interpretes; Diximus quosdam eam cum Antiochia remotiſſima comparaſſe. Aliis videtur Emeſa, imo & Heliopolis propiores. Sed conſtat, & axiomatis loco ſumi poteſt, Arabes veterum nominum eſſe retinentiſſimos, & non attentis novis, quæ poſtera tempora invexerant, vel externi Principes aut gentes, dum rerum in urbibus iis potiebantur, impoſuerant, veteres appellationes usque conſervaſſe. Cujus rei indicium eſt, ut exempla a propioribus ſaltem petamus, quod *Damaſcum Scham* a Semo, *Cahirum Meſr* a *Mizraimo* etiam nunc vocant, quod *Tadmor Palmyra*, *Hems*, ipſis eſt *Emeſa*, & ipſa *Seleucia ad Orontem* videtur ipſis *Suveida* dici, quod priſtinum ejus nomen juxta ipſum Strabonem fuerit: *Aquæ flumina.* Nec novam aut noſtram ſaltem hanc eſſe obſervationem certum eſt, ſed idem jam monuit *Ammianus Marcellinus* L. XIV. ſic inquiens: *Seleucus Nicanor abuſus multitudine hominum, quam tranquillis in rebus diutius rexit, ex agreſtibus habitaculis urbes conſtruxit multis opibus firmas & viribus: quarum ad præſens pleræque licet Græcis nominibus appellentur, quæ iisdem ad arbitrium impoſita ſunt conditoris, primigenia tamen nomina non amittunt, quæ iis Aſſyria lingua inſtitutores veteres indiderunt.* *Chamath. De Chamath remotive.*

Quæ cum ita ſint, pateat autem, quæ Epiphania ab Antiocho Epiphane dicta fuerat, ad Orontem ſita, ab ipſis civibus vel incolis hodienum Hamam vel Hama dici, urbem ſane primariam, & plerumque Principes proprios habentem (inter quos eſt illuſtriſſimus ille Geographiæ Arabicæ Princeps autor Abulfeda Hamæ Dominus) ſane extra dubitationem omnem poſitum eſt, *De Chamath poſitione.*

eſt, quod aliis jam placuit, ut *Joſepho*, *Aquilæ*, *Hieronymo*, *Theodoreto* & *Theophilacto*, Chamath eſſe Epiphaniam, ejusque adeo ſitum eſſe exploratum: nec adeo eſſe, cur cum Chamath alia Naphtalitarum, ut quidam faciunt ad lacum Geneſariticum, vel ipſa Tiberiade, ita a Thermis dicta, confundatur. Inprimis cum Chamath illa, Amatha Joſepho dicta, pridem ab Iſraëlitis occupata *Joſu. XIX.* 35. Chamath vero usque ad Davidis tempora, & poſtea ſui juris Principem habuerit.

*Chamath diverſa ab Aramaa.* Fuiſſe hanc Chamatham ab Aramæa diverſam, videtur manifeſto patere, quod in Genealogia nationum apud Moſen *Gen. X. v.* 23. *&* 18. e diverſis plane familiis fuiſſe memorantur autores harum gentium vel coloniarum, *verſu* enim 23. dicitur Aram extitiſſe ex familia Semi, ex qua & Aſſur. Ubi & obiter hoc obſervandum, ad Aramæam quoque referendam eſſe Auſitim, quia ex filiis, hoc eſt, coloniis Arami fuit & Utz, etſi ſuperius inter varias denominationes partium Aramææ mentionem ejus nullam fecerimus. Porro vero *verſu* 12. *dicti cap. Gen.* aperte dicitur Chamath ex familia Canaanis, adeoque & Chami ortum & partem fuiſſe Cananæarum coloniarum.

Cæterum celebrem valde fuiſſe hanc Chamathæ regionem, ex eo colligere licet, quod in deſignatione limitum ſeptentrionalium terræ Iſraëliticæ via ad eam ducens inprimis memoratur, præteritis intermediis regionibus. Chamath enim propria, uti dictum, vel ejus metropolis ultra Libanum ſita fuit: Unde inter ipſam & Palæſtinam eam vallem, quæ media inter Libanum & Antilibanum, Cœleſyriæ nempe propriæ pars, interjectam eſſe oportuit.

*Laxior acceptio vocis Chamath.* Sed tamen laxius quoque nomen Chamathæ patuiſſe, ex variis locis Scripturæ conſtat, ex quibus ſcilicet videtur, etiam Chamatham hanc ipſam ad Tzobæam ſpectaſſe, quia Tzoba hæc dicitur quoque Chamath Zoba, ut II. *Chron. VIII.* 15. item Hadad Ezer, Rex Hamath Tzobæ, vel ut I. *Chron. XVIII.* 3. Rex Zobæ in Chamatha מֶלֶךְ צוֹבָה חֲמָתָה.

Quamvis hoc ita interpretari liceat, quod pars aliqua Chamathæ ab Hadad Ezere pugnaciſſimo in bellis contra Tohu vel Tohi Chamathæ Principem occupata fuerit, res tamen Camathæ a Tzobæo regno ſeparatæ manſerint, ex eo patet, quod victo Had ad Ezere Princeps Hamæ fœdus & amicitiam cum Davide iniit, & ſui juris manſit, etſi muneribus eum coleret, quemadmodum ex II. *Chron. XVIII.* 9. & I. *Sam. VIII.* 9. perſpicuum eſt. Nihilominus tamen ex alio loco nempe *Jerem. LIII.* 9. item ℣. 27. item *cap.* XXXIX. 5. item II. *Reg. XXIII.* 32. apertius exiſtit, Chamatham usque ad terminos Iſraëliticæ terræ extenſam fuiſſe, quia ibi Ribla, quam ſupra cap. 14. partis prooemialis cis Damaſcum in ipſis limitibus terræ memoratæ fuiſſe vidimus, dicitur Ribla in terra Chamathæ fuiſſe. Unde ſane etiam factum, ut Salomon dicatur quoque præter Thadmor etiam civitates armamentariorum in Chamatha ædificaſſe II. *Chron. VIII.* 16. Videtur tamen ex hiſce allatis hoc ſolum confici, propriam Chamatham utique ab Aramæa diverſam, interim confuſos ſaltem limites utriusque regni illis inter Tohi & Had ad Ezerem geſtis bellis fuiſſe, ita ut quædam Chamathenſis regni ſita fuerint cis Libanum in ipſa Cœleſyria propria, quibus a Davide vindicatis, Tohi Regi ſola transLibanum ſita remanſerint.

Jam urbes hujus Tzobææ, vel ad ipſam ſpectantes, vel occaſione belli cum Tzobæis, a Davide & Salomone vindicatæ & a Chamatha avulſæ in ſacris memorantur CUN vel CON & TIBCHATH. I. *Chron. XVIII.* 8. verbis: *E Tibchatha quoque & Cune, civitatibus Hadad Ezeris accepit David æris quamplurimum.* Poſterior hæc TIPHSACH quoque dicitur I. *Reg. IV.* 24. verbis: *Nam Salomo dominabatur in tota citeriore parte fluminis, a Tiphſacho ad Gazam in omnes Reges citra ipſum fluvium.* Porro BETACH & BERATHAI memoratæ II. *Sam. VIII.* 8. verbis: *E Betacha quoque & Berathai civitatibus Had ad Ezeris accepit Rex David æris* *Urbes Tzobaa.*

*quamplurimum.* Ulterius THADMOR & BAHALATH. De Thadmor verba ſunt II. *Chron. VIII.* 16. *Pergens quoque Salomo in Chamatham Tzobæ, cum fortior fuiſſet ea, ædificavit Thadmorem in deſerto, & omnes civitates armamentariorum, quas ædificavit in Chamatha.* De Bahala vel Bahalath pergit *v.* 18. *Item Bahalatham & omnes civitates armamentariorum.* De utraque agit locus I. *Reg. IX.* 18. *ſeq. ædificavit autem Salomo Gezer & Bethchoron inferiorem, item Bahalath & Thadmor in deſerto, in illa terra, omnes quoque civitates armamentariorum, & reliqua.* Tandem & CHELAM inter has occurrit, verbis: II. *Sam. X.* 16. quæ ita ſonant: *Et mittens Had ad Ezer eduxit Syros, qui trans flumen, veneruntque Chelamum, Schobæo principe militiæ Had ad Ezeris præeunte illis. Quod cum nunciaretur Davidi, congregato toto Iſraële, trajecit Jordanem, venitque ad Chelamum, ubi Syri, inſtruentes aciem adverſus Davidem, præliati ſunt contra eum, ſed fugerunt Syri a facie Iſraëlis*, & reliqua.

*Tzoba urbs.* Jam urbis alicujus, quæ Tzobæ nomen geſſerit, unde appellatio toti regioni indi potuerit, nulla hic occurrit mentio. Unde & ſententia Philologorum non infimi ſubſellii eſt, Tzoba Syriam dictam, quaſi turgidam, etymologia vocis hoc innuente, quemadmodum Syriam Mahacam ex oppoſito compreſſam vel cavam dici rentur. Verum occurrit apud recentiores, & præſertim apud *Fr. De Troilo*, qui præterito ſeculo in his locis peregrinatus eſt, relatio de *Hoba*, *Choba*, *Soba*, pago ſatis grandi, verſus ſeptentrionem, & ad ſiniſtram Damaſci, paulo plus quam quadrante milliaris Germanici ab eadem diſtante, quem pro Choba agri ipſius Damaſceni, ad ſiniſtram urbis ejus ſita, usque ad quam Abraham Reges, qui Lothum captivum abduxerant, in fugam actos perſecutos fuerat *Gen. XVI.* 15. ab incolis haberi aſſeverat. Quam ſi quis pro metropoli regni hujus, ſuo tempore admodum potentis, habere voluerit, ei cogitandum erit, an tanta vicinia Damaſci, Damaſcenis Syris ſui juris exiſtentibus, cum hoc ſitu conciliari poſſit.

*Con.* Quantum ad urbes in ſacro textu recenſas, *Con* nulla alia eſt, quam *Conna*, in *Itinerario Antonini* memorata media inter Laodicæam & Heliopolim, in jugo ipſo Libani montis, & prope tranſitum Eleutheri fluvii, veri nempe, (qui & fluvius magnus vocatur) ut ex *Tab. Peutingerianæ* diſtantiis colligitur. Magni adeo momenti locus, & tranſitum cuſtodiens, unde non mirum, quod congeſta magna armorum æriſque copia, eum Had ad Ezer munierit, quæ tota prædæ Davidi ceſſit. Eadem via iisdemque plane ab utraque Laodicæa & Heliopoli diſtantiis, in alio itinere ejusdem *Antonini Itinerarii* eſt *Lybon*, nomen absque dubio a Libano habens, & forſan eadem cum Conna, vel in ejusdem vicinia quam maxime ſita.

De *Tibchath* vel *Tiphſach* mox videbimus.

*Bahala.* *Bahala* vero, vel in ſtatu conſtructo, ut Grammatici loquuntur, Bahalath, quin urbi, quæ *Bahal Beg*, Bahalbec, Balbec hodienum ab Arabibus dicitur, apud Græcos vero nomine Heliopolis celebris fuit, comparari poſſit, nemo admodum refragetur.

Magnificentiam ruderum apud eam etiam nunc extantium, & ipſam urbis hodiernæ præſtantiam inter alios *Maundrellus*, *Roquæus* αὐτόπται in deſcriptione Syriæ fuſius exponunt, merito de ea conſulendi. Suffragatur huic opinioni perſuaſio incolarum, qui eam a Salomone ſtructam prædicant.

Unde hodiernum vel potius antiquum nomen, quod, Heliopolis a Græcis indita appellatione, in oblivionem tradi non potuit, *Baalbec*, conjectari non eſt difficile, qui novit vallem illam inter Libani jugum mari prætenſum, & aliam ei parallelam montium catenam, in cujus extremo verſus ſeptentrionem Baalbec ſita, vocari etiam nunc Equa, Bucca, prouti ex *Maundrello* notatum.

*Betach.* *Betach* ſive diverſam a Bahala quis ſtatuere velit, ſive unam urbem binomiam, quorum nominum unum epitheton ſit, quandoque vero ſimpliciter uſurpatum Bahala, alterum

terum verum & proprium, ex quorum compoſitione fiat Bahala Betach, vel Bahalath Betach, ac dein ſono ad Arabum os accommodato Baalbec, perinde nobis fuerit. Si poſterius placeat, & conjectura, quam de Baalbec a valle Bqua dicta attulimus, quoque non diſpliceat, dicendum foret Bqua corruptum eſſe ex Betach, vel utriusque vocis eandem vim eſſe. Quod non eſt impoſſibile.

Quæ vocatur Baal Gad, & in convalle Libani fuiſſe dicitur *Joſu. XII.* 7. item ſub Chermone, qui pars fuit Antilibani *Joſu. XIII.* 5. vix videtur ab utralibet vel priori harum diſtincta, etſi, ſine ulla hæſitatione ut hoc aſſeramus, nobis non ſumimus.

De Betach, Berothai, Tiphſach Diſſertatio extat Act. E. Supplem. T. x. p. 319. non admodum magni momenti, conſulenda tamen.

*Berothai.* *Berothai* vel *Berathai* in nimis remotis a quibusdam quæritur. Eſt, qui eam credat Barathenam Ptolemæi, quam ipſe aliquot gradibus, nempe 4 vel 5, in longitudine a Damaſco verſus ortum removet, in media Arabia deſerta, abnormi diſtantia & ultra limites Tzobææ probabiles. Niſi forſan ipſa poſitio Ptolemæi erronea, quod ipſi non infrequens, maxime vero in urbibus Arabiæ Petrææ, & deſertæ, ac Palæſtinæ. Nobis extra dubium eſt, intelligi Berotham, quæ in finibus Iſraëliticæ terræ ſeptentrionalibus memorata occurrit *Ezech.* 47. 15. ut videre eſt in Tab. ſita adeo inter Chamatham & Sibrajim. Nam Berytum vel Botrym ob vocis affinitatem cum hac Berotha ut comparemus, prohibet, quod, ut ſtatim monebitur, ex ſacro textu non fiat probabile, Davidis potentiam ad maritima & littoralia usque extenſam fuiſſe, ſed terminos habuiſſe ipſum Libani jugum parallelωs cum litore Phœnicio ductum, extra quos terminos ad mare Berytus æque ac Botrys jacet. Hujus Berothæ apud profanos ſcriptores & Geographos nulla quidem videtur mentio fieri, niſi Jubrudam, quæ Ptolemæo ultra Libanum, ſed circa illorum limitum ductum ſatis propinqua Libano ſtatuitur, pro eadem accipere velimus.

*Chelam.* *Chelam* quoque memorari vidimus, ad quem exercitus Syrorum contra Davidem deſtinatus collectus, idem vero clade illorum nobilitatus fuit. Davidi adeo cum exercitu proficiſcenti Jordanem tranſeundum fuiſſe ex dictis intelligimus, nulla mentione facta alius fluvii Eleutheri vel Chryſorrhoæ, ultra quem ſimul ductus fuerit exercitus. Sed non ſequitur inde, locum eum adeo Jordani fuiſſe propinquum: Quin potius Syris transEuphratenſibus, de quibus mox, propiorem fuiſſe ex conflictu variarum hic concurrentium circumſtantiarum non improbabile videtur. Occurrit adeo inter loca Palmyrenæ ditionis ultra ipſam illam urbem verſus Euphratem *Cholle* in tabula Peutingeriana notata. Occurrit & Chalybon in tractu non admodum remoto apud Ptolemæum & alios. Harum utramlibet, affinitate ſoni non repugnante, probabilius tamen illam pro Chelam haberi poſſe, ut non credimus nimis abſonum, ita ſi hæc ſententia cuiquam non placeat, eum ſuo arbitratui facile relinquimus.

*Thadmor.* Succedit majoris momenti *Thadmor*, hanc plerique omnes, conſpirante Palmyrenorum ipſorum traditione, a Salomone ſtructam, adeoque ad ejus patrisque ejusdem regnum pertinuiſſe conſentiunt. Cui ut ipſi eo facilius aſſentiamur, facit obſervatio ſuperior, quod nomen etiam vetus ab Arabibus retentum hactenus ſit, qui Thadmorem vocant, quam Romani Græcique Palmyram dixerunt. De nominis ratione & quomodo Thadmor cum Thamar, quæ palmam notat, vel Palmyra cum palma conveniat, multum ſollicitos eſſe parum juvat. Sufficit obſervaſſe loco ſupra citato II. *Chron. VIII.* 15. vocem Thadmor expreſſe in ſacro textu adhiberi, & quamvis altero loco I. *Reg. IX.* 18. legatur Thamar, vel conſonæ ei voci reſpondentes, tamen ab ipſis Maſorethis, qui loco Chetib Cheri ſubſtituerunt, annotari, non ſolum ſupplendas conſonas, ut fiat Thadmor, ſed & vocalia puncta ipſa huic voci Thadmor aptata eſſe. Quare adeo in eorum

rum ſententiam concedere non poſſumus, qui loco Thadmor Palmyræ intelligere volunt Thamar in tribus Judæ extremis ſitam, vel Hazezon Thamar, quod nomen urbi Engeddi quoque fuiſſe conſtat (de quarum utraque ſupra aliquid) apertum eſt. Cum præterea accedat, quod illam explicationem plane pati non videantur expreſſa verba textuum ſacrorum, mox in fronte hujus paragraphi propoſita, quibus aſſeritur, Salomonem expeditione in Tzobam & Chamatham ſuſcepta Thadmor ædificaſſe, eamque fuiſſe inter reliquas civitates armamentariorum, theſaurorum, fiſcorum, vel munitas, quas fecerit in Chamatha, ex quibus eadem jungitur Bahalæ vel Bahalathæ.

*Tibchath, Tiphſach.*

Supereſt *Tibchath* vel *Tiphſach*, de qua majoris momenti quæſtio oritur, an eadem ſit Thapſacus illa apud profanos celeberrima, ad Euphratem ſita, adeoque an Davidis regnum ad illum notiſſimum Euphratem protenſum fuerit? Qua cum connexa eſt, quid per fluvium magnum, vel fluvium magnum Phrat, qui pro limite terræ Iſraëliticæ aliquot ſcripturæ locis aſſignatur, intelligendum veniat? Nimirum an famoſus ille Euphrates, an alius eidem reſpondeat?

*Quisnam Phrat limes terræ Iſraëliticæ.*

Sed ut rem prolixæ tractationis nervoſis concludamus cancellis: circa poſteriorem quæſtionem diſcutiendam juvabit, primo loco quosdam Scripturæ locos repræſentare, in quibus mentio fit fluvii Phrat, tanquam termini totius Iſraëliticæ terræ. Talis eſt: *Gen. XV.* 18. quo promittitur Abrahamo: *Semini, hoc eſt, poſteritati tuæ, dedi terram hanc a flumine Ægypti ad flumen illud usque magnum flumen Phrat.*

Item *Deut. I.* 7. 8. *Convertite vos & proficiſcentes ingredimini in montem Emoræorum & in omnia vicina ejus, in campeſtria, in montana & humilia loca, & in auſtralem plagam & in portus maris, in terram Cananæi & Libanum, usque ad flumen maximum, flumen Phrat. Vide, expono vobis terram illam, ingredimini & hæreditario jure poſſidete illam terram, quam juramento promiſit Jehova majoribus veſtris, Abrahamo, Iſaaco, Jacobo, daturum ſe illis, id eſt, ſemini eorum poſt eos.*

Nec non *Deut. XI.* 24. *Omnis locus, quem calcaverit planta pedis veſtri, veſter erit a deſerto ad Libanum usque, ab ipſo flumine, flumine Phrat usque ad mare poſterum erit terminus veſter.* Atque iterum *Joſu. I.* 4. *A deſerto iſto & Libano iſto usque ad flumen maximum, flumen Phrat, totam terram Chittæorum usque ad mare magnum ad occaſum Solis erit terminus veſter.*

Notari etiam merentur loca, in quibus fluvius per excellentiam terminus Imperii Salomonis ponitur. Qualis eſt I. *Reg. IV.* 21. *Salomo erat dominans in omnia regna ab ipſo flumine ad terram Philiſtæorum & usque ad terminum Ægyptiorum.* Et II. *Chron. IX.* 26. *Eratque dominium habens in omnes alios Reges inde a flumine usque ad terram Philiſtæorum & usque ad terminum Ægypti.* Cum quibus inprimis propter affinitatem duarum propoſitarum quæſtionum jungi meretur ſtatim locus I. *Reg. IV.* 24. *Nam ipſe dominabatur in tota citeriore parte fluminis a Tiphſacho ad Gazam in omnes Reges, qui erant citra ipſum flumen.*

Jam qui dubitant, an hiſce locis, ubi fluvii Phrat expreſſa mentio fit, intelligendus veniat celebris ille Euphrates fluvius, Syriam a Meſopotamia dirimens, cauſam ejus rei ſe habere credunt ex eo, quod illis aliis Scripturæ locis, quos Cap. XIII. partis proœm. repræſentavimus, ubi ſollicite & explicite ex inſtituto limites ſeptentrionaliores Iſraëliticæ terræ deſcribuntur, loca & regiones memorentur, de quibus certo certius conſtat, ea vel eas ad illum Euphratem non pertigiſſe, ſed ſatis longo intervallo inde remota fuiſſe.

Præterea quibusdam ex his videtur nimium eſſe, cum amplitudinem Imperii Davidici & Salomonæi ad usque Euphratem verum extenſam ſtatuimus.

At vero cum illis verbis, quæ flumen magnum Phrat terminum huic promiſſæ terræ aſſignant, etiam conſtare ſuam veritatem volunt, nec in diverſo ſtatu terminorum horum conciliationem quærendam judicant: alium quærunt fluvium viciniorem

niorem hiſce aliis limitibus, quem vero conditionibus ſatisfacere oportere hiſce patet, ut primo ſit magnus aliquis, & inprimis quidem ratione Jordanis. Dein ut nomen Phrat, vel affine eidem geſſiſſe probari poſſit.

*Eleutherus falſus removetur.* Ex Geographicis vero rationibus conſtat, quatuor potiſſimum eſſe ejusmodi fluvios, qui hic in conſiderationem vocari poſſint: Unus eſt fluvius, quem *Eleutherum* quidam dicunt, ſed *falſum*, ſive quem pro Eleuthero illo, de quo mox, majori & vero recentiores quidam habent, ſed erronee.

Nomen ejus fluvii modernum eſt *Kaſimich*, *Kaſimir*, deferturque ex Antilibano in mare prope Tyrum ad ſeptentrionem ejusdem, tribus nempe vel quatuor milliaribus Italicis ab ea, poſtquam auctus eſt alio fluvio vel torrente, qui *Letane* vel *Litane* recentioribus dicitur, pariterque ex illo monte deſcendit. Mentio ejus fit partim apud *Strabonem* L. XVI. partim apud *ſcriptores belli ſacri*, aliosque: ut *Wilhelmum Tyrium*, *Cotovicum*, *Breydenbachium*, ipſum *Maundrellum* & *Roquæum*, qui circum ejus oſtia recentioribus temporibus caſtellum Belfort vel Belcifort ſitum memorant.

Verum enim vero utut hic fluvius proxime limites illos arctiores Iſraëliticæ terræ ſtringat ex parte, quia autem ex altera & non modica parte intra ipſos illos fines decurrit, intra Sidonem nempe & Tyrum medius, ita ut portio aliqua tribus Aſeriticæ ultra eum ſita fuiſſe videatur, ſiquidem limites illi a Sidone & Magora Sidonis incipientes recta verſus vel ſecundum Antilibanum Damaſcum usque excurrentes concipiuntur, dubium eſt, an hic fluvius aptus haberi poſſit ad tales limites ſignandos. Niſi forte credamus ſufficere, ut linea recta ducatur a Sidone ad fontes ejus prope Damaſcum, & reliquus ejus alveus intra fines terræ Iſraeliticæ decurrat; vel ut linea recta ducta intelligatur ad usque confluxum ejus Caſimich vel Eleutheri falſi cum Letane, limites vero ulterius ſecundum alvei ejus partem ad fontes usque progrediantur, inferiori alvei parte intra fines terræ promiſſæ defluente. Verum quia & hæc explicatio ſuas habere difficultates videri poterat, & fluvii ipſius conditio talis non eſt, ut inter majores referri dignus, merito dubitandum eſt, an in hac quæſtione idem allegari debeat.

*De Eleuthero vero dubia afferuntur.* Alter eſt *Eleutherus verus* & *magnus* dictus, quem veteres norunt, eoque nomine, Eleutheri nempe, inſigniunt. Defertur extra Libanum quidem, ſed ſecundum ejus radices fluens in mare, ſupra Orthoſiadem verſus ſeptentrionem, limitem faciens, juxta Ptolemæum & accuratiores ex veteribus Geographis, Cœleſyriæ, non ſolum propriæ ex ſuperiori parte, verum & Phœniciæ in partibus inferioribus & prope oſtia. Magnum eſſe hunc fluvium, eoque primæ conditioni ſatisfacere, ex eo noſcitur, quia & hodierno die ab Arabibus nullo alio nomine, quam *Nahr Gibber* inſignitur, quod ipſum fluvium majorem notat. (quemadmodum Gvadi al Kebir, unde corrupte Gvadalquivir, idem quoque ſonat) Non male etiam pro limitaneo fluvio eum haberi patet, quoniam fines quoque Chamathæ præterlabitur, quam eſſe alterum ex terminis terræ Iſraëliticæ ex ſuperiori Tab. capitis XIII. partis procem. conſtat. Nomen vero Phrat an ei tribui poſſit, dubium eſt omnino.

Eleutheri enim nomen Græcum eſt quidem ſaltem, & ratio, cur eodem ornatus fuerit temporibus Seleucidarum, non cognita exiſtit, adeoque nihil abſurdi continet, ſi priſtinum nomen ejus deperditum vel antiquatum ſub Græcanico Imperio dicamus: Fuiſſe autem idem deperditum nomen Phrat, etſi non ſit impoſſibile, tamen absque ulteriori probatione in hac hypotheſi acquieſcendum non videtur. Inprimis cum non appareat veſtigium urbis Tiphſach in ripa hujus fluminis, quam cum limitibus regni Salomonæi aliquem habere nexum ex allegatis dictis conſtat. Etſi fatendum eſt nihilominus, nullum alium eſſe potiorem, quem, ſi ab Euphrate ipſo abeamus, hoc nomine venire poſſe ſtatuendum veniat. Non enim plane nullius eſt momenti, quod Aphaca

vel Aphek Aſeriticæ tribui conſignata (cui juſtum locum in mappa aſſignavimus) haud modico intervallo ultra illum fluvium, quem Eleutherum falſum diximus, removeatur, propiusque Eleuthero huic vero admota exiſtat: indicium potius hoc haberi merito quis credat, non alium fluvium finibus Aſeriticæ tribus, quæ fuit ſeptentrionaliſſima reliquarum, ſignandis aptiorem extitiſſe.

*Chryſorrhoas removetur.*

Tertius eſt fluvius naturæ recentioribus parum cognitæ, *Chryſorrhoas* a Græcis dictus, & Damaſcum præterlabens. Hunc quo deducant, recentiores plerique neſciunt, vel enim ejus oſtia ponunt in litore maris mediterranei (lepida eſt plane figura, quam ei dat Cellarius, aperto jugo Libani montis, ut ei viam faciat, & alveo ejus in paludes vel canaliculos ſparſo) vel eum cum Oronte confundunt, apud Antiochiam in mare delato. Ex ipſo vero Ptolemæo conſtare debuerat, id quod a recentiſſimis peregrinatoribus, ut Roquæo extra dubium ponitur, eum intra Libanum & Antilibanum ad illius partem meridionaliorem origines ſuas habere, cum Orontis fontes ſint extra Libanum ad ejus partes borealiores, ſejuncti adeo jugo ipſo montis præcelſi. Porro Orontem decurrere verſus ſeptentrionem in mare, ut dictum, mediterraneum, Chryſorrhoam verſus auſtrum, ortum in ipſo Libano non ſane procul ab ipſius Orontis fontibus, & poſtquam Damaſcum præteriit, cujus delicias facit, in quamplurimos ramos diviſum & urbem agrosque ejus permeantem, miroque æſtus temperamento recreantem, in unum iterum alveum collectum, intervallo duorum dierum itineris condi & abſumi in lacu quodam in terra paludoſa, atque adeo eſſe ſimilem in eo Jordani & fluvio, qui Palmyram præterfluit, tum ratione curſus, quem tenent omnes verſus meridiem, tum ratione exitus.

Atque de hoc quidem conſtat, eum antiquitus (nam *Chryſorrhoæ* nomen recentius eſſe patet a præſtantia aquarum ejus deductum, aureum enim fluvium hoc ſignificat) varia nomina habuiſſe voci Phrat affinia. In ſacris enim II. *Reg. V.* 12. ramus ejus unus Pharphar dicitur, altero exiſtente Abana (quamvis, ſi hoc nomine alius ex Antilibano decurrens & prope Damaſcum in Chryſorrhoam delatus peculiaris fluvius intelligi velit, nihil impediat.) Stephano Byzantio annotatur, eum antiquitus Bardinem dictum, & noſtro tempore Arabibus more illo ſuo vocatur Barradi, Barrada.

Sed enim vero an hoc, quod ſatisfaciat alteri conditioni, ſufficiat, aliquam affinitatem nominis cum Phrat habens, dubium nobis eſt merito; quia fluvius hic etſi non contemnendus, tamen nec adeo magnus eſt, ſaltem comparatione Jordanis manifeſto minor. Præterea rationibus non convellendis firmavimus, Thadmor vel Palmyram imperio Salomonis paruiſſe, partem etiam agri Damaſceni, pariter ad Salomonæam ditionem pertinentis, ultra idem flumen porrectam admitti oportet; nec urbis Tiphſach, quam ad limites Salomonæi regni pertinuiſſe, ex ſuperioribus collegimus, circa hujus fluvii regionem veſtigia deprehendimus: quare eum ſine majori probatione pariter in cenſum fluviorum huc ſpectantium admittere non poſſumus.

*Orontes removetur.*

Quartus denique fluviorum majorum his regionibus, qui ad limites terræ promiſſæ conſtituendos factus quibusdam videtur, eſt *Orontes* ille celeberrimus, & ſane poſt verum Euphratem maximus, ortus prope Libanum ab ejus orientali parte & recta fere verſus ſeptentrionem decurrens, donec in occidentem prope Schaggle urbem recentiorem converſus, Antiochiamque præteriens apud Suweida vel Seleuciam Pieriæ in mare exit.

Hujus varias eſſe appellationes comperimus. *Typhon* primum & antiquum fuiſſe nomen dicitur, ſed Græcis, quod alicubi ſub terram ſe abdens iterum emergat, poſtea Seleucidarum temporibus *Axius* dictus eſt, unde hodiernum nomen *Aſſe*, *Haſſi*, *Alaatſi*, (quod inepte quidam interpretantur rebellem) *Orontes* autem ab eo, qui pontem in eo ædificavit, Arabibus etiam, notante Nubienſi Geographo, *Alarbat* vocatur. Verum quicquid ſit de

de nomine, quoniam ut dictum, alveus ejus limites illos terræ Iſraëliticæ fugit potius, quam præterit, utpote in ſeptentrionem non ab occaſu in ortum delatus, nec niſi fontes ejus aliquo modo iis vicini dici queunt, niſi quis Antiochiam pro Chamatha habens eousque limites illos extendere velit, quod tamen abſonum eſſe probabitur, ſane & hunc fluvium pro eo, quem Scriptores ſacri ſub voce Phrat intelligunt, minus commode haberi patet.

*Euphrates ponitur.* Quibus perpenſis, cum ex locorum ſuperiorum aliquot videamus terminos terræ Iſraëliticæ, & in ſpecie tunc, cum Davidis & Salomonis imperio regeretur, poni fluvium Phrat, alio loco expreſſe ad eundem terminum referatur urbs Tiphſach, Tibchath, quam cum Thapſaco celeberrima coincidere affinitas ſoni adeo probabile facit, quam quod maxime, Thapſacus vero illa extra dubium ad Euphratem illum ſeptentrionalem ſita fuerit, quis vitio vertat nobis, ſi ad Euphratem cum Phrat illo & maximo illo fluvio in ſacris memorato eundem habendum inclinemus, & terminos imperii Davidici & Salomonæi ad Euphratem illum revera pertinuiſſe ſtatuamus. Præſertim cum ad illam extenſionem & amplitudinem huic regno tribuendam nihil obſtet, imo potius ex natura & indole regionum illarum ſequatur, ultra Palmyram, de cujus ab Iſraëlitico regno dependentia ex ſuperioribus, partim ex ipſa conſpiratione & hujus circumſtantiæ, viciniæ nempe Euphratenſis & Thapſaci certi reddimur, quousque naturalis limes aliquis occurreret, regnum illud continuandum fuiſſe.

Quo minus vero etiam incredibilis videatur hæc amplitudo ditionis Iſraëliticæ, hoc ipſum facit, de qua diximus, illa ipſa indoles regionum, qua eædem habitantur ad inſularum quaſi modum, maxima parte earum deſerta exiſtente (unde formula: *Thadmor in deſerto*, non quod Palmyra ſolum deſertæ, quæ vocatur, Arabiæ vicina fuerit, ſed totus ejus ager præter oppida quædam, de quibus Geographi etiam recentiores, deſertis partim ſabuloſis, partim ſalino-nitroſis campis conſtiterit) & locis cultis oppidisque hinc inde ſolum ſparſis. Unde ratio fuerat maxima Salomoni, locos ejus tractus opportunos, nempe ipſam in medio Palmyram & ad limites Thapſacum muniendi, quo facilius in officio reliqua continerentur. Quo demum acceſſit & alia ratio, nempe ut hoſtibus ex transamnanis regionibus exercitus petendi & in ſuam ditionem effundendi præcluderetur occaſio, vado Euphratis operibus & munitionibus præſtructo.

Hæc adeo quæ dicta ſunt, cum dubitatione carere videantur, ſi vulgatam ex Ptolemæo & Strabone hauſtam opinionem ſequamur de Thapſaco, qui eam ad inferiores Euphratis partes propiusque Palmyram ad Chaboræ fere confluentes & Circeſium locat, poteſt tamen dubitatio aliqua oriri, ſi verum eſt, quod deprehendimus de ſcripto itinere Xenophontæo, Thapſacum eidem paulo ſuperiori loco ad Euphratem ultra Chamathæ regionem, quousque Davidis ditionem extenſam fuiſſe veroſimile nobismet ipſis haud exiſtit, ſtatui.

Ut, quid idem habeat in receſſu, pateat, videndum, quæ de Thapſaco apud autores occurrant paſſim notata. Et omnes quidem conſentiunt, apud eam tranſitum fuiſſe Euphratis admodum celebrem.

Unde & Alexander dicitur, apud Thapſacum exercitum traduxiſſe. Et hoc de Thapſaco inferiori, quæ a Zeugmate ipſi aperte diſtinguitur, intelligere Strabonem, palam eſt ex ejus verbis L. XVI. ubi inquit:

*Maxima diſtantia, qua inter ſe fluvii* (Euphrates & Tigris) *abſunt, ad montes eſt: quantam etiam Eratoſthenes a Thapſaco dixit, juxta quam Antiquus Euphratis pons erat ad Tigris tranſitum, ubi Alexander cum exercitu trajecit, ſtadiorum ſcilicet* 2400 (vel potius 1400, ut in loco Lib. I. ſcriptum extat) & mox: *A Zeugmate juxta Comagenam, ubi Meſopotamia incipit, usque ad Thapſacum non ſunt pauciora* 2 *millibus ſtadiorum.*

At vero autores alii paulo recentiores, quos magno numero vide apud Cellarium, tranſitum Alexandri

dri factum fuiſſe ad Zeugma, quod eſt prope Comagenen, pontibus ope catenarum junctis, affirmant. Et quamvis Cellario hæc ſententia improbetur, infirma tamen eſt ejus argumentatio, dum ait, Alexandrum, teſte Arriano, ponte, cujus partem Darius reliquerat, tranſiiſſe Euphratem, ſumitque pontem Darii fuiſſe ad inferiorem Thapſacum. Contrarium enim potius videtur; Nam Darium apud Sochos Comagenes caſtra habuiſſe, paulo antequam ad Alexandrum opprimendum (quem ægrotum & pugnam ſubterfugere putabat) properaret, extra dubium eſt. Cui loco propius eſt Zeugma Comagenes. Et videtur, Darium, ſi apud Thapſacum illam inferiorem exercitum transportaſſet, recta ad portas Ciliciæ fuiſſe acceſſurum tanquam propiores, non ut Alexandri terga adoriretur, præteritis iis, ulterius progreſſum, & viam per ambages & montem Amanum quæſiviſſe.

Ex quibus etſi in medio relinquimus illud, quonam loco Alexandri tranſitus factus fuerit, hoc tamen concludere poſſe videmur, quod paſſim pluribus locis tales tranſitus fuerint, qui nomen Thapſaci, forſan vim hanc habente etymologia vocis, geſſerint. Horum adeo quamvis unus fuerit prope Zeugma illud Romanis temporibus famoſum, etiamque alius, quo Cyrus, ſub quo & Xenophon militavit, exercitum contra fratrem ducens tranſiit, quem ſuperiori quodam loco forſan inter Barbaliſſum & Attas, ut ex mappis noſtris videre eſt, extitiſſe rationibus vix convellendis ſupra firmavimus, attamen tertium illum famoſiorem non ſine ratione a Strabone antiquiori autore remotiori diſtantia a Zeugmate locatum. Præſertim cum & ei adſtipuletur Plinius L. V. c. 24. Zeugma & Thapſacum aperte quoque diſtinguens. At vero cum hujus verba ita concepta ſint, ut videatur, eam nihilominus ſuperiori loco quam Sura ſtatuere: Nam oppida & gentes, quæ ad Euphratem, ordine percurrens poſt Zeugma & Apameam ipſi oppoſitam ita pergit: *At in Syria oppida Europum, Thapſacum quondam, nunc Amphipolis, Arabes Scenitæ* (intellige Euphrati adjacent) *Ita fertur ad Uram locum*, & reliqua. His, inquam, dum verbis utitur Plinius, non ſolum Ptolemæo videtur refragari, qui Thapſacum inferiori loco, quam Suram, ponit, verum etiam, dum Amphipolis mentionem facit, ſuſpicionem nobis injicit, an non Racca & Rafeca ad Euphratem, quemadmodum recentiori nomine vocatur, ſit illa Thapſacus Amphipolis, cum ex excerptis noſtris Nubienſis Geographi conſtet, illam urbem binis conſtare partibus, modico ſpatio diſtantibus, quarum quælibet peculiaris ſit civitas, & loci ſitus paulo ſuperior Sura in mappa noſtra 2 illud permittat.

Verum enim vero ut huic poſteriori ſuſpicioni adverſatur, quod Plinius Thapſacum ſuam ad Syriæ urbes, adeoque in occidentali Euphratis ripa exiſtentes referat, cum Racca & Rafeca ſit a latere orientali (minus quoque liceret nobis eam Davidico regno vindicare, cum ultra Euphratem eum limites ejus protuliſſe minus ſit veriſimile), ita certum eſt quidem, non eſſe impoſſibile, ut Ptolemæus & in hoc lapſus ſit, dum Thapſacum inferiorem Sura ponit, qui in eo, quod Suram etiam Nicephorio facit ſuperiorem, manifeſto falſi tenetur, (Suræ enim locus per itinera Tadmorienſia & diſtantias tab. Auguſtanæ demonſtrative quaſi habetur.) Ex quo adeo videri poteſt conſequi aliquid, quod faveat ſententiæ noſtræ, quæ juxta Xenophontem Thapſacum ſuperiori loco prope Barbaliſſum ſtatuit. Nam ſi inter Europum (quam juxta ipſum Ptolemæum Zeugmati proximam fuiſſe ſumere liceret) & Suram Thapſacus exiſtit, ſane nihil repugnat, quin loco, quem ei juxta Xenophontem aſſignavimus, ſita fuerit.

Verum enim vero ut hoc tibicine non opus habet noſtra ſententia, ita quanquam non plane incongruum remur dicere, etiam ad hanc remotiorem Thapſacum Syriæ Tzobææ Principis ac poſtea Davidis proceſſiſſe imperium, quia Chamatham, quam ditionum Davidis terminis excluſam manere oportet, non ad Euphratem excurriſſe, ſed arctioribus verſus ortum finibus contentam

tam fuiſſe ponere licet, nihil tamen abſonum ſtatui credimus, ſi plures Thapſacos, quarum quæ ad Davidis imperium pertinuit, fuerit illa Ptolemæo memorata, Straboni etiam probata (nam ejus ſtadia 2000, ſi vetera intelligere liceat, præciſe ad eundem locum, quo Ptolemæus, deducunt) & Palmyrenis tractibus propior, admittamus: terminosque adeo imperii Davidici ad ipſa fluenta Euphratis famoſioris admoveamus.

Ex quibus porro ſequitur, ut, ſi dicendum nobis, quæ ratio inveniri poſſit, cur locis Scripturæ ſupra citatis limites adeo ab Euphratis alveo diſtantes proponantur, calculum potius addendum judicemus iis, qui ſtatuunt, hujus difficultatis ſolutionem petendam ex diverſo ſtatu horum limitum, diverſis temporibus exiſtente.

Exhiberique adeo illis locis cap. XIV. partis proœmialis limites, quales actu fuerunt partim eo tempore, quo poſſeſſionem regionis Joſua duce adierunt Israëlitæ, bellorumque pertæſi in qualicunque vindicatione regionum, quæ incolatui ſuo ſufficerent, acquieverunt partim, & magis quidem illa ætate, qua ſub Regibus poſt Salomonem fuerunt, qua plerumque arctioribus illis limitibus contenti eſſe coacti fuere. Illa vero alia loca agere de limitibus, quales promiſſi fuerant, integris, qui etiam actu aliquando fuerunt tales, ſed breviori tempore ſub Davide & Salomone, ac iterum ſub poſtremis quibusdam Iſraëlis Regibus, de quibus mox. Imo quos magis conſtantes futuros fuiſſe, ponere non abs re eſt, ſi modo Iſraëlitæ conditionibus, ſub quibus Abrahamo promiſſio facta fuerat, ſtetiſſent.

Adierunt adeo ex hac ſententia Iſraëlitæ ſub Davide & Salomone præcipue integram illam promiſſam poſſeſſionem, & revera Salomonis & Davidis Imperium ad Euphratem usque potenſum fuit. Sed quæ eſt rerum humanarum inconſtantia, parum diuturna extitit hæc poſſeſſio & felicitas. Statim enim jam Salomonis tempore Damaſci turbas per Retzonem motas & ulteriora ſane adeo quoque abalienata, ac peculiare regnum Syriæ, quod Iſraëlitas graviſſimis bellis cladibusque vexavit, conſtitutum ex I. *Reg. XIII.* 23. cognoſcimus.

Interruptam tamen illam poſſesſionem (ut hoc ſtatim iſthoc loco addamus) ſaltem ex parte reſtituit iterum Jerobeamus II. Rex Iſraëlis, qui cum egregie rem contra Syros geſſiſſet, eosque hactenus victores in ordinem redegiſſet, usque ad Chamatham limites regni protulit. Ita enim II. *Reg. XIV.* 25. de eo: *Hic recuperavit terminum Iſraëlis ab aditu Chamathæ usque ad mare campeſtrium ſecundum verbum Jehovæ Dei Iſraëlis, quod locutus fuerat per ſervum ſuum Jonam Amitthai filium Prophetam, Gath Cephero ortum.* Et plura de rebus ejus geſtis memorantur ejusdem capitis *verſu.* 28. *Reliquæ autem res Jerobeami & quicquid fecit, fortitudoque ejus, qua pugnavit, utque recuperavit Damaſcum & Chamatham Judæ atque Iſraëli, ſcripta ſunt in libro Chronicorum Iſraëlis Regum.*

Id quod etiam ex eo confirmatur, quod Amoſus Propheta, qui Jerobeami illius Regis ætate vixit, (teſtante hoc inſcriptione libelli ejusdem) cum extrema regni Iſraëlitici deſcribere in animo habet *Capite VI.* 14. eadem a Chamatha vel aditu Chamathæ ad torrentem campeſtrium, qui eſt torrens Palæſtinæ & Simeoniticæ tribus limites alluens, extenſa fecit.

Admodum vero afflictam a Jerobeamo ipſam urbem Chamatham fuiſſe apparet ex *verſu* 2. ejusdem capitis Amoſi, quandoquidem eam comparat cum Gath Philiſtæorum, quæ circa idem tempus ab Huzzija Rege Judæ, teſte ſacro autore in *libro II. Chron. cap. XXVI.* 6. pariter duriſſime habita, murisque privata memoratur.

Felicitatem tamen iſthanc regni Iſraëlitici exiguæ fuiſſe durationis animadvertimus, cum extincta illa familia Regia imperium ad alios tranſiret, mutuis bellis ſe invicem atterentes, qui etiam, preſſo & irritato Judæ Rege Ahaſo, eo illum adegerunt, ut in auxilium vocaret Asſyrios, & regnum Iſraëlis mox, & exiguo tempore poſt ipſum quoque Judæ regnum deleturos.

An ſimul cum Chamathenſi regione Thapſacus quoque in poteſtatem Iſraëliticorum Regum tunc redierit, quærendi cauſa oritur ex loco II. *Reg. XV.* 16. Ubi Menahemus occiſo, qui regnum Iſraëliticum, familia illa Jerobeami ſublata, injuſte invaſerat & uſurpaverat, Schallumo, dicitur Tiphſachum, quod portas non aperuiſſet, quod vel Schallumi partes, vel Zachariæ legitimi Regis, vix ante ſemeſtre a Schallumo necati, fuisſet ſecuta, captam diruiſſe, & cives trucidatis etiam prægnantibus, ut ſunt civilium bellorum iræ atrociores, internecioni dediſſe dicitur. At vero ut illud dictum de Thapſaco ad Euphratem interpretemur, non ſatis ſonticæ rationes nobis videntur exiſtere. Nam etſi cogitari quidem poſſit, non obſtare ejus nimiam remotionem, & quod a Salomonis usque tempore jam cum reliquo Palmyreno tractu ab Iſraëlitico regno alienata fuerit, longiori tempore, quam ut a Jerobeamo II. bello, de quo mox dictum, eam regno eidem reſtitutam commode ſtatui poſſit. Hoc tamen nos vetat huic ſententiæ accedere, quod verba textus ſacri videntur eam vicinam Thirzæ regiæ urbi in ipſius Iſraëlis meditullio ſitæ facere. Utpote ita concepta: *Percuſſit Menachem Tiphſachum, & quicquid in ea erat, & omnes terminos ejus a Thirza. Quia non aperuerat, ideo percuſſit. Ipſas prægnantes ejus diffidit omnes.*

Præterea etſi Jerobeamus Damaſcenum agrum & reliquam Syriam usque ad Chamathæ terminos regno ſuo adjeciſſe & recuperaſſe dicatur, non tamen Palmyrenæ ditionis, in qua Thapſacus, mentionem ibidem fieri deprehendimus. Quin potius memoratur regnum Syriæ Damaſcenæ, 12 annis poſt Menachemi initia vel 13 poſt Jerobeamum ſub Pekacho tantarum virium, ut, juncto cum Iſraëlis Rege fœdere, Judæ regnum oppugnare, Idumæam ei eripere, idemque miſeris modis vexare atque ad deſperationem fere adigere potuerit II. *Reg. XVI.* 5. *ſs.* Ex quo credibile videtur, etiam in ulterioribus verſus Euphratem partibus Syros a Jerobeamo non adeo in anguſtias redactos, verum potius reſtaurandæ etiam in Damaſcena provincia poteſtatis ex illis occaſionem ſumſiſſe.

Quænam vero ſit illa Tiphſach Thirzæ vicinior, non eſt quod impræſens inquiramus accuratius.

Quemadmodum nec noſtrum eſt, dum non Hiſtorici, ſed Geographi officio defungimur, de ipſis actionibus bellicis, quibus David ampliſſimam hanc ditionem in ſuam poteſtatem redegit, prolixius ſermonem facere. Quas quidem non incelebres, neque incruentas fuiſſe certum eſt.

Cum Hadad Ezeris potentia magna ſane fuerit, utpote cui etiam Reges paruiſſe dicuntur alii: Verba ſunt II. *Sam.* X. 19. *Quamobrem ut viderunt omnes Reges ſervi Hadad Ezeris ſe plaga affectos eſſe ante Iſraëlitas, pacem ineuntes cum Iſraëlitis, ſervierunt eis.* Et cum Ducibus uſus ſit mira audacia præditis, *Schobacho*, qui Tranſamnenſes contra Davidem in bellum excivit, hoſtilem animum non niſi cum morte deponens, quam in prælio invenit II. *Sam. X.* 16. 18. nec non I. *Chron. XIX.* 16. & *Retzone*, Qui cum ab ipſo domino defeciſſet, per regionem cum collectis hominibus vagatus, negotium Salomoni faceſſivit non modicum, ſed ipſam Damaſcenam provinciam ab eo alienavit, regno in eodem novo conſtituto.

Satis de Syria Tzoba. De Damaſcena brevibus nobis eſſe licebit.

Urbis celebritas tanta eſt, ut de ſitu aliisque nullum ſit dubium. Expreſſa quoque ſunt verba, quæ de ejus poſſeſſione a Davide & Salomone adita agunt, in ſuperioribus aliquot locis jam a nobis propoſita. *Aram Damaſci.*

Reſtat, ut de Syria *Rechob* & *Mahaca* diſpiciamus. *Rechob* vel *Beth-Rechob* vero eſſe urbem prope Iſraëliticæ terræ fines ſeptentrionaliores (non tam longe ab urbe Dan *Jud. XVIII.* 28.) tribui Aſeriticæ attributam, ſed ab ea Levitis deputatam & aſſignatam, ex *Joſu. XIX.* 28. & *XXI.* 31. extra dubium eſt. Sed cum Aſeritæ veteres poſſeſſores Cananæos (nam hi illi priſtini fuere poſſeſſores juxta *Jud. I.* 32.) ex eadem ejicere neglexiſſent, quod cum pleriſque urbibus, quæ Levitis aſſignatæ *Aram Rechob & Mahaca.*

gnatæfuerant ( dictæ adeo potius quam datæ) factum, vel iidem in nomen Syrorum tranſiere, vel Syri in communionem cum ipſis venere, ut Syrorum Rechobenſium nomine tempore Davidis appellarentur. Quos, cum auxilia Hammonitis contra Davidem miſiſſent, & contra eundem Tzobæ Regi Had ad Ezeri militaſſent, ipſe plane in ditionem & ſervitutem redegit, ut ex pluribus locis ſupra citatis jam conſtat.

*Mahacatenſes* & *Geſchuræi* ſemper fere junguntur. Teſtimonio ſunt loca *Deut. III.* 14. *Joſu. XII.* 5. *Joſu. XIII.* 11. item ℣. 13. Ex quorum prioribus etiam intelligitur, in Batanæa vel proxime eam in regione, quæ Ogi Batanææ Regis fuerat pridem, poſt dimidiæ tribui Manaſſis aſſignata, eos ſedes ſuas habuiſſe. E poſteriori vero manifeſtum eſt, eos ab Iſraëlitis non plane expulſos, ſed usque ad tempora Davidis, (vel ultra ea) tributariorum nomine ibidem degiſſe. Nam quod I. *Chron. II.* 23. legitur: *Jair accepit ab ipſis Geſchuræis & Syris villas Jairis cum Kenatha & villis ejus, ſexaginta civitates*, hoc etiam magis confirmat, cum a Jairo non integra Geſchuræorum ditio, ſed quædam ſaltem eſſe vindicata dicantur. Eſſe vero hanc Geſchur ab iis Geſchuræis, qui propius Ægyptum & Philiſtæos habitabant, de quibus ſupra, plane diverſam, nobis non monentibus, claret. Vicinas fuiſſe gentes, ſed non eandem, vel ipſa repetita mentio diſerta & ſeparata utriusque innuere videtur.

Hanc adeo Geſchur αὐτονομία usque ad Davidem uſam, vel Regem proprium habuiſſe, apparet ex eo, quod Abſolon parricidio in fratrem patris iram meritus, ad Regem Geſchur ſecuritatis cauſa profugit, juxta II. *Sam. XIII.* 38. Qui quidem etiam avunculus ejus fuit, utpote ex Mahaca filia Thalmai Regis Geſchuris, quam David uxorem duxerat, geniti juxta II. *Sam. III.* 3. & I. *Chron. III.* 2. Nullibi quidem inter victas a Davide gentes Geſchuræi iſti memorantur, nec ſocietatis cum cæteris Syris contra Davidem initæ mentio fit, fortaſſe ipſi propter affinitatem amiciori animo, & humanius ob eandem cauſam habiti. Sed quin propter infirmitatem Davidem maximum Regem comiter ſaltem colere & reſpicere debuerint iſti Reges, dubium eſt nullum. Sub Salomone vero, qui ex alia uxore Davidis genitus non eundem reſpectum conſanguinitatis habuit, an cæteris ſubditis æquati fuerint, non eſt quod dicamus.

Mahaca vel Syria Mahaca quibusdam videtur verti poſſe Syria compreſſa, in planitie forſan Thrachonitidis montibus ſubjecta exiſtens. Locum ejus accuratius determinaturis conſiderandum venit, locum aliquem in hoc tractu Batanææ vicino occurrere Abel, vel Abela cum epitheto Beth Mahaca, ſive domus Mahacæ. Eſt enim is, in quem II. *Sam. XX.* 15. dicitur rebellis Schebah confugiſſe, ibique a Joabo obſeſſus, & de quo I. *Reg. XV.* 20. memoratur, eum a Syriæ Rege Benhadado cum aliis in regione ſeptentrionaliori terræ Iſraëliticæ ex utroque maris Geneſaritici vel Cinnereth latere ſitis, eſſe direptum & vaſtatum. Unde plane errat Bochartus, qui eam urbem pro Epicæro habet, quam ipſe ad Aſphaltitem lacum & in partibus Palæſtinæ auſtralioribus locat. Eandem vero geſſiſſe quoque nomen Abel Majim, Abel aquarum, ab ubertate ſcil. earum, intelligitur ex II. *Chron. XVI.* ℣. 4. ubi eadem hiſtoria direptionis ejus narratur. Ex quo cum Pella etiam ab abundantia aquarum celebretur, a Plinio, quam in eodem tractu & in vicinia ſitam oportuit, dubium alicui eſſe poſſit, an plane eædem exiſtant, niſi Polybius expreſſe easdem diſtingueret L. V. narrans primo Pellam, ab Antiocho M. captam, nec non Camum & Gephrum. Poſtea demum ab eo majori ſpe aucto, cum in Galatim (Galaditidem eſſe circumſtantiæ ſuadent) progreſſus eſſet, Abilam in poteſtatem redactam eſſe, ita ut ejus tractus illi reſtaret ſolum Gadara. Qua etiam deditione capta, ad Rabatanonam proceſſiſſe dicitur, pariterque eam demum, ſed majori difficultate cepiſſe. Cæterum Abilam hanc a Gadara vel Gadaris 12 milliar. Rom. abeſſe, ex Euſebio conſtat. Nam

Abilam Batanææ ac Abel Bethmaacha eandem eſſe nemo ſanus, credimus, dubitare poteſt.

Etſi vero propendet animus, ut hanc urbem Abelam Bethmahaca, Mahacatenſis Syriæ metropolim faciamus, hoc tamen unicum nobis obſtat, quod in colloquio mulieris illius ſapientis, quæ cum Joabo de conditionibus urbis tradendæ tractavit, vindicatur Iſraëliticæ terræ: ita enim ℣. 19. citati capitis II. *Sam. XX. Ego ex pacem colentibus, e fidelibus Iſraëlis ſum, tu quæris morte afficere incolas civitatis, & quidem metropolis in Iſraële, quare abſorberes poſſeſſionem Jehovæ?*

Quapropter videtur nobis probabilius a vicinia ſolum Mahacæ urbem Abelam dictam, vel partem regionis Mahacatenſis fuiſſe tractum circa eam, reliquam ejus partem, uti dictum, Iſraëlitis non paruiſſe, & Syros potius in eam delatos cum rege ſuo inimicum animum in bellis illis Davidicis demonſtraſſe, ſed magno ſuo malo. Interim ut de ſitu ejus hac ratione utcunque conſtat, exiguum tamen hunc tractum fuiſſe, tum circumſitarum undique regionum conditio, tum infirma auxilia 1000. ſaltem hominum, quos Rex ipſe Mahacæ conductus adduxit Hammonitis II. *Sam. X.* 6. oſtendunt. Urbem cognominem an habuerit, quod vult Bochartus (Mahaca ſcil. dictam, non Abel) in medio relinquendum videtur. Niſi Bethmahaca peculiarem fuiſſe locum, ſtatuere quis velit, ab Abela ſuperius memorata diſtinctum, qui adeo Mahacæ provinciæ caput fuerit, a cujus vicinia ſaltem illa Abela nomen epitheton habuerit. Quod quidem Relandus, ſed non ſatis tuto, ex II. *Sam. XX.* 14. colligere videtur.

Hic adeo eſt ſtatus Syriæ, quæ Davidi paruit, a qua excludendam eſſe Chamatham, ſupra jam monitum ex II. *Sam. VIII.* 10. & I. *Chron. XVIII.* 9. breviter delineatus.

*Aſſyrii Davidi parentes quinam?* Reſtat, ut pauca de *Aſſyriis* & *Tobæis* dicatur.

Nam Aſſyrios quoque Davidi paruiſſe vidimus ſupra ab Eupolemo aſſertum. Sed cum & ipſe Aſſyrios hos vocet Galadenem ſive Galaditidem tenentes, manifeſtum eſt, eundem voce Aſſyriorum uti ſenſu, de quo diximus, eam frequentiſſime pro Syris ipſis uſurpari. Nam in Aſſyrios Trans-Tigritanos & proprie dictos, vel etiam in gentes intra Euphratem & Tigrim ſitas, quæ laxiori ſignificatu quoque Aſſyrii dici poſſunt, nihil poteſtatis eum habuiſſe, aperta Scriptorum ſacrorum verba, quibus regnum Davidis fluvio Euphrate circumſcribitur, demonſtrant.

Majoris eſt indaginis quæſtio de verbis *Pſalmi LXXXIII.* 9. quibus inter hoſtes Iſraëlitarum memorantur Aſſyrii. Enumerantur vero ita: *Tentoria Edomæorum & Iſmaëlitarum, Moabitæ & Hagareni, Gebalitæ, Hammonitæque & Hamalekitæ, Palæſtini* (Philiſtæi) *cum habitatoribus Tyri. Etiam Aſſyrius adjunxit ſe iſtis, ſunt brachium poſteris Loth maxime.* Ex contextu vero verborum horum patere videtur, ſermonem non eſſe de bello illo, quod Aſſyrii Trans-Tigritani illi poſterioribus temporibus contra Judæos geſſerunt, quandoquidem illi idem proprio inſtinctu & auſpicio viribusque propriis, non alienis vexillis militantes geſſerunt, in ſuam poteſtatem eos ſubigentes: hic vero memorantur ii tanquam auxiliares copiæ, ſuppetias Hammonitis præcipue ferentes. Et Pſalmi autor non poſterioribus illis temporibus, quibus recenſarum gentium vires admodum fractæ & animi diſſociati erant, vixiſſe videtur, ſed Davidis ætate, qua tantam conſpirationem illarum factam, magis credibile exiſtit.

Quod ſi adeo de Aſſyriis Davidis tempori coætaneis hic Pſalmus agit, vel eo confugiendum eſt, ut dicatur more ſequentis temporis jam hic Aſſyrios pro Syris dici. Vel ſi proprie Aſſyrii intelligendi veniant, quorum ſedes propria Trans-Tigritanorum regio, regia autem Ninive, autor regni Ninus fuit, indicio erit, tum illorum Aſſyriorum potentiam non fuiſſe talem, qualem prædicat Cteſias, & ejusdem opinionis fautores credunt, nec ultra Euphratem proprio Marte expeditionem eos ſuſcepiſſe, ſed forſan intra terminos Meſopotamiæ, quam dicimus, hactenus ſubſiſtentes, occaſione illorum

motuum

motuum Syriacorum in cis-Euphratenſes regiones primum pedem intuliſſe: a Davide vero cum cæteris repreſſos, nihil minus tum temporis quam Palæſtinam in poteſtate habuiſſe.

Tobæi. *Tobæorum* mentio fit inter auxilia ab Hammonitis contra Davidem excita II. *Sam. X.* 6. Iſchtob in textu extat, quod viros Tobi interpretari ſolent, vel Tobæos. Terræ quoque Tob mentio fit *Jud. XI.* 5. in quam metu fratrum & familiæ ſuæ Jephtahum confugiſſe, & ſocios ibidem ſibi collegiſſe memoratur. Tribum vel gentem non contemnendam eos conſtituiſſe, ex numero copiarum auxiliarium Hammonitis adductarum patet, qui fuit 12 millium virorum. Ubinam ſedes eorum quærendæ, non liquet. Extra terram Iſraëlis fuiſſe, ex hiſtoria Jephthæ videtur ſumme probabile. Certe Relandus, qui tractatione ſolorum Palæſtinæ locorum ſcopum ſuum circumſcripſit, nullam ejus habet mentionem.

Memoratur vero a Ptolemæo aliqua Thaube in Arabia deſerta, eadem latitudine, qua Boſtra & Trachonitis, quam, deficientibus aliis argumentis, pro ſede horum habere nihil impedit.

An, victis eorum una cum reliquorum fœderatorum copiis, David eorum quoque ditionem regno ſuo adjecerit, in obſcuro eſſe fateri cogimur.

Litoralis ad Libanum vel Cœleſyria. Quæri etiam poſſit, cum Cœleſyriam propriam, quæ eſt intra Libanum, qua ejus duo brachia unum ſecundum litus ab auſtro in ſeptentrionem, alterum a ſeptentrione in mediterranea verſus ortum hibernum procedunt, totam Davidi fuiſſe occupatam, ex dictis jam conſtet, annon etiam tractus ille litoralis Libani priori brachio ſubjectus, in quo Berytus, Byblus aliaque, ejusdem imperio accenſendus veniat. Verum, ut ſupra jam inſinuavimus, textu ſacro tacente, vel nihil diſerte aperteque pronunciante, & nos vel nihil vel timide ſaltem quicquam de eo affirmare poſſumus, propterea, quod reliquum litus a Sidone ad Tyrum & Ecdippam usque ab ejus poteſtate exemptum fuit. Nec veroſimile ſit, urbes maritimas a Davide, qui claſſe non valebat, potuiſſe tentari. Etſi ſciamus videri iis, qui navigationem Ophiræanam directam verſus occidentem & in mare mediterraneum cenſent, & ſuæ eſſe provinciæ rentur dicere, quid in illa hiſtoria Eziongeber, quid Elath ſit, ſtatuere illas eſſe Ornithopolim & Elæam Phœniciæ maritimas urbes. Ex quo ſequeretur, ſi non totius illius tractus maritimi, ſaltem quarundam ſparſim ſitarum partium Dominos fuiſſe Reges Iſraëliticos.

Quominus etiam poteſtatem Davidis & Salomonis in hoc litore vel in totum hoc litus fuiſſe credamus, faciunt geſta cum Hiramo Tyri Rege, ex quibus cognoſcitur, in poſſesſione jugi montis Libani cedriferi, quod maxime litoralem eſſe hanc ejus partem aliunde conſtat, fuiſſe Tyrios, & non niſi hujus Regis cum venia & ejus hominibus lignorum ex eo copiam Davidi & Salomoni factam. Sane etiam ex verbis I. *Reg. V.* 18. ubi dicuntur operas præſtitiſſe Salomoni ſtructores tum ipſiusmet, tum Churami cum Giblæis, quos cum Bybliis eosdem eſſe admodum veriſimile exiſtere, ſupra monitum fuit, non adeo tamen manifeſte ſequi ſubjectionem aliquam Bybliorum, quivis intelligit.

## *PHOENICE, TYRII & SIDONII.*

Pergimus ad occidentales partes & limites regni Davidici. Ubi ſe offerunt Sidoniorum & Tyriorum celeberrimæ urbes cum tractibus litoralibus ſub eorum ditione exiſtentibus. Et quidem omnem eorum terram usque ad ipſius maris litus & undas Iſraëlitis primitus deſtinatam, & intra limites, de quibus ſuperior. cap. 13. partis procœmialis, fuiſſe contentam, extra dubium eſt quidem. Sed in ipſa diviſione terræ occupatæ per tribus *Joſu. XIX.* 29. nullo loco habitum eſſe (forſan ob juſtam deſperationem poſſeſſionis unquam adeundæ) totum

totum illum tractum litoralem usque ad Ecdippam vel Aczib, patet. Quia limites tribus Aſeriticæ ſecundum terminos Sidoniorum & Tyriorum mediterraneos, excluſis adeo ipſis urbibus, deducuntur, usque dum exeant in mare demum apud Aczib. Imo ne Acconem quidem (quæ poſtea Ptolemais) ſub poteſtate Aſeritarum fuiſſe, ex loco *Jud. I.* 31. conſtat, ibi enim eſt: *Aſcher non expulit habitatores Hacuntis & habitatores Tzidonis, item Achlab, & Aczib, & Chelba, & Aphek, & Rechob.*

In promtu eſt ratio: propter potentiam urbium harum maritimarum & univerſalem navium & peritiæ nauticæ defectum in Iſraëlitis.

Bella tamen geſta eſſe inter hos Phœnices & Tyrios, eorumque Regem mominatim Suronem, qui Chiram ſine dubio, atque inter Davidem, eosque ad tributa pendenda adactos Eupolemus, ut ſupra explicatum eſt, auctor exiſtit.

De bellis vero hiſce nihil habet Scriptura ſacra. Quin potius amicitiam cultam eſſe inter Hiramum vel Churamum Tyri Regem & Davidem atque Salomonem narrat. Et I. *Chron. XV.* 1. quidem: Chiram ultro legatos ad Davidem cum donis & materia ad ædificia, nec non fabris & artificibus miſiſſe memoratur. Et I. *Reg. V.* 1. amicitiam cum Davide omnibus diebus ejus coluiſſe dicitur. Quo in loco etiam porro refertur, iterum Chiramum primum Salomoni de adito imperio per legatos gratulatum. Unde Salomon viciſſim legatos ad Chiramum direxit, varia ab eo poſtulaturos, inprimis materiam & artifices plures ad opera ſua magnifica perficienda. In quibus omnibus Chiramus promte voluntati Salomonis obſecutus dicitur, ratione in ℣. 12. addita, *quod pax inter ambos fuerit, ita ut paciſcerentur fœdus.* Quæ hiſtoria cum iterum narretur II. *Chron. II.* non ſolum poſtulata legatorum, ſed etiam literæ Hirami humaniſſimæ & humillimæ exhibentur: In quibus etſi notabilia maxime ſunt verba, quibus Hiramus Davidem & Salomonem dominos ſuos, ſemet vero ſervum Salomonis profitetur (ita autem ſonant ℣. 14. & 15. dicti capitis: *Mitto virum peritum ſcientem - - - - quicquid proponetur ei cum peritis tuis & peritis domini mei Davidis patris tui, viciſſim nunc triticum illud & hordeum, oleum & vinum, quod dixit dominus meus, mittat ſervis ſuis*) non tamen videntur aliter interpretanda, ac pro more etiam temporum noſtrorum, quo ſtylo Magnates utuntur civili (ut voce Latina ſed Gallicam ſignificationem habente utamur) nec adeo ſubjectionem ſimpliciter notare, etſi aliquam venerationem & ſubmiſſionem comiter colentis innuant.

Nec pro imperio aliquid injunxiſſe Chiramo Salomonem deprehendimus, ſed ex æquo cum ipſo in permutationibus & præſtationibus mutuis egiſſe. Adeoque cum pro ſubminiſtrata materia lignorum ad templum & mutuo ſumtis centum viginti talentis auri Salomo Churamo 20 urbes ex ſuis cedere deſtinaſſet, reſpuit eas hic cum aliquo contemtu. Negotium narratur his verbis I. *Reg. IX. v.* 11. *ſſ. Fuit exactis* 20 *annis. - - - Quia Chiram Rex Tyri donaverat Salomonem lignis cedrinis & lignis abiegnis ac auro pro toto deſiderio ejus, ut tunc daret Rex Salomo Chiramo viginti civitates ad regionis limitem* (ita in verſione Juniana, in textu vero potius: *in terra Galilæa.*) *Itaque egreſſus Chiram Tyro ad viſendas civitates illas, quas dabat ipſi Salomo, quum non placerent in oculis ejus, dixit: quid ſunt civitates iſtæ, quas das mihi frater mi? Ideo vocat eas quisque terræ Chabul civitates usque in diem hunc. Miſerat enim Chiram Regi centum viginti talenta auri.*

Cæterum non plane nullius momenti fuiſſe illas urbes, & quod præcipue pro noſtro inſtituto notandum, Salomonem hac in parte regni fines non imminuiſſe ſcimus ex II. *Chron. VIII.* 14. ubi refertur, cum compenſatio illa Hiramo non placuiſſet, Salomonem ipſum eas urbes & facile quidem exornaſſe: ita enim ibi: *Fuit vero exactis* 20 *annis, quibus ædificavit Salomo domum Jehovæ & domum ſuam, ut civitates illas, quas dederat vel reddiderat Churam Salomoni, ædificaret Salomo, & habitatores illic collocaret Iſraëlitas.*

Ubi-

Chabul terra. Ubinam illæ ſitæ, res eſt Geographicæ inquiſitionis. Chabalo vel Chabalon vicum memorat Joſephus prope Ptolemaidem, citante *Relando.* Et alibi idem *Joſephus* libro contra Appionem I. Zabulon hanc terram Chiramo donatam vocat: *Quem redonavit*, inquiens, *Salomo & aliis multis rebus & terra Galilææ regionis, quæ Zabulon vocatur.* Ex legitime deſcriptis Palæſtinæ tabulis patet, Zebulonis tribum in partibus circa Ecdippam vel Aczib & Aconem vel Ptolemaidem non procul abfuiſſe a litorali tractu, quem Phœnices & Tyrios retinuiſſe, ſibique vindicaſſe ſupra notavimus. Etſi enim ad ipſum maris mediterranei litus non pertigerit iſtius tribus ditio, ut volunt vulgatæ at nullius momenti mappæ, Aſeriticæ tribus faſcia vel Zona a mari eam ſecludente. Quemadmodum ex altera parte nullatenus Geneſariticum lacum attigit, ſed tota fuit mediterranea) tamen admodum vicina Tyriis poſſeſſionibus eadem hic fuit, unde portionem Zabuloniticæ tribus (eandemque ſimul Galilææ partem exiſtentem) Chiramo deſtinatam a Salomone fuiſſe, forſan & prius a colluvie reliquiarum Canaaniticarum occupatam, eandem vero ab illo alluſione ad nomen Zabulon Chabul vocatam, & cum contemtu repudiatam, ab iſthoc, deductis novis Colonis Iſraëliticis, ejectiſque illis reliquiis paganorum, in melius reſtitutam eſſe, quis dixerit, non videmus, quî male calculum ſuum poſuiſſe dici poſſit.

Manet adeo vi dictorum, non tam ſubjectorum aut devictorum loco Tyrios Phœniceſque fuiſſe habitos, quam fœderatorum. At horum forſan inæqualium, & ad tributa modica forſan obſtrictorum.

## PHILISTÆA.

Reſtat ultimo, ut de Philiſtæorum vel Palæſtinorum proprie ſic dictorum ditione, ac imperio, quod David & Salomon in eam habuerunt, dicamus.

Totam hanc regionem quidam in ſortitione terræ a Joſua tribui Judæ aſſignatam fuiſſe (nil quicquam Simeonitica aut Danitica tribu, quibus portionis ſuæ aliquam partem Philiſtææ viciniorem ceſſerat tribus Juda, inde accipientibus) ex *Joſu. XV.* 45. 46. ubi in ſpecie Hekron, Aſchdod vel Azotus & Hazza vel Gaza memorantur, ſtatuunt. Et quidem poſt mortem demum Joſuæ tribus Judæ homines Gazam, Aſcalonem & Hekronem cum integris earum territoriis in poteſtatem ſuam redegiſſe teſtatur locus *Jud. I.* 18. ſed hanc poſſeſſionem non fuiſſe diuturnam, & Philiſtæos reparatis viribus, cum auxilia e transmarinis Græciſque regionibus propter maris, quod accolebant, commoditatem petiiſſent, Judæos iterum ex planitie (tota enim Philiſtæa plana fuit, montana ſolum tribu Judæ obtinente) in editiora & montes repuliſſe, non vindicatis ſolum dictis urbibus, ſed etiam plurimis ex portione tribus Simeoniticæ, Judæ & Daniticæ in poteſtatem redactis conſtat. Speciatim Tziklag Simeoniticæ tribus diu in poteſtate eorum fuit, Thimna & Gath Daniticæ.

Quemadmodum illud ex hiſtoria Davidis, hoc ex Simſonis colligitur. Ipſi vero 5 Dynaſtias conſtituerunt, quæ hoc ordine recenſentur *Joſu. XIII.* 3. Gaza, Azotus, Aſcalon, Gatha & Hekron. Quo medio tempore cum Iſraëlitas partim bellis miſere afflixiſſent, partem quoque non modicam temporis in ſervitutem plane redegiſſent, inque tantum metum adduxiſſent, ut aliter, niſi Rege creato, ſalvos ſe eſſe non poſſe crederent, ipſum vero eorum Regem primum Saulem, alias non infeliciter, nec minus fortiter bellum gerentem ultimo prælio ad deſperationem & mortem adegiſſent, tandem ductu & auſpiciis Davidis repreſſi & in ordinem redacti fuere.

Quin ipſe David viciſſim eos quadam regionis parte mulctavit. Cum prius ab Aciſcho Gathi Rege vel Dynaſta, ad quem metu Saulis eum

eum mortali odio perſequentis perfugere coactus erat, Tziklagum dono accepiſſet, II. *Sam. XXVII.* 6. Quam urbem non ſolum retinuit ſemper David, verum & ejus poſteri Reges Judæ. Quoniam cum ſemel in alienam Philiſtæorum ditionem tranſiiſſet, non amplius Simeoniticæ tribui, ſed Judæ, ex qua David erat, accenſebatur, adeoque non cum Simeonitica tribu ad Iſraëlis, ſed cum Juda ad Judaicum regnum acceſſit.

Quæ autem David Philiſtæis eripuerit, memorantur partim II. *Sam. V.* 3. & I. *Chron. XIV.* 16. ubi dicitur percuſſiſſe eosdem a Gebah (Benjamitica etiam a Philiſtæis injuſte poſſeſſa) vel etiam a Gibeon (nota urbe pariter Benjamitica) ut in ſecundo loco legitur, usque ad Gezer, quæ ad confinia tribus Judæ & Ephraim ſita. Sed I. *Chron. XVIII.* 1. expreſſe memoratur, Gatham cum villis ſuis Philiſtæis eſſe a Davide ereptam. Quæ hiſtoria cum narretur quoque II. *Sam. VIII.* 1. verba extant in Verſione Juniana. *Fuit poſthæc, ut David percutiens Philiſtæos deprimeret eos, & acciperet frænum Amgaris e manu Philiſtæorum.* Quorum loco in Hebræo legitur: מֶתֶג הָאַמָּה quod frœnum ſervitutis verſio Lutheri, alii frœnum aquæ ductus reddunt.

Gathæ tamen relictum ſuum Regulum Aciſchum filium Mahacæ vel Mahuci, ex loco I. *Reg. II.* 39. colligitur, qui usque ad tempora Salomonis vixit. Quod factum forſan, quod pridem Aciſch ille Davidi, cum Saul eum perſequeretur, perfugium præbuerit, & beneficiis eum affecerit: ad vitæ tempus forſan ipſi poteſtate relicta, quamvis ſub tributo.

Præterea vero plurimas ex Daniticis aliisque huic tractui vicinis urbibus a Davide recuperatas, ex iis, quæ de munitionibus Rehabeami refert ſacer Scriptor, apparet.

Reliquæ quidem tempore Davidis & Salomonis in poteſtate Philiſtæorum manſiſſe, quamvis tributa pendere coacta fuerint, certum eſt. Et memoratur Gibethon aliqua Philiſtæorum a Regibus Iſraëlis obſeſſa, cujus obſidionis exitus non refertur, verum caſus & cædes ſolum Nadabi ſecundi ex Iſraëliticis Regibus, cui obſidio illa occaſionem præbuit: *Percuſſit enim Bahaſcha Nadabum ad Gibethonem, quæ Philiſtæorum erat, cum Nadab & omnes Iſraëlitæ obſiderent Gibethonem.*

Sed poſterioribus temporibus quædam a Judææ Regibus, quamvis longe poteſtate ipſi Davidi cedentibus, eſſe vindicata, loca varia Scripturæ indicium faciunt. Et Gath quidem eſt inter eas, quæ a Rehabeamo poſt defectionem 10 tribuum accuratius eſt munita, juxta II. *Chron. XI.* 6. ſs. Quemadmodum & Ajalon & Tzorha inter illas occurrentes (reliquæ ſunt omnes tribus Judæ) cum tribus pridem Daniticæ fuerint, indicant, poſtquam eædem per Davidem a Philiſtæis vel Emoræis, qui Daniticos expulerant, vindicatæ fuiſſent, non Danis, ſed Judæ tribui & regno fuiſſe conſolidatas. Amiſſam vero temporibus turbulentis Gatham Uzias Rex regno Judæ reſtituit, dirutis ejus muris, ut & Jamniæ vel Jabnes & Aſchdodi vel Azoti muris, ædificatis urbibus vel creatis munitionibus in Azotenſi ditione & tota Philiſtæorum terra juxta II. *Chron. XXVI.* 6. Nimirum commerciorum flore tum ad alias gentes, Græcas præcipue, translato, & apud Palæſtinos e contrario imminuto, horum vires quoque Judaico regno ſoli pares eſſe non potuerunt.

Poſtea vero ſub impio & infortunato Rege Achazo Philiſtæi quidem Bethſemes, Ajalon, Gederoth, Soco, Thimna, cum villis ejus, & Gimzo cum villis quoque ſuis Judæ regno eripuere, eoque colonias ſuas deduxere II. *Chron. XXVIII.* 18. Verum recepiſſe eas videtur Hizkia, quia graviſſime Philiſtæos afflixiſſe, & omnia maxima minima diripuiſſe legitur II. *Reg. XVIII.* 8. *Ipſe* (verba ſunt ſacri Scriptoris) *percuſſit Philiſtæos usque ad Gazam & terminos ejus, a turri cuſtodum usque ad civitatem munitam.*

Gerar quoque, quam ad Philiſtæorum terram pertinuiſſe ex *Gen. XXVI.* 1. conſtat, etſi peculiarem dynaſtiam non conſtituit, ab Aſa Rege, cum in perſequendis Æthiopibus ad Mareſcham cæſis verſaretur, captam, & reliquas ei adſitas civi-

civitates & Nomadum Arabum habitationes everſas & ſpoliatas Caput XIV. libri II. *Chron.* ℣. 13. & 14. docet.

Gerar hanc, etſi Hardtio videatur Rhinocolura, eſſe intra potius Judææ terminos loco, quo Hieronymo placet, 25 milliar. Rom. ab Eleutheropoli, a qua tractus vel ſaltus aut regio Geraritica in Palæſtina prima dicta, ex eo facilius credimus, quod propior etiam hic locus fuit Berſabeæ, quam in valle Geraris fuiſſe, & Iſaacum in illa valle commorantem puteum Berſabeenſem fodiſſe ex dicti capitis XXVIII. ℣. 17. 23. & 33. collatis patet. Nec veriſimilitudinem ullam habet in tractu Rhinocorurenſi, qui ob ariditatem adeo famoſus, ut ab Ægypti Rege vel ipſo Cambyſe malefici in eum tanquam omnium miſerrimum, & facinoroſorum pœnis unice aptum locum, nec niſi ex coturnicum captura victum aliqualem habentem relegati legantur, Abrahamum & Iſaacum tanto tempore cum numeroſiſſimis gregibus verſatos.

## *GENTES aliæ tributariæ ſparſim ſitæ.*

Cum adeo circulum omnium ditionum Palæſtinæ adſitarum abſolverimus, & quid juris in eas fuerit Davidi & Salomoni, viderimus, de gentibus in meditullio ejus ſitis, ſparſimque habitantibus, reliquiis nempe priſtinorum ex Cananæis aliisque gentibus incolarum, brevibus res expediri poterit. Aperta enim ſunt verba I. *Reg. IX.* 20. II. *Chron. VIII.* 19. *ſs.* repetita: *Totius populi, qui relictus fuerat ex Emoræo, Chittæo, Perizzæo, Chivvæo & Jebuſæo, qui non erant e filiis Iſraël, horum filios, qui relicti fuerant poſt eos in ipſa terra, quos non poterant Iſraëlitæ internecioni devovere, adegit eos Salomon ad tributum ſervile usque in hodiernum diem.*

Horum numerum fuiſſe ad 153600, ſiquidem hi ſoli per peregrinos intelliguntur, ex II. *Chron. II.* 17. diſcimus, quos omnes ad opera ſua, ligna in Libano cædenda devehendaque aliaque in ſtructura templi & palatiorum ſuorum neceſſaria adhibuit. 80000 nempe ad ligna cædenda in Libano & præparanda, 70000 vero ad eadem transportanda & bajulanda (neque ad id ſolum, ſed & ad lapides prægrandes devehendos, ut ex I. *Reg. V.* 17. apparet) 3600 ad cæteros operi adſtringendos. Ex quo vero eſt probabile, præter illos fuiſſe etiam plures, qui domi manſerunt, & rem familiarem horum curarunt.

Et Gezer quidem, quæ in limitibus Ephraimi, Judæ & Danis tribuum fuerat, Ephraimi portioni attributa, ſed inde a Joſuæ tempore a Cananæis retenta & inexpugnabilis, Pharaonem Ægypti Regem expugnaſſe, igneque deleviſſe I. *Reg. IX.* 16. memoratur, & locum pro dote filiæ ſuæ, quæ Salomoni nupſerat, datum. Quem Salomo reſtitutum ædificavit.

De cæteris vero illis gentibus non legitur, quod vi ad imperium Iſraëlitarum eas adigere neceſſe fuerit.

Hæ ſunt adeo ditiones Davidis & Salomonis, ſtudio, quo fieri poterat, recenſæ.

Coronidis loco addere viſum eſt Catalogum populorum Davidi obnoxiorum, vel ad ipſam Iſraëliticam gentem ſpectantium, qualis in *Pſalmo LX.* & *CVIII.* occurrit plane geminus. Quorum priorem, occaſione belli cum Syris Tzobæis & cum Edomitis poſt partas ingentes victorias, velut epinicium factum inſcriptio ejus indicat. Verba vero huc ſpectantia ſunt:

*In partem obtineo Schechemum, & convallem Succotharum metior: meus Gilead, & meus Manaſſe, & Ephraim robur capitis mei: Jehuda legislator meus* (hactenus inteſtinæ, ſequuntur exteræ & devictæ gentes) *Moab pollubrum meum, ſupra Edomæam projiciam calceum meum, contra me Palæſtina clangentem age* (Pſ. CVIII. clangentem agam) *Quis deducet me in civitatem munitam?* (in Pſ. LX. eſt מָצוֹר in Pſ. CVIII. מִבְצָר. Alias intelligi poſſet Zor vel Tyrus vel etiam Ægyptus.) *quis deducet me Edomæam usque? Annon tu o Deus!* Et reliqua.

# PARTIS II.

## CAP. II.

## *DE REGNO MACCABÆORUM ET HERODUM.*

Inſtituti ratio.

Magna eſt exiſtimatio apud quosdam regni *Herodum*, ſive *Idumæorum*, qui Regum Judæorum titulum geſſerunt, maximæ vero parti Iſraëliticæ terræ præfuerunt (imperarunt haud dixerim, quia fiduciarii ſaltem fuere Reges) Unde viſum eſt, per modum appendicis de hoc regno agere, ut ex comparatione melius Davidici regni felicitas & præſtantia intelligatur.

Herodiani & Davidici regni differentia.

At vero per ſe ſe ſatis quoque magnificum fuit Herodianum hoc regnum, ſi ditiones ſpectes, *genere* vero non ſolum atque *indole*, ut jam inſinuavimus, diverſum a Davidico, verum & *nomine*, ſi proprie loqui velimus. Davidis enim Iſraëliticum, Herodis vero fuit Judaicum: etſi iis, qui Iſraëlitarum atque Judæorum nomen promiſcue ſumunt, plerumque confundatur, quibus David Judææ Rex æque dicitur ac Herodes, cum tamen Judæorum nomen Davidis tempore uſitatum haud fuerit.

Ortus regni Herodum hiſtoria brevis.

Hiſtoriam vero ejus regni dare, cum ſit a primario noſtro inſtituto alienum, brevibus ſaltem, quæ ad ſtatum Herodiani regni, & ortum, unde ſtatus ipſe intelligitur, ex eadem repetemus.

Iſraëliticum regnum recentius.

Poſt diviſionem adeo veteris Iſraëlitici & Davidici aut Salomonæi regni in duo, quorum unum *Iſraëliticum recentius*, alterum Judaicum dictum novimus; illud prius quidem everſum fuiſſe ab *Aſſyriis* metropoli Samaria deleta, Iſraëlitis in captivitatem variasque terras abductis, qui nunquam in patriam redierunt, præter paucos, qui Judæis poſtea e Babylonia redeuntibus ſe aggregaverunt, Regum quoque, qui ex variis familiis fuerant, ſtemmate & proſapia plane extincta, conſtat.

Judaicum proprium regnum.

Neque pariter quenquam latet, alterum regnum *Judaicum*, poſtquam aliquot annis longius duraſſet, a *Babyloniis* demum quoque everſum, deleta metropoli Hieroſolyma, incenſoque templo, Judæis fere omnibus in *Babyloniam* atque *Suſianam* abductis, regia poteſtate ſublata, occiſoque ipſo ultimo Rege Zedekia, qui ex proſapia Davidis fuerat, apud quam dignitas regia inter illam gentem hactenus perpetuo manſerat.

Reditus Judæorum.

His vero demum Judæis a Cyro, qui Babyloniorum regnum everterat, & omnes ejus provincias, adeoque & totam Palæſtinam, in ſuam ditionem redegerat, poteſtatem datam redeundi in patriam, & templum atque metropolin Hieroſolymam e ruinis inſtaurandi.

Rediiſſe adeo hos non una quidem vice, ſed duabus potiſſimum, *primo* quidem *duce Serubabele* ex familia Davidica, & Joſua Sacerdote, & *poſtea* cum *Eſra*. Cum vero rediiſſent, oſtendiſſe multo maximam partem tractus auſtralioris, quæ tribui Judæ prius propria fuerat, occupatam ab Edomæis, qui in vacuum venerant. Unde partes tribus Benjaminis, &, quæ iis viciniores erant, tribus Judæ ab iis ſaltem occupatæ, quæ JUDÆÆ nomen poſtea geſſerunt, reliqua pars Idumææ, recentioris nempe, nomen habuit, ad Bethzuram usque extenſa.

Nomen Judææ & Idumeæ recentioris.

Gubernatio politica Judææ ſub Perſis.

Quantum ad *ſtatum Politicum*, invenimus quidem Serubabelem, uti dictum, ducem eorum fuiſſe junctim cum Joſua, ſed an præfecti regii dignitatem atque autoritatem habuerit, non conſtat. Succeſſorem certe in eo munere non habuit, ſed provincia per Præfectos a Rege Perſarum conſtitutos vel miſſos, quorum unus fuit Nehemias, adminiſtrata. Ita ut poteſtatis alicujus, quam Serubabel, adeoque & *familia Davidis*, vel in genere eorum, qui ex tribu Juda fuerunt, habuerint, veſtigium vel mentio nulla occurrat. Potius maxima poſt Præfectos regios autoritas fuit *Sacerdotum* ſummorum, quos etiam ſine

Familiæ Davidicæ poteſtas nulla.

Sacerdotum poteſtas.

ſine Præfectis, ſub auſpicio tamen Regum Perſicorum, regionis & tributorum colligendorum curam & ſummam autoritatem habuiſſe apparet.

Gubernatio politica Judææ ſub Græcis regibus.

Certe *Alexandri M.* qui Perſicum imperium evertit, tempore *Jadius* Pontifex ſummæ rerum potitus.

Speciatim Ægyptiis.

Qui cum a Dario deficere & Alexandro Tyrum obſidenti, ab eo licet monitus, pecuniam dare recuſaſſet, quamvis hoc feciſſet Sanballatus, qui nomine Darii Samariæ præfuerat, iram Alexandri quidem in ſe concitavit. Quam tamen leniit, Alexandro poſt captam Tyrum Hieroſolymam ducente, a quo regione in ſuam poteſtatem redacta, adminiſtrationem publicæ rei & redituum accepit. Hocque ſtatu rem manſiſſe ſub Succeſſoribus Alexandri, cum primum *Palæſtina* vel Judæa & *Samaria* cum *Cœleſyria* (qualis Seleucidarum tempore proprie ſumta usque ad Eleutherum fl. & Libanum M.) & *Phœnice* eſſet ſub *Ægyptiis* vel Ptolemæis Regibus, *Joſephus* luculentus autor eſt, notans geſta *Ptolemæi Lagi*, qui dolo primus Hieroſolyma occupavit L. XII. c. 1. *Ptolemæi Philadelphi* cum Eleazaro Pontifice, de Legis Moſaicæ translatione, L. XII. c. 2. & maxime *Oniæ Pontificis* juxta L. XII. c. 3. 4. Quo in tributi exactione & præſtatione negligentiori exiſtente, ira *Ptolemæi Evergetis* lenita fuit a Joſepho Tobiæ filio, Oniæ ex ſorore nepote. Cujus familia dein adminiſtrationem redituum regalium Ægyptiorum habuit.

Sub Syris vel Seleucidis.

Cum vero deinde de Cœleſyriæ poſſeſſione inter *Antiochum M.* & *Ptolemæum Philopatorem* bellum ortum eſſet, vel quod revera Seleucus Syriæ Regum primus eam in poteſtate habuiſſet, vi illius diviſionis, quæ in Triparadiſo facta fuerat, (de qua Diodorus) eandemque Ptolemæus I vel Lagi ſpecie auxilii contra Antigonum ferendi injuſte ei abſtuliſſet, quamque adeo Antiochus ut repeteret, jus ſe habere credebat; vel quod hic Philopatoris ſaltem ignaviam contemneret, Judæam quoque Cœleſyriæ illi connexam Antiochus quidem occupavit, ſed, prælio ad Raphiam amiſſo, Ptolemæus Hieroſolymam iterum intravit.

Pace tamen facta, Antiochus Ptolemæo Epiphani filiam cum elocaſſet, dotis loco Cœleſyriam cum Judæa & Samaria quidem promiſiſſe, ſed regionem tamen ſibi retinuiſſe, ſaltem dimidiam redituum ex iis partem Ptolemæo annuatim permiſiſſe invenitur.

Unde & prior filiorum *Seleucus* Heliodorum ad compilandas res templi miſiſſe legitur, alter vero *Antiochus Epiphanes* Jus ſacerdotem Judæorum pro lubitu conſtituendi exercuit, primum remoto, ac dein occiſo Onia majore legitimo Sacerdote, inque ejus locum ſuffecto ejusdem fratre Jaſone, dein hoc quoque remoto & ſubſtituto fratre ejus Menelao Pontifice.

Turbatus ſtatus ſub Antiocho.

In duriorem tamen ſervitutem ab Epiphane Antiocho redacta eſt Judæa cum dictis regionibus. Qui cum regem Ægyptium minorennem *Ptolemæum Philometorem* vel ſextum inſuper Ægypti quoque regno ſpoliare tentaſſet, a Romanis prohibitus eſt.

Cujus expeditionis infelici ſucceſſu irritatus cum Hieroſolymam in reditu turbatam offendiſſet, crudeliter in eadem graſſatus eſt. Turbarum autor *Jeſus* vel *Jaſon* fuerat. Nam cum Oniæ majoris Sacerdotis duo hi fuiſſent fratres Jeſus, qui ſe Jaſonem dici maluit, & *Onias minor*, qui ſe *Menelaum* vocavit, Jaſoni poſt obitum fratris Sacerdotium jure ætatis debitum (dum fratris Oniæ majoris filius parvulus etiamnunc eſſet) contulerat Antiochus. Sed poſt cum ejus indignationem incurriſſet, abſtulerat, & fratrem minorem Menelaum eo ornarat.

Graviter vero hoc ferente populo, & ſeditionem contra intruſum Pontificem concitante, Menelao vero, ut ad auxilium ferendum paratiorem experiretur Antiochum, offerente, ſe Græcos ritus cum ſua factione (inter quos præcipui Tobiæ filii) abrogata & relicta Judaica lege ſumturum, Gymnaſiumque Hieroſolymis exſtructurum, captata occaſione abſentiæ Antiochi in Ægypto, Jaſon urbem Hieroſolymam receperat. Sed Antiocho, ita ut dictum, rede-

redeunte, pulſus Sacerdotioque & patria expulſus vitam finiit. Ita *Joſephus*.

Aliter paulo hæc II. *Lib. Maccab.* narrat: Nempe Oniæ majoris fratrem Jaſonem pecunia data ab Antiocho obtinuiſſe, ut frater Sacerdotio dejiceretur, ipſumque ritus Græcos introduxiſſe. Menelaum, qui frater Simeonis ejusdem fuerit, majori pecuniæ ſumma Sacerdotium licitatum, Jaſonemque ejeciſſe in Hammoniticam terram fugatum. Menelaus cum per ſe & per vicarium conſtitutum Lyſimachum nefanda plurima admiſiſſet, Antiocho in Ægypto verſante & fama de ejus morte vulgata, Jaſonem Hieroſolymam rediiſſe, ſed mox iterum ad Arabes, Ægyptios, tandemque Lacedæmonios confugere coactum.

Occaſio novi ſtatus. Dum vero in Judæa Antiochus & Menelaus graſſarentur, & is quidem ad ritus paganos & Græcos ſuppliciis & vexationibus adigere univerſos etiam Judæos conaretur, præſidio gentilium Hieroſolymæ impoſito, & templo profanato, ex ſacerdotali familia, alia quidem, quam ſummorum Sacerdotum, *Matthiam* vel *Matathiam* his oppreſſionibus ſe opponere, & Judæos in libertatem vindicare, legemque Judaicam propugnare coepiſſe, notiſſimum eſt. Matthias.

Facto hoc initio & ſuſcepto bello, cum mortuus eſſet, filios ei ordine ſucceſſiſſe; primo *Judam*, qui tantum non ſemper victoria uſus cum ipſa urbe Hieroſolyma, arce excepta, Syros expuliſſet, templumque luſtratum ac purgatum reſtauraſſet, ſacrificio quotidiano, quod per aliquod tempus ceſſaverat, reſtituto, non reipublicæ ſolum & armorum curam, verum etiam ſacrorum habuiſſe, credibile eſt. Judas Dux.

Nondum tamen tunc in illa luſtratione munia ſummi Sacerdotis Judam obiiſſe legimus. Sed cum aliquanto tempore poſt *Antiochus Eupator*, qui Hieroſolymam obſederat, tandem pacem cum Juda faceret, Judæos legibus patriis vivere permittens, ſuaſu autem Lyſiæ Menelaum tanquam omnium turbarum autorem abductum Beroeæ in Syria occidiſſet, *Alcimum* vel *Jacimum* aut *Jojakimum* quidem ejus loco Pontificem conſtituit, nihil ad cognationem Sacerdotalem pertinentem. Alcimus Pontifex. Quo facto *Onias*, majoris illius Oniæ, quem Jaſonis & Oniæ minoris vel Menelai fratrem fuiſſe diximus, filius omni ſpe potiundi Pontificatus amiſſa, in Ægyptum ſeceſſit, & Ptolemæo Philometore permittente templum Hieroſolymitano ſimile *Heliopoli* ſtruxit. Onias minor. Templum Heliopolitanum. Demum cum Alcimus, cui Duces ſuos, ut eum in Sacerdotio confirmaret, Antiochus adjunxerat, per quadriennium Pontificatu adminiſtrato obiiſſet, populus communibus ſuffragiis *Judæ* ſacerdotium ſummum tradidit, quo eum per triennium functum *Joſephus* L. XII. fine memorat. Judas Sacerdos ſummus.

Si vero autori *L. I Maccab.* VII. IX. credimus, res ita geſta, ut cum Bacchide Rex Demetrius miſerit Alcimum, quo hunc deduceret; qui eo Sacerdote conſtituto, cum ipſi etiam regionem tuendam reliquiſſet, Judæ ſucceſſibus factum, ut Alcimus recederet, conatibus etiam Nicanoris irritis factis, ipſoque Nicanore coeſo, Bacchidem cum Alcimo ſecundo miſſum. Cui cum occurriſſet Judas, inque prælio cecidiſſet, Judæos *Jonatham* principem & ducem Judæ loco elegiſſe. Alcimum vero Hieroſolymis Sacerdotalia munera exercuiſſe, Bacchidis ope fultum, Jonathane cum fratribus interea in deſerto ſe continentibus. Demum vero Alcimo mortuo Bacchidem abiiſſe, poſt duos demum annos reverſum, cum infelices ſucceſſus contra Jonathanem experiretur, pacem cum Jonathane feciſſe.

Quicquid ſit hujus, certum eſt, *Jonathanem*, cum ſucceſſiſſet Judæ fratri in ducatu, ab Alexandro Rege, qui cum Demetrio de imperio certabat, *Pontificatum* Judæorum accepiſſe, cum juxta *Joſephum* quadriennium a fratris obitu vacaſſet hæc dignitas; in hoc enim conſentiunt tam *Joſephus*, quam *libri Maccabæorum*. Jonathas Dux. Jonathas Pontifex.

Jonathane a Tryphone capto, cum ſuſcepiſſet Ducatum *Simon* frater ejus, eo demum occiſo, eidem in Pontificatu quoque ſuffragiis gentis ſucceſſit. Simon Dux & Pontifex. Qui demum etiam arce Hieroſolymorum expulit paganos & Syros, ac nonſolum eam, ſed etiam clivum & montem, in quo eadem

*Arx & mons Zion ſolo æquati.*

dem ſtructa fuerat, *Zionem* nempe, continuo triennii labore nunquam per dies noctesque omiſſo, deſtruxit, & in planum redegit; &, ut ait *Joſephus Antiquitatum* L. XIII. c. 12. immunitatem a tributis populo peperit, quæ hactenus Macedonibus pendere ſoliti erant, vel ut *L. I. de bello Jud.* c. 2. ait, Judæos a dominatione Macedonum liberavit.

*Autonomia Judæorum.*

*Johannes Hyrcanus Dux & Pontifex autonomus.*

Eo occiſo, filius *Johannes*, qui *Hyrcani* poſtea nomen geſſit, in Principatu æque ac Pontificatu ſucceſſit. Quem graviſſima obſidione preſſum *Antiochus*, qui *Pius* vel *Euſebes* cognominatur, eo fere adegit, ut præſidium in urbem Hieroſolymam reciperet, quod tamen magna pecunia & obſidibus datis declinavit, vectigalibus quibusdam inſuper cedens, & comitem ſe in expeditione Parthica Regi ſiſtens, una cum auxiliis, quæ ab externis colligere jam cœperat. At occiſo Antiocho Hyrcanum manus Syriæ urbibus injeciſſe, inprimisque *Sicimam* vel *Sichemum* occupaſſe, & ei adſitum templum in monte *Garizim*, quod Samaritanis vel Chutæis religioſum fuerat, a Sanballato conſtructum diruiſſe, & propter contentiones fratrum Regum Syriæ imperio eorum ad finem vergente, autoritatem ſuam magis magisque confirmaſſe, ac omnimodam *independentiam* vel *autononiam* uſurpaſſe ſcimus. Qui etiam ſocietate cum Romanis renovata, quæ a Juda conſtituta & a prioribus ſingulis Ducibus repetita fuerat, ſe confirmavit, quorum hi, utpote de alieno facile liberales, Syriæ Regibus, ut etiam ablata Hyrcano reſtituerent, injungere non dubitarunt. Samariam etiam urbem ab Hyrcano captam & everſam, ac ſolo æquatam, torrentibus in ejus planum inductis, quo omnia ejus veſtigia delerentur, ipſum tamen regio titulo abſtinuiſſe, ex Joſepho aliisque apertum eſt. Inter geſta ejus maximi momenti eſt hoc, quod *Idumæos*, illos ſcilicet vicinos Judæorum, coëgit non ſolum ſuam poteſtatem agnoſcere, verum & Judaicam religionem amplecti.

*Idumæi in ſocietatem Judæorum aſciti.*

*Ariſtobulus Rex autonomus & Pontifex Judæorum.*

Filiorum vero ejus natu maximus *Judas* vel *Ariſtobulus* cum Pontificatum & Principatum gentis hæreditarium accepiſſet, hunc in regnum convertit, diademate ſumto, Rex adeo & Pontifex. Quod regnum a familia *Maccabæorum* dicitur, item *Haſmonæorum*, vel *Aſidæorum*, *Haſidæorum*, de quorum nominum ratione alii.

Jam de ſucceſſione hujus familiæ regiæ, quæ ex *tribu Levi*, tribu Judæ & ſtemmate Davidico plane excluſo, nihil eſt, quod dicamus in hac tractatione, præterquam fuiſſe eam curtam. Damus tamen eam pro majori dicendorum perſpicuitate obtinenda in TABULA GENEALOGICA ſuccincta.

*Matathias* ex familia Sacerdotum, ſed non ſummorum

- SIMON III. Dux & *Sacerdos* S.
  - *Johannes Hyrcanus* Sacerdos S.
    - *Judas* vel ARISTOBULUS I. *Rex* I.
    - Antigonus ab Ariſtobulo occiſus
    - *Jannæus* vel ALEXANDER I. *Rex* II. poſt mortem ejus uxor *Salome* vel *Alexandra* Regina & tutrix
      - HYRCANUS *Rex* III. poſt privatus, dein Sacerdos S. & Ethnarcha, demum privatus iterum
      - *Ariſtobulus* II. *Rex* IV. expulſo fratre, poſt privatus, demum a Pompejanis veneno necatus
        - *Alexander* II. a Scipione ſecuri percuſſus
          - *Ariſtobulus* Sacerdos S. in balneo merſus
          - *Mariamne* Herodis uxor, ab eodem necata
        - *Antigonus* *Rex* V. a Parthis conſtitutus, ab Antonio ſecuri percuſſus
    - Alius ab Alexandro occiſus
    - *Abſolomus* privatam vitam gerens
- JUDAS MACCABÆUS I. Dux
- *Jonathas* II. Dux & SACERDOS S.

 Extin-

Alexander Rex & P.

Extincto adeo brevi tempore Ariſtobulo, *Jannæus* frater ejus, *Alexander* quoque dictus ei ſucceſſit. Quo diem obeunte, uxor *Salome* vel *Alexandra* tutelam filiorum duorum geſſit *Hyrcani* & *Ariſtobuli.*

Alexandra Regina.

Hyrcanus Rex & P.

Quorum priori ætate majori, ſed ingenio tardiori & hebeti cum Pontificatum & Regnum conſervatum reliquiſſet, hoc invidiam fratris minoris, qui audacia & ingenio prævalebat, adeo accendit, ut continuis turbis excitatis, interitum ſtirpi tandem accerſeret.

Nam cum Hyrcano fidus eſſet miniſter *Antipas* vel *Antipater*, *Idumæus* natione, ſed ex iis, qui religionem Judaicam amplexi fuerant (licet Nicolaus Damaſcenus in gratiam Herodis filii ejus genus ducat ex primatibus Judæorum, qui ex Babylonia redierant) hic ſolus per aliquod tempus cum ſumma prudentia conatibus *Ariſtobuli*, qui jam regiam ſacerdotalemque poteſtatem invaſerat, Hyrcanumque in privatam ſortem redegerat, obviam ivit, ac demum exercitu comparato, Hieroſolymaque obſeſſa, Ariſtobulum eo compulit, ut primus ad Romanorum auxilium, promiſſis Scauro, qui Pompeji Dux tunc in vicinia, Damaſci nempe, erat, 300 talentis confugeret; cujus comminationibus factum quidem, ut obſidio ſolveretur, Hyrcanus vero & Antipater viciſſim ad ipſum Pompejum ſe conferrent & in ejus clientelam ſe dederent.

Ariſtobulus R. & P. per vim.

Qui offenſus Ariſtobuli ſuperbia, qui aliquid contra regiam dignitatem apud Pompejum committere nolebat, totus partes Hyrcani amplecti cœpit: permiſſa tamen poteſtate fratribus de jure diſceptandi coram ſe. In quibus diſceptationibus vero cum iniquiores ſibi imponi conditiones ratus eſſet Ariſtobulus, & Hieroſolymam defenſionis cauſa intraſſet, urbe ea obſeſſa & a *Pompejo* capta, una cum Ariſtobuli perſona & familia, univerſum regnum Judæorum & Maccabæorum ſublatum in poteſtatem Romanorum pervenit, & non tam in provinciam redactum, quam Provinciæ Romanæ, Syriæ nempe, pars factum fuit, permiſſo ſaltem, ut gens ſuis legibus viveret.

Judæa tota in poteſtatem Romanorum redacta.

Hyrcanus Pontifex iterum.

Clara ſunt de his verba *Joſephi de Bello Judaico* L. 1. c. 5. qui Pompejum ait Hyrcanum Pontificem declaraſſe, ſed ſine poteſtate regia. Quod ipſum magis claret etiam ex illo *Joſephi* loco c. 6. *L.* 1 *de bello Jud.* infra quoque afferendo, ubi de Gabinii geſtis loquitur, itemque ſequitur ex dictis *L. XIV. Antiqu.* c. 5. ubi memorat Judæorum legatos coram Pompejo contra utrumque fratrum Hyrcanum & Ariſtobulum ſteti ſſe, dixiſſeque, ſe nolle eſſe ſub Regibus, quod patrium inſtitutum haberent, ut Dei ſui parerent Sacerdotibus.

Formula ſubjectionis Judæorum.

Quæ porro de Pompejo citato loco c. 5. *L. I. de bello Jud.* refert *Joſephus*, ſunt: eum Hieroſolymis tributum indixiſſe: ablatas genti etiam, quas in Cœleſyria ceperant civitates, Romano, qui tunc erat, Præſidi parere juſſiſſe, propriisque tantum finibus circumcluſiſſe. *Gadaram*, quam ſubverterant Judæi, reſtituiſſe, e contrario, quas præventi excidere non potuerant mediterraneas, *Hippon*, *Scythopolim*, *Dion*, *Pellam*, *Samariam*, *Mariſam*, item maritimas civitates, *Azotum*, *Jamniam*, *Arethuſam*, *Gazam*, *Doram*, *Stratonis pyrgum* indigenis civibus redditas provinciæ Syriæ conjunxiſſe. Hujus autem & Judææ cunctorumque ad Ægypti usque fines & Euphratem fluvium adminiſtrationem cum 2 legionibus *Scauro* permiſiſſe.

Regnum Maccab. abolitum.

Ex quibus intelligimus, non ſolum de conditione hujus regni & partibus ejus quibusdam, ſed & de ſervitute, in quam redacta gens, & in quam deſiit ſecundum hoc regnum, quod poſt Davidicum in his partibus fuit ſui juris, ſed nihil ad familiam Davidicam attinens, nec etiam ad Judæ tribum, ſed ad Leviticam.

Aperte de ſervitute illa teſtantur verba non ſolum *Joſephi* L. XIV. *Antiqu.* c. 8. *Nam tum primumlibertatem amiſimus, ſubjecti Romanorum imperio*, & reliqua; verum &, quæ HERODES Rex in Oratione ad Judæos *L. II. de Bello Jud.* c. 16. affert, ubi initium ſervitutis & amiſſæ libertatis a temporibus Pompeji arceſſit.

Verum eſt quidem, aliquoties in ſequentibus apud Joſephum Hyrcanum

num etiamnunc Regem dici, ſed tunc, cum verba Judæorum refert, quibus familiare jam fuiſſe, ut nomen Regis Hyrcano tribuerent, credibile eſt, ita ut poſtea etiam, etſi regia poteſtate ſpoliato ei, hoc nomine adularentur.

Fieri alias non potuiſſe, ut vivo Hyrcano alius Rex, Herodes nempe, dici potuerit, ut in inferioribus notabitur, ſi Hyrcanum Regem Romani agnoviſſent, palam eſt. Præterea in decretis *Julii Cæſaris*, aliisque quæ *cap.* 17. L. XIV. *Antiqu. Jud.* repræſentantur, perpetuo *Hyrcanus Ethnarcha* ſolum Judææ compellatur, inter quæ memorabilia ſunt maxime decreti a Julio Cæſare confecti verba & formula ap. Joſephum *L. XIV. Antiqu. cap.* 17. *Julius Cæſar Imp. iterum & Pontifex maximus de conſilii ſententia decrevi. Quoniam Hyrcanus Alexandri filius Judæus, & nunc & præteritis temporibus tam pace quam bello bonam & fidelem operam in noſtris negotiis præſtitit, ſicut ei multi Imperatores atteſtati ſunt, & in proximo Alexandrino bello in auxilium venit cum* 1500 *militibus, & ad Mithridatem a me miſſus virtute ceſſit nemini: has ob cauſas Hyrcanum filium Alexandri, & ejus liberos Ethnarchas Judæorum eſſe jubeo, & pontificatum Judæorum perpetuo retinere more patrio, eſſeque ipſum & filios ejus noſtros ſocios, & in amicorum noſtrorum recipi numerum. Jura quoque omnia pontificalia habere ipſum & filios decerno, & ſi qua controverſia exorta fuerit de Judaica diſciplina, Judicium penes ipſum eſſe. Adhæc nec hyberna militi debere, nec pecunias ab eo exigi.* Cujus generis plura ibi occurrunt decreta in proxime ſequentibus, ibidem relegenda.

Hyrcanus Ethnarcha.

Quod ſequitur *regnum*, *Herodum* nempe, cum plane non ſui fuerit juris, ſed fiduciarium ſaltem, non hoc efficit, ut ſtatui poſſit, ſervitutem Romanam inter Judæos unquam ceſſaſſe, ſed ſaltem miniſtros vel præfectos, Ethnarchas, moderatores fuiſſe ſubinde mutatos, alioque & alio genere dignitatis veſtitos.

Herodis regnum fiduciarium.

Id quod ex dicendis mox apparebit. Nam medio tempore poſt abſceſſum Pompeji, qui *Ariſtobulum* cum duobus filiis *Alexandro* & *Antigono* Romam abduxit, cum *Alexander* e vinculis elapſus exercitum collegiſſet, *Gabinius*, qui Scauro in Syria ſucceſſerat, eum prælio ſuperatum, & in caſtello Alexandrio incluſum in poteſtatem denuo redegit, opera M. Antonii egregia in illo bello uſus.

Occaſio hujus regni & antecedentia.

Motus Alexandri.

Poſt quæ *Gabinius* Hyrcano Hieroſolymam reducto, eique templi cura demandata, quod eſt idem ac eo in Pontificatu ſolum confirmato, cæteris Reip. partibus *Optimates* præfecit. Et amplius omnem Judæorum gentem in 5 *conventus* diviſit, uno *Hieroſolymis*, altero *Doris*, itemque tertio *Amathunte*, quarto *Hierichunte*, quinto *Sepphori* in Galilæa conſtituto. Quem ſtatum Judæos ſingulari unius dominatu liberatos & ab Optimatibus regi cœptos libenter tuliſſe, expreſſe notat *Joſephus*.

Ariſtocratia ſub Romanis.

Interim cum *Ariſtobulus* ipſe vinculis Romæ elapſus, cum filio *Antigono* turbas de novo dediſſet, iterumque & ſecunda vice cum filio captus, Romamque deductus eſſet, Gabinio autem adnitente, duo filii Roma iterum in Judam remiſſi, Antipater & Hyrcanus quidem Gabinium in Ægyptum ad Ptolemæum reſtituendum ducentem adjuverunt, *Alexander* vero de novo turbas movit, & Gabinio cauſa fuit, ut iterum Hieroſolymam veniret & Rempublicam componeret.

Motus Ariſtobuli & Antigoni.

Motus Alexandri iterum.

Quem ſecutus in Syriæ præfectura *Craſſus*, Hieroſolymam quoque veniens, omne aurum e templo abſtulit. Quo peremto in expeditione Parthica, *Caſſius* ei in cura Syriæ ſucceſſit, & Alexandrum ad conditiones & pactiones deſcendere coegit.

Cum vero *Ariſtobulus* ipſe jam ſpem recuperandi regni maximam haberet, utpote Cæſare eum cum duabus legionibus in Syriam deſtinante, ut in bello, quod contra Pompejum gerebat, ejus opera in ea provincia uteretur, veneno a Pompejanis peremtus eam ſpem deſtituit, felix, quod non inhoneſtiori morte, qua uterque filiorum, obiit. Quorum *Alexander* tunc ſtatim a Scipione pro Pompejo Syriam obtinente Antiochiæ ſecuri percuſſus, alter Antigonus aliquot annis poſtea ab Antonio Alexandriæ.

Ariſtobuli mors.

Alexandri mors.

Atque

Motus Antigoni iterum.

Atque is *Antigonus*, primo quidem favorem ſibi Cæſaris victoris propter patrem Ariſtobulum promittens, pro obtinendo patrio regno apud eum egerat, ſed *Antipatri*, qui Cæſarem in bello Alexandrino quoque juverat, autoritas ita prævaluerat, ut is Hyrcanum denuo in Pontificatu confirmaret, & Antipatro, cujus vellet, poteſtatis optionem deferret. Qui adeo hoc potius arbitrio Cæſaris permittens ab eo *Procurator Judææ* ſane ſub Romanis declaratus eſt, Hyrcanoque venia data, ut Hieroſolymorum mœnia a Pompejo diruta reſtituerentur.

Antipater Procurator Judææ ſub Romanis.

Cum Antipater in Adminiſtratione provinciarum ſibi filios, inter quos *Herodes*, cui Galilæa regenda data, adjunxiſſet, *Caſſioque*, qui poſt necem Cæſaris Syriam occupaverat, & pecunias undique, maxime vero ex Judæa, cogere conabatur, diligentiam ſuam probaſſet, eaque in re etiam Herodes Caſſii approbationem meruiſſet, qui & prius, vivo Julio Cæſare, *Sexto Cæſari* Syriæ provinciæ adminiſtrationem ab ipſo collatam habenti innotuerat, & gratioſus apud eum fuerat: *Antigonus* interea apud Marionem, cui Caſſius Tyri tyrannidem dederat, degit cum ſocero Ptolemæo Minnæi filio Chalcidis ad Libanum dynaſta.

Victis vero ab Octavio & Antonio Bruti & Caſſii partibus, cum Antonius ad Orientem ordinandum veniret, in Bithyniæ, Antiochiæ & Tyri ei occurrentes legati Judæorum Herodem & Phaſaëlum fratrem cum accuſaſſent, non ſunt auditi, ſed repulſi, unde deſperatis Romanorum auxiliis Lyſanias uxoris Antigoni frater, Ptolemæi Minnæi filius *Parthos*, qui duce Pacoro tunc in Syriam irruperant, data pecunia eo adduxit, ut Antigono ſuppetias ferrent.

Antigoni ſocietas cum Parthis.

Qui, per inſidias comprehenſo Hyrcano & Phaſaëlo, cum in ipſa Hyeroſolymorum urbe Herodi quoque inſidias ſtruerent, hic fuga ſibi conſulens primo cum ſuis neceſſitatibus in Maſſada Caſtellum profugit, dein Romam navigavit. Dum interea *Parthi Antigonum Regem* conſtituerent qui *Hyrcanum*, quo ad Sacerdotium inhabilis eſſet, auribus privat, dentibus eas truncans, Phaſaëlum, ut mortem ſibimet inferret, adigit, Hyrcanum in Parthiam ablegat.

Antigonus Rex a Parthis conſtitutus.

Quibus geſtis, & Herode Romam appulſo, Romanos inſigne ſpecimen ſummi in Judæam imperii edidiſſe obſervamus, Rege ei plane ex arbitrio ipſorum & quaſi e veſtigio impoſito, ipſomet nempe *Herode*. Cujus facti ſingulares circumſtantiæ notari merentur, probantes, ipſos cum Judææ regno non aliter verſatos, quam aliis eodem tempore ab ipſis conſtitutis regnis, Tetrarchiis, Ethnarchiis, Dynaſtiis, quarum plus quam viginti aut duplo plures annumerare poſſemus, niſi infra exempla in familia Herodis occurrentia ejus generis ſatis rem redderent evidentem.

Herodes Rex a Romanis conſtitutus ſed fiduciarius. Primum initium regni Herodis.

Cum enim Herodes privatim *Antonium*, deinde *Cæſarem Octavium* conveniſſet, utrosque benignos & benificiorum patris Antipatri memores expertus, ab iisque in ſenatum introductus eſſet, nihil minus, quam quod evenit, expectans, ſed auxilium ſolum Hyrcano contra Antigonum flagitans, repente Antonio proponente, Antigonum regno removendum, Herodem autem Judææ Regem conſtituendum, propter ſtrenuitatem Romanis contra Parthos utilem futurum, omnes conſentiunt, dimiſſoque Senatu Antonius & Cæſar curia egredientes, Herodem honoris cauſa medium ſtipant. Conſules cum aliis magiſtratibus antecedunt, cæſuri hoſtias decretumque in Capitolio repoſituri. Primoque regni die Herodes apud Antonium cœnat.

Circumſtantiæ illius facti.

Ex hac adeo ſuccinctiſſima relatione cum forma vel indoles regni Herodiani & ortus ejus dilucide pateat, ad deſcriptionem Geographicam accedere poſſemus, niſi videretur gratum, ſi breviter, quæ ad hiſtoriam ejus pertinent, prænoſcenda ſuppleremus.

Hiſtorica de regno Herodis prænoſcenda.

*Primum* adeo noſcendorum eſt bellum contra Antigonum ab Herode geſtum ope *Ventidii* & *Silonis*, ad quos Delius ab Antonio miſſus hoc edixerat, ut Herodem in regnum deducerent, etſi prius ab Antigono muneribus corrupti forent. Et cum Hieroſolymæ obſidio quidem Herodi primum parum procederet, ipſe-

Oppugnatio Hieroſolymæ ab Herode.

ipſeque alias excurſiones, etiam ad ipſum Antonium Samoſata obſidentem, nec non expeditiones in latrones Trachoniticos ſuſcepiſſet, anno demum tertio regni obſidionem Hieroſolymorum repetens, Soſio Antonii duce ſocio, cum undecim legionibus præter equites & auxilia, poſt quinque menſes eam capit, & Antigonum Soſio ſe dedentem in poteſtatem redigit; qui cum ad Antonium vinctus ductus eſſet, tandem ab illo eodem mortis genere, quo frater, affectus eſt, Alexandriæ ſecuri percuſſus.

Quibus factis Herodis *regno confirmato*, cum ob inſignia beneficia Antonii in bello Actiaco partes ejus ſecutus fuiſſet, quemadmodum poſt victoriam Cæſaris non excuſatus ſolum ſit ei, ſed & multarum ditionum augmento ornatus, & in ſummo honore habitus fuerit, ipſe vero ut omni metu ſe liberaret, quomodo tandem ſuum & patris benefactorem maximum *Hyrcanum* ipſum jam morti propter ſenium maturum capite truncaverit, unicum vero Haſmonæorum vel Maccabæorum ſurculum *Ariſtobulum*, Alexandri a Scipione necati filium, uxoris Mariamnes fratrem, ſacerdotio ſummo jam fungentem, & populi, qui Judaicum Regem aut Principem præ Idumæo præoptabat, favorem jam expertum per inſidias in balneo ſuffocatum merſerit, omnibus notum exiſtit.

Quapropter ut ad ditiones regni Herodiani ejusque *Geographicam conſtitutionem* deſcribendam accedamus, noſci idem melius poterit ex collatione REGNI MACCABÆORUM, de quo tamen in tranſitu ſaltem quædam.

Atque ex iis ſane, quæ in ſuperioribus dicta ſunt de his, quæ Pompejus Hyrcano abſtulit, quænam urbes ad idem pertinuerint, jam ex aliqua parte conſtat.

Ex ortu porro ejus regni de aliis quoque ditionibus facile judicium fieri poteſt.

Ac ex *Judæ* quidem *Maccabæi* geſtis ſcimus, eum varias expeditiones, inprimis etiam in Peræam & ultra Jordanem ſuſcepiſſe. An vero eorum, quæ ceperat, poſſeſſio conſtans fuerit, cum incertum exiſtat; eorum autem, quæ a Simone & Hyrcano vel Johanne demum, Regum Syrorum potentia propter inteſtinas diſſenſiones jam ad interitum vergente, acquiſita, minus interrupta poſſeſſio fuerit, de iis potiſſimum notandum veniet.

Judææ nempe primum a SIMONE *Jamniam*, *Joppen* & *Gazara* vindicata, *Accarone* everſa. Ab HYRCANO etiam *Mariſſam* & *Doram* vel *Adoram*, aut *Doreon* Idumææ urbes, & totam IDUMÆAM, at recentiorem (nam vetus Edomæa tunc Arabiæ Petrææ nomen geſſit) adjectam; Idumæis, ut circumciſionem reciperent, adactis. *Medabam* dein & *Samæam* vel *Samegam* in Transjordanicis. In Cisjordanicis vero *Sicimam* & *Garizim* Cuthæorum, nec non SAMARIAM totam metropoli everſa in poteſtatem redactam, agris intra Carmelum omnibus inter Judæos partitis, hæc, inquam, *Joſephus* juſto ordine narrat & exequitur.

Simonis acquiſitiones.

Hyrcani acquiſitiones.

Qui & porro narrat ab *Ariſtobulo* Rege ITURÆÆ magnam partem additam, coactis pariter Ituræis ad circumciſionem ſuſcipiendam.

Ariſtobuli acquiſitiones.

Ab *Alexandro* demum auctas ditiones in Transjordanicis, capto *Amathunte* caſtello validiſſimo (quod tamen dirutum ab eodem) & *Geraſa*, (quæ tyranni Zenonis, Cotylæ dicti, & filii ejus Theodori Philadelphiæ tyrannorum fuerant) item *Gadara*, porro *Galaaditis* & *Moabitis* ſubactis, nec non *Pella*, *Geraſa* (quæ eſt *Eſſa* Joſepho) *Gaulane*, *Seleucia*, ſcilicet ea, quæ erat ad Samachonitin lacum, *Valle*, quæ *Antiochi Pharanx* dicitur, *Gamala* caſtello, denique *Dio*. Deinde etiam in maritimis *Raphia*, *Gaza*, *Anthedone*, quæ poſt ab Herode Agrippias dicta. Et quamvis *Ptolemaidem* fruſtra tentasſet, *Doram* tamen & *Stratonis Pyrgon*, quæ peculiarem tyrannum Zoilum habuerant, & poſt a Lathuro Ptolemæo occupatæ fuerant, in Alexandri

Alexandri acquiſitiones.

 xandri

xandri poteſtatem perveniſſe, ex catalogo urbium Judæis a Pompejo ablatarum conſtat. *Aſochis* & *Sepphoris* Galilææ urbes in ejus ditione quoque memorantur, apud *Ragabam* vero caſtellum in Geraſenorum finibus eum mortem obiiſſe narratur.

*Peræam* & *Arabiam* ſub Galaaditarum & Moabitarum mentione latere, certum ex inferioribus.

Alias urbes & regiones inſuper memoratas invenimus apud *Joſephum* in Catalogo peculiari *L. XIII. Antiquit.* c. 23. digna, quæ tota adſcribatur: *Per hæc tempora* (ſub Alexandro nempe) *jam Syrorum & Idumæorum & Phœnicum urbes tenebant Judæi: Ad mare: Stratonis turrim, Apolloniam, Joppen, Jamniam, Azotum, Gazam, Anthedona, Raphiam, Rhinocoruram. In mediterraneis: per Idumæam regionem Adora & Mariſam: totamque Samariam, montesque Carmelum & Itabyrium. Adhæc Scythopolim, Gadara, Gaulanitidem, Seleucia, Gabala. Et Moabiticas urbes: Eſebonem, Medabam, Lembam, Oronas, Telithonem, Zaram* (potius Zoaram) *Aulonem Cilicium, Pellam; hanc tamen ultimam diruerant, quod incolæ recuſarent Judaicos ritus recipere. Poſſidebant & alia Syriæ non obſcura oppida, quæ imperio ſuo noviter adjecerant.*

Et Moabiticas vel Arabicas accuratius recenſet idem *Joſephus Antiqu. L. XIV.* c. 2. verbis: *Hyrcanus quoque pollicitus eſt Aretæ Regi, ſi ope ejus reductus regnum reciperet, redditurum ſe ei regionem cum* 12 *oppidis, quæ Pater ipſius Alexander de Arabibus ceperat, erant autem hæc: Medaba, Nabello, Livias, Tharabaſa, Agalla. Athone, Zoara, Oronæ, Mariſſa, Rydda, Luſa, Oryba.*

Geographica de regno Herodis.

Huic adeo ſui juris regno cum ſucceſſiſſet fiduciarium *Herodis* regnum, interpoſito tamen tempore, quo idem in Romanorum poteſtate fuit, principio ſtatim patet, non tam a ſtatu Maccabæi regni, quam ab arbitrio Romanorum pependiſſe extenſionem hujus. Unde & diſpar aliquo modo ejus fuit ratio, aliquibus partibus contractius, quibusdam amplius.

At vero diximus fiduciariam ſaltem poteſtatem habuiſſe Herodem, ſplendido Regis titulo, ex imitatione moris Orientalium & Gentilitii, quem Romani ex cauſis politicis retinuerunt, ornatam.

Conditio regni & poteſtatis Herodis.

Cujus generis ſubjectio fuerit, elucefcit maxime ex reſcripto Auguſti ad Herodem, qui, cum apud eum delatus eſſet, quod exercitum extra fines regni duxiſſet in Arabiam (cujus cauſæ ſtatus prolixius a *Joſepho* cap. 15. *de Antiqu. Judaicis* Lib. XVI. refertur) iratus minaciter ei reſcripſit, hactenus ſe illo uſum tanquam amico, poſthac habiturum eum pro ſubdito. Unde & Herodes purgandi ſui cauſa ipſemet Romam navigavit. Quemadmodum & accuſationem de filiis coram Auguſto ipſe peregit; nec niſi data ab ipſo poteſtate judicium de iis tulit. Demum & teſtamentum ſuum, ad idem confirmandum, Auguſto ſubmiſit, qui pro arbitrio varia in eo mutavit.

Idem porro Herodes ratione aliarum ditionum ſaltem ad tempus *Procurator* quoque Auguſti tantum fuit, ut de Syria dicitur apud *Joſephum* L. 1. *de B. Jud. c.* 15.

Singulare exemplum autoritatis, quam Romani in Reges illius temporis ſuosque fiduciarios exercere ſoliti ſunt, occurrit apud *Joſephum*, qui memorat *Ant. Jud.* L. XIX. c. 7. cum aliquando ad regem Agrippam ſeniorem veniſſent, *Comagenes*, *Emeſæ*, *Minoris Armeniæ*, *Ponti* & *Chalcidis* reges, Marſum Syriæ præſidem, qui ſuſpectum haberet tot regum conſenſum & conventum, ſingulis præcepiſſe, ut ſine mora domum abirent; ejusque dicto hos paruiſſe, multum offenſo Agrippa, cui hoſpitalitatis & liberalitatis demonſtrandæ eriperetur occaſio.

Quæ

Davidicæ familiæ ſtatus.

Quæ ſi ita ſint, patet multo minus dici poſſe, Judaicæ alicui, & ſpeciatim Davidicæ familiæ aliquam poteſtatem vel umbram poteſtatis eo tempore in Judæa vel Palæſtina competiiſſe. Imo vero Judaicæ gentis ipſius & regni Judææ exiguam fuisſe celebritatem apud exteros, inde colligi poſſe videtur, quod *Appianus* L. V. *de bell. civ.* Herodem non Judææ, ſed Idumææ & Samaritarum regem ab Antonio factum fuiſſe ſcribit: Judæam adeo ſub Idumæa comprehendens; non hanc ſub illa.

Specialis enumeratio regionum regni Herodis.

Quantum autem ad ipſum regnum Herodianum, in ſpecie, dicimus idem verſus meridionaliora contractius extitiſſe, a parte vero boreali ex beneficentia Cæſarum paulo amplius, quam Maccabæorum fuerat.

Nam ex *Joſepho* & aliis indubitatis documentis conſtat, ad Herodis primi & magni regnum vel ditionem ſpectaſſe ſequentes regiones.

Judæa.

*JUDÆAM*, cujus extenſio, ut tunc erat, cognoſci poteſt ex limitibus, qui hinc inde memorantur, quorum ſeptentrionalis ad vicum *Anauth*, qui & *Borecos*, pertingebat, venientibus vero Scythopoli primum occurrebant *Goreæ*. Meridiana ejus pars, ſi in longitudinem metiare, vico Arabum finibus adjacenti terminatur, cui nomen eſt *Jordan*, ait *Joſephus* L. III. *de B. J.* c. 2. Latitudo a Joppe ad Jordanem porrigebatur, & ex parte alia usque ad Ptolemaidem. PRÆFECTURAS habebat XI. *Hieroſolyma*, *Gophna*, *Acrabattæ*, *Thamna*, *Lydda*, *Ammaus*, *Pella*, *Idumæa*, *Engadda*, *Herodium*, *Hierichus*, *Jamnia*, *Joppe*. *Plinius TOPARCHIAS* X. conſtituit, *Hierichunta*, *Emmaum*, *Lyddam*, *Joppicam*, *Acrabattenam*, *Gophniticam*, *Thamniticam*, *Bethleptephenen*, *Orinen*, ſive montanam, in qua *Hieroſolyma*, tandemque *Herodium*. Ex qua recenſione cum priori collata *Relandus* recte judicat, pro Pella prioris legendam Bethleptepham, Bethleptenam. Et notandum, cum Cleopatra vivo Antonio, & eodem de Herodianis pro arbitrio diſponente, multa Herodi demſiſſet, & inter ea *Hierichunta*, cum hortis balſami apud eandem (unde & dein balſami proventus quoque in Ægypto fuit, ſurculis arboris balſamiferæ a Cleopatra eo translatis; quemadmodum nunc ab Ægyptiis Sultanis *Meccam* translatis hiſce ſurculis jam Meccæ in Arabia balſami horti exiſtunt) omnia hæc ei ab Auguſto reſtituta: & præterea præter alia mox recenſenda in maritimis Judææ tractibus ei donatas *Gazam* & *Anthedonem*, *Joppen* & *Pyrgon Stratonis*, quo loco dein ipſum Cæſaream condidiſſe, quæ diu caput regionis & *Cæſarea Palæſtinæ* dicta fuit, notiſſimum eſt.

Idumæa.

*IDUMÆAM* quoque, recentiorem ſcilicet, ad eum ſpectaſſe, ex mox dictis manifeſtum, ubi plane a *Joſepho* ad præfecturas Judææ refertur. Habuiſſe eam præter memoratas *Doram* vel *Adoram*, *Mariſſam* etiam, *Bethſuram*, *Chebron*, *Berſaben* &c. notum. Extenſam fuiſſe usque ad montes, qui tribus Judæ veteris limites faciebant, credibile. Idumæa vetus & propria Aretarum erat, dicta Arabia Petræa.

Urbes exceptæ.

Quemadmodum vero ſemper poſſeſſio harum regionum cum exceptione urbium a *Pompejo* & *Antonio* ablatarum, partimque etiam earum, quæ a Maccabæis ipſis intactæ manſerunt, & in autonomiæ ſtatu ſeſe conſervarunt, intelligenda venit, ita & hic partim *Raphia* & *Rhinocorura* ab Herodis regno excludenda eſt, partim *Dora maritima* Phœniciæ (alia ſcilicet, quam Dora vel Adora Idumææ) ſic & *Apollonia* inter eas, quæ ab Antonio exemtæ fuerunt, memoratur *Joſeph.* L. I. *de B. J.* De *Azoto* & *Aſcalone* vero notandum: Hanc inter exteras urbes referri a *Joſepho* de *B. Jud.* L. I. in qua Nymphæa conſtruxerit Herodes. Illam *Azotum* nempe non expreſſe memorari inter donatas ab Auguſto, interim tamen cum Salomæ ſorori Herodis poſt hujus mortem ab Auguſto ex hereditate fratris datæ fuerint *Jamnia*, *Azotus Phaſaëlis*, cum regia apud *Aſcalonem*, ipſa vero

tetrarchiæ Archelai (cui Judæa, Idumæa & Samaria in hæreditate illa obtigit) ſubjecta, patet, *Azotum* ſaltem ad Herodianum quoque regnum ſpectaſſe. Cæterum poſt hujus mortem hæc Salomæ Toparchia ſtatim a regno alienata, nam ipſa eam *Juliæ*, ut ſcribit *Joſephus*, vel potius *Liviæ* Auguſti uxori teſtamento legavit.

Quemadmodum & *Gaza* ſtatim poſt Herodis obitum ad Romanos rediit, & Syriæ ab Auguſto contributa fuit. Quod de *Anthedone* quoque intelligendum, quæ illius portus fuit, patet.

Samaria. Jam *SAMARIAM* totam ad regnum Herodis pertinuiſſe certum. Quæ quidem ſita inter Judæam & Galilæam, incipiebat a vico in planitie ſito *Ginæa*, deſinens in *Acrabatenen* Toparchiam.

Galilæa. Idem dicendum de *GALILÆA*; Hujus fines ab occidente *Ptolemais*, *Carmelus Mons* & *Gabaa*, ſive civitas equitum. A meridie *Scythopolis* & *Samaria* usque ad Jordanem. Ab Oriente *Hippene*, *Gadaris*, *Gaulanitis*. Septentrionalis tractus *Tyro* & Tyriorum finibus terminabatur, ut *Joſeph.* L. III. de *B. Jud.* c. 2. memorat.

Peræa. In Transjordanicis *PERÆA*, ſpecialius ſic dicta, ad idem regnum ſpectavit. Cujus latitudo a *Philadelphia* ad Jordanem, longitudo a *Machærunte* ad *Pellam.* A meridie ejus *Moabitis*, ab Oriente *Arabia* & *Silbonitis*, ab occidente *Jordan*, a ſeptentrione *Pella.*

Partes exceptæ. Excluſæ regno hoc fuere partes ultra Machæruntem adeoque *Moabitis* & urbes ſupra memoratæ.

Gadara & Hippos. Verſus borealiora hujus transjordanici tractus, occurrunt *Gadara* & *Hippos*, quas urbes Herodi Auguſtus donavit, poſt mortem ejus Syriæ iterum attribuit.

Urbes exceptæ. *Pella* a regno Herodis exemta fuit. Quemadmodum & *Scythopolis* (de qua propter viciniam hic agimus, etſi cis Jordanem ſita fuerit) videtur in ſtatu exemptionis a Judæa poſt Pompejum manſiſſe. Quandoquidem & *Joſepho*, L. II. *de B. Jud.* c. 19. inter *Syrorum* & reliquas urbes, quas Judæi ſuſcepto bello poſt lanienam ſuorum Cæſareæ factam incurſarunt & vaſtarunt, recenſetur. Quarum ſunt *Philadelphia*, *Gebonitis*, *Geraſa*, *Pella*, *Scythopolis*, *Gadara*, *Hippos*, *Gaulanitis*, *Cedaſa Tyriorum*, *Gaba*, *Sebaſte*, *Aſcalon*, *Anthedon*, *Gaza.*

Trachonitis & aliæ. Porro vero in ſeptentrionaliori hoc tractu *TRACHONITIS*, *AURANITIS*, & *BATANEA* expreſſe memoratur Herodi ab Auguſto collata, item *PANEAS* & *ULATHA* & *pars domus Zenodori.* Gaulanitidem, Trachonitidem, Bataneam & Paneadem ab ipſo Herode patre filio Herodi Antipæ primo deſtinatam narratur. Ex quibus intelligitur, totum hunc tractum, nullo hiatu intercedente (quandoquidem & Gamalitis a Joſepho ſub Gaulanitide comprehenditur) Herodis fuiſſe.

Nota ſunt reliqua præter *Ulatham*, quæ ex circumſtantiis noſcitur fuiſſe urbs prope Paneadem ad Abilenem ſpectans. *Zenodori domus* ita ad Herodem pervenit: Erat Zenodorus conductor Lyſaniæ dynaſtæ vel tetrarchæ Abylenes, qui ex regione *Trachone* latrones Damaſcenis immittebat. Unde cum Varus latrones ejeciſſet, Trachon Herodi data, tanquam aptiſſimo ad cuſtodiendam hanc regionem & fortisſimo. Poſtea Zenodoro mortuo, omnis terra, quæ inter Trachonem & Galilæam erat, ei tributa, ita *Joſeph.* c. 15. Lib. I. de *B. J.*

Cæterum parum abfuiſſe, quin Herodi quoque ab Auguſto jam placato poſt indignationem propter Aretam & Pyllæum conceptam etiam *Arabia*, ſcilicet *Petræa*, traderetur, *Joſephus Antiq. Jud.* L. XVI. c. 16. *memorat.* Sed conſilium Auguſti mutatum eſſe literis ab Herode redditis, quibus de ſcelere, putatitio ſane, filiorum querebatur; his enim lectis viſum eſſe, non onerare inſuper alio regno ſenem & infortunatum circa filios.

Hæc

Hæc de *regno & ditionibus Herodis*, cui *Magni* cognomen propter magnificentiam operum, & quod reliquis ſuæ familiæ major fuerat, adulatores dederunt.

Regnum Herodianum ſub ſucceſſoribus.

Idem tandem ut perfectius quoque noſcatur, & mutationes ejusdem atque interitus, ſtatus item familiæ Herodianæ, tandemque poteſtas, quam Romani in mutandis, tollendis, reformandisque regnis exercuerunt, ſequentia annotare viſum.

Mortuo adeo Herode, de cujus teſtamento nihil amplius opus notare, quam idem ex parte ab Auguſto mutatum, inprimis quod ſpectabat regiam dignitatem Archelao relictam, diviſio ditionum Herodis facta inter filios in 3. *partes* vel *tetrarchias*. Qua voce improprie & laxius quælibet portiones regionis vel in 2 vel 3 aut 4. partes diviſæ notari cœperant: etſi proprie diviſionem quadrifariam factam importat.

Ethnarchia Judææ

Vel potius facta eſt diviſio in *Ethnarchiam* unam & *duas tetrarchias*. Ita ut cum nomine *Ethnarchæ Archelaus* natu maximus acciperet *Judæam*, *Samariam* & *Idumæam*. Cujus primariæ urbes erant *Hieroſolyma*, *Stratonis pyrgos*, *Sebaſte*, *Joppe*. Promisſio ipſi facta, Regem eum factum iri, ſi dignum ſe præbuiſſet. Reditus hujus partis erant 400 Talentorum, vel 600 juxta L. XVII. *Antiq. Jud.* c. 13.

Tetrarchia Trachonitidis &c.

Cum *Tetrarchæ* titulo *Philippus Bataneam*, *Trachonitidem*, *Auranitidem*, *partem domus Zenonis* circa Jamniam, item *Ulatham* & *Paneadem* nactus eſt.

Ex quibus 100. talenta reditus loco habuit. Hic Paneadem condidit & *Cæſaream* vocavit, & in Gaulanitide *Juliadem*.

Tetrarchia Galilææ.

*Herodi Antipæ*, qui cum Archelao de regno certaverat, & Johannem Baptiſtam occidit, *Galilæa* & *Peræa* data cum *Tetrarchæ* elogio & reditibus 200 talentorum. Qui in Galilæa *Tiberiadem*, in Peræa *Juliadem*, aliam ſcil. a priori condidit.

*Salomæ* tandem ſorori ceſſerunt *Jamniæ*, *Azotus*, *Phaſaëlis* & *palatium apud Aſcalonem* cum reditibus 60 talentorum, juxta c. 4. L. II. *de B. Jud.* *Joſephi*, item Archelaidem juxta c. 3. L. XVIII. Antiqu. Jud. De tota diviſione etiam Lib. XVII. Antiq. Jud. c. 13. relegi poteſt.

Ethnarchia Judææ ſub Romanis & Herodianis.

Jam *Archelao mortuo* ejus totam Ethnarchiam ad Romanos rediiſſe, & per præſides adminiſtratam, inter quos *Pontius Pilatus*, quis eſt, qui ignoret.

Ita tamen, ut aliquando iterum ad Herodis familiam rediret. Quæ mutationes quia conſulta Genealogia Herodum paulo planius noſci poſſunt, adjicere viſum eſt ſchema ejusdem quam ſuccinctiſſime exhibitum.

# GENEALOGIA præcipuorum e familia HERODIS.

Antipas.

Joſephus. Antipater

Phaſaëlus. *Herodes M. Rex.* Pheroras. Salome.

*Ex Doride* Antipater. *Ex Mariamne* ✱ Archelaus *Ethnarcha.* Philippus *Tetrarcha.* Antipas vel Herodes Antipas *Tetrarcha.*

Alexander Ariſtobulus.

Tigranes *Rex Armen. maj.* Alexander. Herodes *Rex Chalcidis.* Agrippa ſenior *Rex Judææ.*

Tigranes *Rex Armen. maj.* a Nerone factus. Ariſtobulus *Armen. minoris* Rex a Nerone factus. Agrippa junior primo *Chalcidis*, poſt *partis Judææ Rex.* Berenice Druſilla Azizi Emeſeni poſt Felicis Uxor.

Agrippa, Veſuvii incendio extinctus.

## OBSERVANDA.

*Habuit Herodes, præter ſex recenſos in tabula, etiam tres alios filios Herodis nomine, quorum unus ante patrem Romæ mortuus, & quartum Phaſaëlum. Omnes hi quatuor de ditionibus nihil acceperunt.*

*Agrip-*

Agrippæ ſenioris regnum.

*Agrippa* adeo ſenior Herodis nepos, Ariſtobuli (Herodis & Mariamnes filii) filius a Caligula cum titulo regio legitur vinculis (quibus propter amorem Caligulæ tenebatur a Tiberio) liberatus, accepiſſe *Trachonitidem* vel potius *Tetrarchiam Philippi*, qui tum deceſſerat, & *Abylam Lyſaniæ* vel *Lyſaniæ tetrarchiam*. *Abylam* illam Lyſaniæ prope Damaſcum ſitum habuiſſe, nemo ignorat.

Poſt Antipam (qui ex invidia in Agrippam pariter regium titulum petiturus Romam venerat) relegatum nactus præterea ab eodem Caligula ejus Tetrarchiam *Galilæam* & *Peræam*.

Poſtea vero a Claudio, cui, ut imperium ſuſciperet depoſito metu, autor fuerat, idem Agrippa ſenior totum paternum regnum *Judæam* adeo & *Idumæam* cum *Samaria* donatam habuit. Quarum tamen poſſeſſione poſt 3 annorum regnum mors eum exturbavit.

Herodis junioris regnum Chalcis.

Frater ejus *Herodes* regnum *Chalcidis* & *procurationem templi ac Sacerdotii ſummi* habuit.

*Chalcis* hæc *ad Libanum* cognominatur a *Joſepho* L. I. de *B. Jud.* c. 7. & *Antiquit. L. XIV.* cap. 13. ubi in veteribus monumentis aliis nulla ſimilis urbs reperiri videtur. Unde etiam *Cellario* perſuaſum firmiſſime, eſſe eam Chalcidem Syriæ, cujus ſitus inter Berœam & Apameam in mappa quaſi demonſtrative exhibetur, nobisque cum *Kinnaſrinæ* ſitu coincidere cenſetur. Verum utut illud non plane improbabile cenſeamus, facit tamen nimia diſtantia illius Chalcidis a Libano, & aliæ quædam circumſtantiæ, ut non plane eidem ſententiæ accedere poſſimus.

Nam non ſolum *Joſephus* binis citatis locis eam ad Libanum expreſſe refert, ſed & *L. XIV. Antiqu. cap.* 4. *Chalcidem* prope *Heliopolim* locare videtur, referens Pompejum, dum ab *Apamea* duceret verſus Judæam, conſideraſſe ditionem *Ptolemæi Mennæi* (qui quidem *Chalcidem* habuit, teſtibus binis locis Joſephi mox citatis) eoque ſupplicio addicto, a quo tamen pecunia data ſe liberavit, Caſtellum *Lyſiada* excidiſſe, quod a Syla tyranno Judæo tenebatur, dein tranſeuntem per *Heliopolim* & *Chalcidem*, ſuperatoque medio monte in Cœleſyriam veniſſe, & a Pella Damaſcum ſe contuliſſe. Porro Lyſaniam Ptolemæi illius filium fuiſſe certum eſt, at cum is illam dynaſtiam tenuerit, quæ *Abilene* vocata eſt, de cujus ſitu mox diximus, credi poſſet, Chalcidem hanc Abylæ propiorem fuiſſe, etſi vocis ejus veſtigia alibi non occurrant, nec in Ebraicis locorum ejus tractus vocibus aliquid ſimile occurrat; quod non mirum, quia Græcos inepte urbium voces alterare ſueviſſe, ſæpius jam notavimus.

Quicquid hujus ſit, non tamen p ane eandem *Abylam* & *Chalcidem* fuiſſe, ex mox dicendis patebit. Nam quantum ad regnum *Agrippæ junioris*, qui ſenioris Agrippæ filius fuit, eidem a Claudio primo hoc *Chalcidis* regnum vel dynaſtiam; quadriennio vero poſt, loco ejus majus regnum, *Trachonitidem* nempe, *Gaulanitidem* & *Bataneam*, datam, itemque *Lyſaniæ regnum* & tetrarchiam, quam Varus rexerat, *Joſephus* L. *de B. Jud.* II. c. 11. autor eſt. Qui & libro Antiq. Jud. XX. c. 5. has ditiones ita recenſet, Philippi tetrarchiam vocans & Batanæam, adjuncta Trachonitide cum Abila, quæ tetrarchia Lyſaniæ fuiſſet. Ex quo ſequitur, quia Chalcidis regnum Agrippæ ablatum, & ejus loco cum aliis Abylene, quæ eſt ipſum Lyſaniæ regnum, data fuit, videri hæc pro diverſis invicem habenda.

Agrippæ junioris regnum.

Cæterum a Nerone adjectæ fuere Agrippæ ditioni quatuor urbes cum agris ſuis, in Galilæa nempe *Tarichæa* & *Tiberias*, in Peræa *Julias* cum 14. vicis & *Abila* (alia nempe ab Abyla Lyſaniæ.)

Fuſius etiam *Joſephus L. III. de B. Jud.* c. 2. *Gamalitica*, ait, *Gaulanitis*, *Batanea*, *Trachonitis* regni Agrippæ partes ſunt.

Præ-

Præterea eum *procurationem templi* & *Sacerdotii ſummi* habuiſſe usque ad excidium templi & urbis Hieroſolymitanæ conſtat. Atque hæc eſt ultima poteſtas Regum ex Herodis familia, quam in Syriæ vel Palæſtinæ tractibus obtinuere.

Armenia minor Herodum.

Extra eos *Ariſtobulus* Herodis Chalcidis Regis filius *Armeniam minorem* dono Neronis habuit, juxta c. 12. *L. II. de B. Jud.* nec non Antiqu. Jud. L. XX. c. 5. ſub finem, *Tigranem*, Alexandri, qui Herodis & Mariamnes filius fuit, nepotem ex patre, quoque cognomine, Alexandro, ejusdem Neronis beneficio accepiſſe *Armeniæ majoris* regnum ex *Joſepho de Bello Jud.* L. II. c. 10. novimus. Quidam & alium Tigranem, Alexandri illius non nepotem, ſed filium, pariter Armeniam majorem obtinuiſſe affirmant.

De Tigrane, qui a Nerone Armeniam accepit, ita legitur apud *Tacitum Annal. XIV.* 26. 2. verbis ejus in compendium redactis: *Tiridate rejecto, Corbulo poſſeſſionem Armeniæ uſurpabat: cum advenit Tigranes, a Nerone ad capeſſendum imperium delectus, Cappadocum ex nobilitate, regis Archelai nepos. Sed, quod diu obſes apud urbem fuerat, usque ad ſervilem patientiam demiſſus. Nec conſenſu acceptus, durante apud quosdam favore Arſacidarum. At plerique ſuperbiam Parthorum peroſi datum a Romanis regem malebant. Additum & præſidium mille legionarii, tres ſociorum cohortes, duæque equitum alæ, quo facilius novum regnum tueretur. Pars Armeniæ ut cuique finitima Thraſcypolique & Ariſtobulo atque Antiocho parere juſſæ.*

Cur *Tacitus* Tigranem hunc Cappadocum nobilitati inſerat, cauſa eſt, quod Herodes ille magnus Alexandro filio Archelai Cappadocum regis filiam Glaphyram uxorem dedit, teſte *Joſepho* L. Ant. Jud. XVI. c. 2. (Quam dein Jubæ Mauritaniæ regi, eoque pariter mortuo, Archelao Ethnarchæ nupſiſſe refert idem *Joſephus* L. Ant. Jud. XVII.)

Quæ de geſtis hujus Tigranis, quemadmodum ille bellum Adiabenenſibus intulerit, & cum his Parthus opitularetur, cum eo quoque bellum geſſerit, & fortiter obſidionem Tigranocertorum tulerit, brevi tamen tempore poſt interierit (quia mox ab eodem Nerone Tiridati regum Parthici Vologeſis & Medi Pacori fratri Armeniæ regnum collatum eſt) refert idem *Tacitus Annal.* L. XV. *circa initium* &c. non ſunt hujus loci, adeoque prolixius non afferenda.

APPEN-




Proſtat Noribergæ in Officina Homanniana




Proſtat Norimbergæ in Officina Homanniana



Proſtat Norimbergæ in Officina Homanniana

# APPENDIX

## *De Coloribus mapparum operi adjunctarum vel Illuminatione.*

QUo planiora forent, quæ hoc opere de Regno Davidico & Salomonæo, variisque ſtatibus regionum in mappa expreſſarum propoſita extant, neceſſarium viſum, ut non una ſolum mappa vel unum ejus exemplar (ut loqui ſolent) coloribus illuſtratum exhiberetur, ſed & plura, diverſos hoſce ſtatus graphice repræſentantia.

Sufficere tamen in præſens credimus, ſi tria potiſſimum proponerentur ſchemata talia, factura ad cognitionem quoque reliquorum ſtatuum. Quorum adeo explicatio habetur in ſequentibus.

## SCHEMA I.

### *Statum regni ſub DAVIDE & SALOMONE exhibens.*

I. REGNUM Davidicum & Salomonæum

- Regnum
  - JUDÆ
  - ISRAELIS
- Acquiſita ex
  - Amalekitide
  - Idumæa
  - Moabitide
  - Ammonitide
  - Agarenis & Tobæis
  - Syria Aramæa & Zobæa
- Philiſtæi tributarii

II. Phœnicii

III. Gentes Syriacæ
- Cis Euphratem, quarum Chamath, Thogar *circa Antiochiam*, &c
- Trans-Euphratenſes, *vel Aſſyriæ.*

IV. Gentes Aſiaticæ

V. Cyprus Inſ.

VI. Arabia duplex
- Cis Elaniticum ſinum
- Trans Elaniticum ſinum

VII. ÆGYPTUS

VIII. Æthiopia.

*OBSERVANDA.*

Peculiare Schema de ſtatu ſub Regnis Judæ & Iſraëlis diviſis exhibere non placuit. Facile enim is e priori ſchemate intelligitur, modo notetur

Ad regnum JUDÆ pertinuiſſe

1) Judæam, tribum ſc. Judæ & Benjaminis

2) & Idumæam, *ſub regibus ſcil. Joſaphato, Amazia & Huzzia*

Ad regnum ISRAELIS ſpectaſſe

1) Ipſum Regnum Iſraëlis, decem reliquarum tribuum, cum Philiſtæa tributaria,

2) & Moabitidem: *usque ad mortem ſcilicet Achabi regis*,

3) nec non Hagarenorum ditionem, *ſed ſolum a tempore Jeroboami* II.

4) itemque Syriam Aramæam & Zobæam ipſam, *ſed pariter ſolum tempore Jeroboami illius* II.

Reliquarum vicinarum regionum eandem fere conditionem fuiſſe ac ſchemate I. indicata extat.

SCHE-

# SCHEMA II.

## *Statum regionum ſub SELEUCIDIS Syriæ, & LAGIDIS Ægypti Regibus, poſt primam potiſſimum tranſactionem, Antigono & Lyſimacho ſublatis, exhibens.*

I. LAGIDARUM regnum

ÆGYPTUS

*Perpetuo Lagidarum.*

Palæſtina
Phœnicia
Cœleſyria

*Primo ſub Lagidis, poſt ſub Seleucidis ab Antiochi M. tempore.*

Cilicia Campeſtris
& Trachæa vel aſpera

*Hæ primo ſub Lagidis, dein ſub Seleucidis, poſt Antiochum M.*

Pamphylia

*Hac primo ſub Lagidis, poſt ſub Antiocho M. dein controverſa inter Romanos & Antiochum.*

Lycia
Caria

*Hæ primum ſub Lagidis, poſt ſub Antiocho M. demum ſub Romanis vel Rhodiis.*

Cyprus Inſ.

Not. *Alia Lagidarum ditiones extra limites mappæ noſtræ excurrentes erant potiſſimum* Marmarica *&* Cyrenaica Inſulæque cyclades: *nec non loea quædam in litore ſinus Arabici ex latere Æthiopico, ut* Ptolemais ferarum. *Præter quædam ſparſa in litoribus* Thraciæ *&* Helleſponti (*quarum præcipua* Ænos, Maronea & Lyſimachia) *itemque in* Creta, *de quibus alibi.*

II. SELEUCIDARUM regnum

Syria
Meſopotamia
Aſſyria
Armenia
Cappadocia, Lycaonia, Piſidia &c.

Not. *Etiam Seleucidarum reliquæ ditiones longe ultra limites mappæ noſtræ principalis verſus orientem cum excurrerint, viſum eſt non ingratum nos facturos lectoribus, ſi eas, quoad limites quidem ſaltem in typo ætiologico II, ubi ſpatium hoc permittebat, expreſſas & colore illuſtratas exhiberemus, de quibus vero & ipſis alibi accuratius. Hoc ſolum ſubnotato, intelligi hunc eorum ſtatum ante bellum cum Romanis & motus Parthicos.*

III. Arabia

Petræa ſui juris, & Moabitidem quoque comprehendens
Reliqua ſui juris

IV. Æthiopia

# SCHEMA III.

## *Statum Regni HERODIS M. exhibens.*

I. Regnum HERODIS

Judæa & Idumæa recentior

*excepta Gaza, Aſcalone*

Samaria

*excepta Dora, Apollonia*

Galilæa

*excepta Ptolemaide & litoralibus reliquis ad Phœnicem ſpectantibus.*

Peræa

*excepta Pella*

Trachonitis, Auranitis, Ituræa &c.

II. Imperium ROMANUM

*Ad Ur vel Zaguram vel Oruron excurrens*

III. Imperium PARTHICUM

IV. Arabia

Petræa
Libera reliqua

# *ERRATA & EMENDANDA*
## *in hac priore parte operis.*

Pag. lin.
6. 4 *Criticæ*, Critica
9. 16 ſit. *ſcribe* ſit;
10. 1 *parallelogrammicum*, parallelogrammicam
14. 3 *Havarra*; *ſcribe* Havarra.
34. 12 *ducendus*, ducenda
35. 26 *ex - deleatur*
43. 2 *ita diſtingue*: Diſtantiæ hæ; longitudinis nempe
ead. 9 *Herao*, Heroo
47. 8 *Garræi*, Gerræi
51. 9 *Nom*, Non
ead. 31 *Socatra*, Socotra
58. 33 *per*, propter
62. 40 *locum*, locus
63. 29 *exiſtens*, exiens
71. 4 *Azoto & Aſcalone*, Azoton & Aſcalonem
ead. 7 *Hieroſolymis*, Hieroſolyma
75. 20 *Agathonorus*, Agathemerus
79. 22 *dies*, dies 4
83. 28 *torrentis poſt*, torrentis qui poſt
86. 7 *auguſtam*, anguſtam
91. penult. *Eughir*, Enghir
95. 33, 34 Phrygiæ, Celænæ
98. 13 *dele*, *Aliis Pinarus*
ead. 35 *Maſcag*, Maſcas
99. 17 *ſit*, ſit
116. 17 *ſubtractio*, ſubtractis
ead. 54 *ita diſtingue*: ponitur, 25 nempe gradus pars
122. 26 *pingere*, jungere
123. 51 *Indæis*, Judæis
127. 21 *Orſa*, Orfa
130. 33 *occarſum*, occaſum
ead. 47 *Maſſicen*, Maſſicen
134. 6 *Horum*, Horam
138. penult. *Bevicher*, Benicher
153. *in margine*, Meſopotamia & Iracca

Pag. lin.
155. 24 *Baree*, Barec
156. 21 *Niſibis*, Niſibi
157. 44 *Orvate*, Oroate
ead. 45 *Orontem*, Oroatem
159. 5 *lege*: præciſe ſi ductum
ead. 19 *Jaxartan*, Jaxarten
ead. 27 *Strabo*, Strabone
ead. 33 *Prophthaſium*, Prophthaſiam
ead. 40 *Paropamiſſo*, *ſcribe*: (potius Paropamiſſo)
162. 35 *Mazuca*, Mazaca
ead. 53 *ducta*, primum ducta
198. 8 *cap. ſupple*, Cap. 3.
213. 32 *priorus*, priores
214. 11 *illud*, aliud
215. 49 *erunt*, erant
223. 10 *Daphkim*, Daphnim
233. 30 *Tarterſum*, Tarteſſum
ead. 54 לבוא, לברא
240. 20 *LIX*, L. IX
ead. 30, 31 Gaditica, Rubenitica, Manaſſitica
243. 21 *Aſſyria & Paphlagonia ad pag. 243 erant referendi.*
244. 50 *poſt Antiochiæ ſupple*, illud
249. 28 *diſtantiam*, diſtantia
252. 43 *ſtatuis*, ſtatim
254. 6 *Sophenera*, Sophenen
258. 7 *ita diſtingue & lege*: fuerit. Res tamen Chamathæ quod a Tzobæo
ead. 24 *memoratæ*, memoratam
261. 41 *ſupple*: Tab. capitis 13.
ead. 56 *Jubrudam*, Jabrudam
262. 33 *ita diſtingue*: Thadmor. Hanc
ead. 54 *Cheri*, Keri
268. 42 Schaggle, *Schoggle*
270. 24 *de ſcripto*, deſcripto
272. 3 *reliqua.* reliqua:
279. 53 *dicatur*, dicantur

p. 281. *Poſt lineam* 33 *ſupple*: Accuratius aliquid de iis dicere liceret ope eorum, quæ in *libris Maccabæorum* de iisdem relata occurrunt, ſi modo plane perſpectus foret ſitus Urbis Caſphin vel Chasbin. Memoratur ſcilicet *I. Macc. V.* 13. in partibus Tobi fuiſſe fratres Judæorum, qui *II. Maccab. XII.* 17. Judæi Tobiani, Tubieni, dicuntur (Unde intelligimus, quosdam Tobienorum vel omnes Judaicam religionem temporibus hiſce Maccabaïcis amplexos) Judam Maccabæum, cum urbem Casbin expugnaſſet, cum ſuis in Characem ad hoſce Tobienos profectum (quo eos a vexationibus gentilium vicinorum vindicaret) Diſtantiam hujus Casbin & Characis fuiſſe 750 *ſtadiorum*. Ubi quidem ex appellatione Characis nihil ſane lucis oritur, quia plurimæ hinc inde Characes. Sed & de Casbin hoc verum eſt, videri quidem ejus mentionem extare etiam in *Gemara Hieroſolymitana*, eandemque inter urbes in limitibus terræ Iſraëliticæ & Galilææ. Galaaditicas & Auraniticas cenſeri. Nam una cum *Aenus*, *Canatha Suſitha* (quam *Hippon* ingenioſe interpretatur *Lightfootus*) *Jadut* (quæ forſan *Hatita*) occurrit quoque vox כספיה (quam Caſpih, Caſpejah legere licet) Unde acute conjicit *Relandus* in *Palæſtina ſua* p. 134 (cujus verba & textus hic relegi merentur) Casbin Maccabæorum hic intelligi. Cujus etiam ſententia magis probanda, quam *Junii & Tremellii*, qui in verſione ſua Chasbin per Chesbuntem notiſſimam nimis confidenter reddiderunt, remotiorem quamlibet ab illis regionibus, in quibus tunc Judas bellum gerebat. Sed quoniam & hac *Relandi* ſententia admiſſa de Casbini ſitu nonniſi vaga obtinetur notitia, nec adeo, unde illorum 750 ſtadiorum initium capiendum ſit, conſtat, arbitrio cujusvis relinquendum eſt, ſive illa ſtadia 750 a vicina Chanatha, Æno vel Hatita, an aliunde, numerare velit, & an ſtadia ordinaria an vero contractiora intelligere placeat (quia & ſtadia illa diſtantiæ Scythopoleos ab Hieroſolymis *eodem capite XII. Maccab. II.* memorata breviora exiſtunt) Poſteriori vero caſu locum illum, quem *Ptolemæus*, & mappa noſtra ex *Ptolemæo*, Tobienis his aſſignat, parum a veritate abeſſe deprehendetur.

p. 282. l. 13 *ſit*, fit
p. 287. l. 50 *Reliquæ*, Reliqua
p. 289. l. 42 *adhibuit*, Salomon adhibuit
p. 291. l. 17 *ſeſe*, ſe
p. 292. l. 26 *oſtendiſſe*, offendiſſe
p. 293. l. ult. *amiſſo*, commiſſo
p. 303. l. 38 *Bithyniæ*, Bithynia

# DE MAGNITUDINE COMPARATA ET DETERMINATA URBIUM,

QUÆ PROPTER

IPSAM MAGNITUDINEM

CELEBRES HABENTUR

POTISSIMUM IN ANTIQUITATE

ITEMQUE

NOSTRIS TEMPORIBUS

INQUISITIO,

JUNCTA

CONSIDERATIONE

QUORUNDAM

OPERUM VETERUM

EX MAGNIFICENTISSIMIS.

# INTRODUCTIO.

Difficultas ſuſcepti operis

1.

MUltum quidem habet jucunditatis ſpeculatio de comparatione *Urbium maximarum*, tam veterum in hiſtoriis memoratarum, quam hodie extantium.

Sed eadem difficultate non caret, quæ prohibet, quo minus promiſcue quilibet, Geographiæ & recentiorum de menſuris geographicis obſervationum non ſatis gnarus, eam ſuſcipere poſſit.

Cauſa ejus difficultatis

2. Inter cauſas difficultatis hac in re præcipua eſt autorum oſcitantia in exprimenda determinata vel abſoluta magnitudine menſurarum, quas adhibent. Nec veteres ſolum querendi de hoc cauſam nobis præbent, verum eadem ineptiſſima conſuetudo apud recentiores obtinens æque plerumque turbat omnia; ita, ut ex ipſis deſcriptis figuris geometricis & cælo inciſis, non niſi adhibitis regulis plane criticis & poſt inſtitutas varias inquiſitiones ad aliqualem certitudinem perveniri detur.

*Stadia*, *Paraſangæ*, *Leucæ*, *Palmi*, *Paſſus*, *Pedes* memorantur, quorum magnitudo dubia eſt, nec, quod fieri imprimis à recentioribus debuerat, vel verbo de eadem monetur.

Medicina adhibenda

3. Medicinam huic malo ut adferamus, & ut ratio pateat noſtræ ſententiæ, de recentioribus menſuris quidem ſuo quolibet loco monebimus: de *veteribus* vero menſuris in limine ſtatim obſervamus ſequentia.

Stadior. veterum menſura Eiſenſchmidian.

4. STADIA videntur quidem menſura ſatis determinata. Conſtat enim, ex veterum unanimi conſenſu 625 pedum Romanorum, 600 pedum Græcorum eadem fuiſſe: porro vero ex iis, quæ à *Caſſinio*, *Islæo* & *Eiſenſchmidio*, quos triumviros in hac re allegare ſufficit, ex recentioribus obſervationibus deducuntur, conſtat de accuratiori quantitate pedis tum Græci tum Romani, atque adeo de numero pedum Pariſienſium in Stadio æque ac milliario Romano.

Eſt enim primo juxta *Eiſenſchmidium*, poſito numero partium 1440 in pede Pariſienſi, vel *du Chatelet*,

Pes Romanus, 1324, 6
rotunde 1325
Pes Græcus, 1379, $\frac{3}{4}$
rotunde 1380

Unde in ſuppoſitione figuræ telluris plane ſphærica, & dimenſione gradus circuli telluris maximi 57060 Hexapodarum vel Toſiarum Pariſienſium juxta Caſſinium

Stadia in gradu 595 $\frac{1}{2}$
rotunde, 596.

Ex quo ſequitur, quia milliare Romanum 8 Stadiis æquatur, milliaria Romana

in gradu eſſe 74 $\frac{1}{2}$
rotunde 75

competere vero milliari germanico quindenario

Stadia 40
Milliaria Rom. 5.

Stadior. veterum magnitudo juxta Caſſin. & Islæum.

5 Cum vero quantitas data pedis Romani & Græci, atque inde & Stadii magnitudo, deducta ſit ex modulis & exemplaribus ex antiquitate reſtantibus: *Islæus*, atque ipſe etiam *Caſſinius*, ex conſideratione diſtantiarum geographicarum in veteribus ſcriptis annotatarum, & collatarum cum actuali dimenſione earum, præſenti tempore facile

cile inſtituenda, deduxit quantitatem Stadii talem, quæ faceret 600^mam^ partem gradus in tellure, adeoque paulo minorem, quam ex dictis juxta *Eiſenſchmidium* ſequebatur.

Nec intereſt quæri, an propter viarum aliquales ambages, major numerus ſtadiorum diſtantiis illis tributus fuerit, quam ſi viâ directâ dimenſio earum inſtituta fuiſſet, adeoque non minor ſtatuenda ſit quantitas Stadiorum, ut numerus eorum in dimenſione diſtantiarum evadat major; ſed ſuperior major Stadii quantitas approbanda, & differentia majoris quam juſtum videbatur, aſſignati numeri ſtadiorum in aliqua diſtantia, in illas viarum irregularitates rejicienda?

Nam, cum Islæana hæc quantitas Stadiorum 600 in gradu ſatis prope accedat ad illam alteram mox propoſitam 595 in gradu; magis quoque numeri milliarium Romanorum in gradu invicem in duabus hiſce hypotheſibus ad ſe accedant, imo vero coincidant; cum in prima hypotheſi prodeant $74\frac{1}{2}$ vel 75 rotundè, in altera 75 accuratè; præterea vero in præſenti tractatione & inquiſitione geographica, ubi antiquioribus Stadiis utendum erit, ad reductionem ſecundam Islæanam hæc quantitas præſupponenda veniat: ſimpliciter hic eandem quoque nobis retinendam cenſemus.

Eadem a nobis adhibita.

Eſt adeo juxta Islæum numerus Stadiorum in gradu telluris (poſitâ figurâ telluris, quam diximus, & dimenſione gradus Caſſiniana) 600,

Milliarium Rom. 75.

Unde reſultat pedis græci quantitas, particularum, quales 1440 continentur in Pariſienſi pede,

nempe 1369, 4

Pedis Rom. quant. 1314, 6

Utrobique autem in milliari Germanico quindenario ſunt

Stadia 40

Mill. Rom. 5.

Aliorum errores circa Stad. & mill. Rom. notati.

6. Quibus ita ſe habentibus, manifeſtum eſt, falſam & improvide aſſumtam eſſe dimenſionem vel quantitatem Stadiorum, qualis quidem cenſebatur, ubi 32 Stadia computabantur in milliario Germanico vulgari quindenario, unde 480 Stadia gradui competebant, cum potius numero Stadiorum rotundo in gradu exiſtente 600, Stadia 40 mill. germanico competant.

Unde porro infertur, non 4. milliaria Romana, milliari germanico quindenario reſpondere, ſed quinque. Error veterum inde ortus, quod milliare Romanum vetus & Italicum recentius pro eodem habebant, hoc vero quartam partem milliaris Germanici ſtatuebant, quia ſcilicet milliare Romanum 8. Stadiorum magnitudinem habebat.

Numerus ped. in Stadio, & reductio Islæana prima.

7. Sequitur vero porro ex dictis, Stadium, quod habet 625 pedes Romanos, 600 Græcos, habere quoque

| | | |
|---|---|---|
| juxta *Eiſenſchm.* | $574\frac{10}{12}$, | pedes Pariſienſes |
| vel rotundè | 575 | |
| juxta *Islæum*, | $570\frac{6}{15}$ | |
| vel rotundè | 571 | |

Atque hæc eſt reductio vel determinatio Stadiorum Islæana, quam *priorem* vocabimus.

Reductio Stadior. Islæana ſecunda.

8. Verùm hæc, quæ demonſtrata diximus ab *Islæo*, *Eiſenſchmidio*, *Caſſinio*, vera eſſe ſaltem de poſterioribus temporibus ſive recentioribus Stadiis, quæ Romanorum tempore obtinuerunt, obſervatum eſt ab *Islæo*, non vero de Stadiis, quæ antiquitus *Herodoti*, *Xenophontis*, *Alexandri M.* & aliorum coævorum hiſce ætate fuerunt.

Fundamentum ejus reductionis 1. in relationibus menſorum Alexandri.

Ratio eſt, quod, ſi numeri diſtantiarum urbium & Provinciarum itemque itinerum, quales apud veteres illos autores annotati extant, imprimis ex diſtantiæ, quæ ex relationibus Betonis & Diogneti metatorum Alexandri M. qui ejus juſſu omnes ejus Provincias & itinera accurate dimenſi ſunt, conferantur cum diſtantiis locorum, quales ex optimis obſervationibus noſtrorum temporum cognoſcuntur, mira deprehenditur diſcrepantia. Et quidem in exceſſu ſemper peccare hos numeros palam eſt, adeoque eosdem diſtantias haſce juſto majores facere. Ex quo fit etiam, ut regionum latitudo, nude & ſimpliciter adhibitis dimenſionibus metatorum horum, & ſimul quantitate menſurarum Geographicarum, Stadiorum &c. qualis etiam in reductione mox memorata prima inveniebatur, & juxta illas tentata deſcriptione orbis noſtri, longe magis verſus ortum extendatur quam par eſt, Indiaque mire quantum remotior exiſtat, quam exigunt recentiores obſervationes.

Optimas autem obſervationes geographicas recentiores vocamus, quæ à membris Societatum Regiarum Gallicæ & Anglicanæ aliisque inſtitutæ, paſſim in eorum Commentariis extant, quasque nobis aliam plane faciem orbis noſtri antiqui, ſaltem contractiorem quoad longitudines locorum imprimis inter extremam Sinam & Europam dediſſe, nemo, qui Geographiæ initiatus ſit, neſcit vel neſcire debet.

2. Tabulis Geographicis Arabum.

Neque etiam hoc neſcire quis debet, has ipſas obſervationes non nudius demum tertius accuratis Geographis ſe obtu-

obtuliſſe, ſed, quantum ad dimenſiones Perſiæ & vicinarum regionum, easdem conſpirare cum Arabum Geographorum doctorum ſententiis, quas *Ulug Begi* & *Naſir Etuſæi* tabulæ nobis proponunt. Quas quidem præjudicio ſaltem quodam autoritatis Ptolemæi faſcinati noſtris temporibus proximi Geographi inſuper habuerunt, & præfracte contemſerunt; & faciem Perſiæ, qualis à *Relando* ex dictis ſcriptoribus exhibetur, ut paradoxam & à veritate abludentem traduxerunt, aut ſuſpectam habuerunt.

Quam verò etiam juſta & acuta ſit hæc obſervatio *Islæi*, experitur quotidie, qui manum deſignationibus geographicis,& mappis veterum regionum atque imperiorum ſtatum repræſentantibus, adhibet, miréque adeo in hac ſententia confirmatur.

3 Diſtantiis itinerariis Xenophonteis.

Sane ad eandem roborandam mirum in modum ſerviunt diſtantiæ à *Xenophonte* in expeditione Cyri relatæ, in quibus Geometrice in mappam figuramque Geographicam transferendis, niſi quis utatur reductione hac Islæanâ, in inſignes abſurditates ſe conjicere cogitur. Diſſerit de hac materia ipſe *Islæus in Comm. Acad. R. Scient. Par.* 1721, mappa etiam illius expeditionis Cyri & 10 millium Græcorum exhibita, in quâ, etſi quædam deſideremus,& corrigenda deprehendamus, tamen confitendum eſt, eandem in genere id præſtare, quod debebat, juſtiorem nempe figuram, quam quæ ab antiquioribus Geographis, *Sanſonio* &c. allatæ (ſane perabſurdæ) ſatis accuratè oculis exhibere. A nobis vero etiam de hac re quædam monita extant in tractatu præcedenti de regno Davidico.

4. Diſtantiis Stathmor. Iſidori Characeni.

Quin & *Iſidori Characeni* Stathmos Parthicos juxta ſchoenos digeſtos, ſi à Seleucia, quæ ad Tigrim, ad fines Parthici regni & Arachoſiam numerentur, nunquam rei veritati & recentioribus obſervationibus reſpondere deprehendi, niſi reductionem mox dicendam adhibeamus, ibidem pariter à nobis annotatum meminimus.

Ipſa reductio II.

9. Hæc adeo reductio exigit, ut loco 600 recentiorum Stadiorum, 1100 Stadia antiqua in gradu telluris computentur. Poſtulat, ut loco 20 Paraſangarum (apud *Xenophontem*) vel Schœnorum apud *Characenum*, (de quibus diximus) computentur $36\frac{2}{3}$ vel 36 vel etiam 33 Paraſangæ vel Schœni in gradu. Quæ eſt adeo reductio ſecunda Islæana.

Stadii ſecundo reducti quantitas in pedibus.

10. Ex qua conſequitur, poſitâ Stadii recentioris quantitate, ut ſupra diximus, juxta Eiſenſchmidium 575 pedum Pariſ., Stadii veteris hujus dimenſionem eſſe 315 pedum Pariſienſium. Si verò eadem Stadii recentioris quantitas ſumatur juxta Islæum 571 ped. Pariſ., erit antiqui Stadii quantitas 311 ped. Pariſienſium proximè.

Hâc ergo quantitate Stadii, nempe, quæ eſt pedum 311 in deſcriptionibus urbium veterum, quarum notitiam ex *Herodoto*, *Diodoro*, habemus, uſuri ſumus.

Errores aliorum notati.

11. Eos enim, qui aliis & majoribus illis, vel plane falſis, quæ 480 Stadia gradui tribuunt, vel non reductis juxta *Islæum*, ſcilicet ubi 600 & non 1100 Stadia in gradu computantur, magnitudines illarum æſtimant, plane incredibiles & ineptas eas facere cogi, vel ex ipsâ comparatione magnitudinum inferius repræſentatarum intelligitur.

Quæ cauſa exiſtat, unde talis confuſio apud veteres autores menſurarum harum orta ſit, explorare noſtrum non eſt quidem. Interim tamen cum videamus morem & negligentiam etiam noſtrorum & modernorum, quibus non ignotum eſſe debet, quam variabiles ſint menſuræ gentium & ætatum variarum, qui tamen ipſi in veram earum magnitudinem nec debite inquirunt, nec in ſcriptis indicant eas magnitudines, quantumvis ſibi exploratas, non eſt abſonum ſtatuere, olim & remotiſſimis quidem temporibus Stadiorum menſuram minorem fuiſſe; ejus nempe magnitudinis, quam diximus pedum Pariſienſium 311, qui faciunt pedes Græcos 327 proxime; poſt vero ab Hercule, ut ajunt, introductum eſſe Stadiorum genus, quod 600 pedibus ejus æquaretur, ſed pluribus in locis Stadiorum veterum menſuram manſiſſe, in quo & conſentit *Beverinus*. Quâ adeo breviori uſos fuiſſe Alexandri menſores credibile eſt, & juxta eandem diſtantias & dimenſiones locorum paſſim annotatas ab *Herodoto* aliisque, ex quibus dein ſua *Plinius* & *Diodorus* aliique recentiores ſumſerunt. Poſt vero Romanorum tempore jam invaluiſſe illum morem in Stadium computandi pedes Græcos 600, vel Romanos 625, Pariſienſes adeo 575. Et ignorantiam quidem Matheſeos (quod admodum ſolenne) credendum eſt, impoſuiſſe *Plinio*, *Diodoro* & ſimilibus, ut ſibi perſuaderent, numeros in veteribus autoribus inventos intelligi de hiſce Stadiis, adeoque reductionis veterum ad recentiora rationem nullam habuerint.

Hæc ſi admittantur, non erit quidem neceſſe, ut ſtatuamus, Stadiorum quidem fuiſſe ſemper eandem quantitatem, ſed pedum Græcorum pridem aliam obtinuiſſe dimenſionem, quam poſtea, quo tempore eosdem fuiſſe partium 1380, diximus, quales habet Pariſienſis 1440; interim & eos non fuiſſe plane æquales, ex exemplo aliorum pariter non improbabile exiſtit.

Menſuræ minores.

12. Hæc de menſuris Geographicis majoribus veterum, quæ de minoribus dicenda veniunt, ſuo quolibet loco notabuntur.

Aliæ difficultates.

13. Cæterum de ea difficultate, quæ occurrit in hac materia, oriturque ex eo, quod ejusdem ætatis homines (nam priora de hominibus diverſæ ætatis intelligenda veniunt) in menſuris ſuis invicem inſanum in modum diſcrepant, nihil hic amplius conquerimur; notamus ſaltem, vitium non novum eſſe, ſed perantiquum, quod cognoſcimus vel ex *Plinio*, qui L. VI. c. 26. ***Inconſtantiam***, inquit, ***menſuræ diverſitas autorum facit, cum Perſæ quoque Schœnos & Paraſangas, alii alia menſura determinent.***

Tandemque etiam multo maximam confuſionem parit, quod, quamvis in menſuris conveniant, tamen in numeris indicandis earum oſcitantiſſime deprehendantur autores verſari.

Hoc vero male eos, qui recto judicio pollent, habere oportere palam eſt, quod hæ difficultates ſtudioſe augeantur ab iis, qui peſſimo imò ſtultiſſimo atque ineptiſſimo more puritatem ſtyli affectantes proprietatem verborum alterant & evertunt, & in ſtylo, verbi cauſa, Latino religioni ducentes Græco verbo uti, ſubſtituunt minus aptum, quod ex imperitia non admodum differens rentur. Quales ſunt ii, qui, ubi in Græco eſt *Orgyja*, in Latino *paſſus* reddunt, cum *Orgyja* ſit 6. pedum Græcorum; *paſſus* (Geometrici quos vocare amant) vero pedum quinque vel Romanorum, vel promiſcue aliorum vagorum.

Aliorum circa hanc materiam conatus.

14. Ex dictis patet aliqua ratio, cur non inutilis cenſeri debeat opera à nobis ſuſcepta accuratius determinandi magnitudinem urbium veterum & recentiorum, & comparationem earum inter ſe inſtituendi.

Simile inſtitutum fuit ex parte celeberr. ***Iſlæi***, qui aliquot majorum urbium magnitudinem, allegata ambitus earum dimenſione, quæ in veteribus autoribus hinc inde occurrit, conſideravit in ***Comment. Reg. Sc. Acad. Pariſ.*** 1725. Scopus ejus erat oſtendere, latitudinem Geographicam Urbium amplum ſpatium occupantium, imprimisque à meridie verſus ſeptentrionem extenſarum, poſſe variare, ſi obſervationes diverſis in urbe ejusmodi locis & ſtationibus, præſertim vero extremis earum inſtituantur.

Inſtituti noſtri ratio.

15. Sed nobis in præſentiarum hoc imprimis propoſitum eſt, ſenſibus & imaginationi ipſi figuras urbium, quarum licet, exponere, ut de earum magnitudine judicium ſit eò facilius, ipſorumque oculorum fide juvetur. Jucunditas adeo eſt, de qua diximus, quam in hac ſpeculatione potiſſimum ſpectavimus, utilitate tamen ſuâ fore ut eadem non deſtituatur plane, confidimus.

SE-

# SECTIO PRIMA.

## *De Urbibus antiquis.*

## *BABYLON.*

Babylonis ejuſque partium deſcriptio & dimenſiones.

1. BABYLONEM, BABEL, caput fuiſſe regionis, quæ Chaldæa dicta fuit ſpecialiori nomine, etſi ſub Aſsyria à veteribus auctoribus quoque comprehendatur, paſſim notum. Quæ ad univerſam hujus urbis hiſtoriam ſpectant, inſtitutum noſtrum non tangunt, à quorum adeo mentione meritò abſtinemus. Sed de Dimenſionibus, Figura & Conſtructione noſtrum erit diſſerere.

2. Ne tamen in transſcribendis autorum verbis prolixiores & tædioſi ſimus, ſolius hic *Herodoti* ampliſſimam deſcriptionem repræſentabimus; reliqua, quæ apud veteres, de dimenſionibus præſertim, paſſim occurrunt, in compendio exhibebimus.

Verba adeo *Herodoti* ſunt hæc: *Aſſyriæ autem cum alia multa ſunt magna oppida, tum vero celeberrimi nominis ac validiſſimum eſt Babylon, ubi poſt everſam ab ipſis Ninum, regia erat. Quod oppidum ſitum eſt in planitie ingenti, formâ quadratâ, magnitudine quoquoverſus centenûm vicenûm ſtadiorum, in ſumma quadringentorum & octoginta, in circuitu quatuor laterum urbis. Tanta eſt Babylonici oppidi magnitudo. Quod ita exornatum eſt, ut aliud nullum eorum, quæ nos novimus. Jam primum FOSSA ambit alta atque lata, aquæ plena. Deinde MURUS quinquaginta cubitorum regiorum craſſitudine, ducentorum celſitudine. Eſt autem regius cubitus quàm is, quo pro menſura utimur, tribus digitis major. Operæ precium eſt, me præter hæc diſſerere, in quem uſum ſit conſumta terra ex foſſa egeſta, & quomodo fuerit murus conditus. Ut quidque terræ in deprimenda foſſa efferebant, ex eo lateres ducebant: quorum poſtquam magnam vim duxiſſent, eos in fornacibus coquebant. Poſtea cœno utentes, aſphalto ferventi per triceſimum quemque laterum ordinem ſummitates arundinum inſtipatas conglutinabant. Et primum labra foſſæ, deinde ipſum murum ad eundem modum ædificarunt. Super quem circa oras extruxerunt domunculas unius contignationis inter ſe obverſas: inter quas tantum intercapedinis relinquebatur, ut quadriga interagi poſſet. Ejus per ambitum centum PORTAE ſtabant, ææreæ omnes, cum cardinibus itidem poſtibusque. Babylone octo dierum itinere abeſt alia urbs nomine IS, ubi fluvius eſt haud magnus ejusdem nominis, qui ſe devoluit in flumen Euphratem. Hic itaque fluvius Is unà cum aqua permultos reddit aſphalti bituminis grumos: quæ aſphaltus ad murum Babylonis comportabatur. Hunc autem in modum Babylon extructa eſt. Ejus duæ ſunt PLAGAE, quas interfluit fluvius nomine Euphrates, qui magnus & altus & celer, ex Armeniis in rubrum mare decurrit. In hunc uterque murus lacertos exporrigit, ejusque incurvæ utrinque ripæ coctilibus lateribus pro maceria prætexuntur. Ipſa urbs plena DOMIBUS eſt ternarum quaternarumque contignationum, ſecta in vias cum rectas, tum verò transverſas, quæ flumen pertingunt: ad quarum ſingulas pro numero vicorum portulæ factæ ſunt in maceria, quæ flumen ſepiebat, & ipſæ æreæ & ad flumen idem ferentes. Et hic quidem murus lorica eſt. Alius vero intus non multo quam hic debilior, ſed exilior. Inque utriusque civitatis plagæ medio murus eſt erectus, quorum hic regiam comprehendit ambitu prægrandi atque valido.*

Hactenus *Herodoti* quæ ad hoc ſpectant. Ex quibus & reliquis apud veteres occurrentibus, hæc de Conſtitutione hujus magnificentiſſi-

tiſſimæ urbis notanda: FIGURA urbis fuit quadrata. *Herodot.*

Singula latera 120 Stadia,

| | |
|---|---|
| adeoque AMBITUS | 480 Stadia, *Herodoto* |
| | 385 Stadia, *Straboni* |
| | 368 Stadia, *Curtio* |
| | 360 Stadia, *Diodoro* |
| | 60 mill. paſſ. *Solino* |

Notandum verò, *Diodorum* mox aſſerere, totidem fuiſſe Stadia, quot dies annum conficiunt. Quodſi intelligatur annus accuratior Ægyptiacus & Nabonaſſarenus, erunt Stadia 365; ſin vetus & minus accuratus, erunt ſane 360 Stadia.

*Plinius* qui L. VI. & *Solinus* cap. 65. 60 millia paſſuum ambitum fuiſſe ajunt, idem dicunt cum *Herodoto*, 125 paſſibus in Stadium computatis, adeoque faciunt pariter 480 Stadia.

| | |
|---|---|
| ALTITUDO murorum | 200, Cubitorum, Regiorum *Herodoto.* |
| | 50, Cubitorum, *Straboni* |
| | 100, Cubitorum, *Curtio* |
| | 200 ped. Babyl. *Plinio* L. VI. 26, & *Solino* c. 65. |
| | 365, ped. *Diodoro* ex Clitarcho et iis, qui cum Alexandro in Aſia fuere. |

Mox idem Diodorus 50, Orgyjas (pro quibus inepte in verſione paſſus memorantur) facit. Unde numerus 365 in mendo eſſe videtur, & de ambitu muri, non de altitudine intelligendus. Idem tandem etiam 50 cubitorum eosdem tradi à poſterioribus quibusdam notat.

| | |
|---|---|
| LATITUDO murorum | 50, cubitorum regior. *Herodoto.* |
| | 32, pedum *Straboni*, *Curtio.* |
| | 50 ped. Babyl. *Plinio*, l. c. *Solino* l. c. |

*Strabo & Curtius* talem fuiſſe dicunt, ut quadrigæ tranſeuntes occurrere potuerint. *Herodotus* ſuper murum circa oras extructas fuiſſe domunculas unius contignationis inter ſe obverſas, inter quas tantum intercapedinis relinquebatur, ut quadriga interagi poſſet, *Diodorus*, ampliorem fuiſſe, quam qua duo currus veherentur.

PORTAE, per ambitum 100, adeoque in quolibet latere 25.

Inter quamlibet portam 3 TURRES. In angulo vero quovis 4 turres plures quam alibi.

Turrium ſumma 250. Quia, ubi muri paludes contingebant, turres nullæ adſtructæ. *Diodorus.*

Turrium altitudo

10 ped. excedebat murorum altitudinem - -

60 cubitorum. *Straboni.*

FOSSA alta atque lata, aquæ plena.

EUPHRATES influebat à latere ſeptentrionali, effluebat è latere meridionali. *Diodorus.*

Medius urbem perfluebat Euphrates. *Diodorus.*

Latitudo Euphratis

1. Stad. *Straboni.*

Longitudo PONTIS, qua parte flumen anguſtius fluebat

5 Stad. *Diodoro.*

Latitudo Pontis

30 pedum, *Diodoro.*

Ab utroque fluminis latere murus ductus

360 Stadiorum. *Diodorus.*

Duæ ARCES in medio ad latus utrumque pontis

Unius, orientalis nempe, quæ vetus palatium (à Belo ſtructum, quia Curtius ait, regiam Beli Babylone oſtendi)

Ambitus 30 Stad. *Diodor.*
20 Stad. *Curtius*

Turrium altit.

5 ped. *Curtio*, qui & fundamenta earum 30 ped. in terram miſſa ait.

Alterius occidentalis (quæ à *Diodoro* ſane per errorem dicitur à Semiramide ſtructa, cum ex eo, quod poſt Ninum everſam ædificata eſt, ſequatur, fuiſſe ſtructam à Nebucadnezare) ambitus 60 Stad. *Diod.*

Interioris ejus ambitus 40. Stad. latitudo 300 laterum πλίνθων altitudo 50 Orgyjarum turrium in ea 70. } *Diodorus*

Inti-

Intimæ partis circumitus 30. ſtad.
altitudo major ſecundi muri altitudine. *Diodorus*

HORTI PENSILES habebant 4 plethra in quolibet latere, *Strab.* LXVI. Reliquam hortorum horum conſtitutionem, quæ in compendio habetur apud Strabonem dicto loco, ipſiusmet verbis repræſentare hic viſum eſt: *Hortus penſilis figura quadrata, cujus latus quodlibet quatuor eſt jugerum. Fornicibus continentur fornicatis ſitis ſuper talis cubi formam habentibus. Tali iſti pilæ concavæ ſunt & terra plenæ, ut arbores maximas conſitas recipere poſſint, ex lapide coctili & bitumine conſtructæ, cum ipſæ tum teſtudines & fornices. Supremum tabulatum accenſus ſcalares habet & cochlias ipſis adjacentes, per quas continenter aqua ex Euphrate in hortos attollitur ab hominibus ad hoc ipſum conſtitutis. Nam flumen mediam urbem perlabitur, latitudine Stadium occupans: horti ſuper flumine ſunt.*

## OBSERVANDA CIRCA HAEC.

Stadiorum in dimenſione Babylon. quantitas.

3. Stadia a nobis intelligi vetera, reductione ſecunda Islæana adhibita, nempe pedum Pariſ. 311. jam monitum. Unde 120 Stadia pro uno latere efficiunt 6220 Hexapodas Pariſienſes vel 37320 pedes Pariſienſes. Sequimur potius *Herodotum* coævum. *Diodorus* quod circumſtantiam, quæ fabuloſa ſine dubio eſt, affert, ſingula Stadia muri ſingulis diebus effecta dicens, vel ex hac cauſa minus ſequendus videtur.

Ambitus Babylonis.

4. Differentiam autorum, quorum præſertim *Strabo & Curtius* ab *Herodoto* diſſentiunt maxime, in numeris qui circumferentiæ aſſignantur, neglectui accurationis attribuimus. Vel quod, cum dimenſiones captæ poſteriorum horum temporibus, adhibitis menſuris recentioribus, non concordarent dimenſionibus traditis, quæ reſpondebant menſuris veteribus, iidem ex ingenio correctionem inſtituere præſumſerunt.

Altitudo & latitudo murorum.

5. Quod vero ad dimenſiones altitudinis & latitudinis murorum, quia eæ apud *Strabonem* inſigniter quoque differunt à dimenſionibus antiquiorum autorum, hæc differentia ratione aliqua alia forſan explicari poterit, quod nempe iſte loquatur de ſtatu, in quem a Dario hi muri redacti ſunt. Memorat n. *Herodotus* ipſe hæc: *Babylone capta Darius muros ejus circumcidit, & portas omnes amolitus eſt, quorum neutrum Cyrus fecerat, prius eidem a ſe captæ.*

Menſuræ in dimenſione altitud. & latitud. adhibitæ.

6. Dimenſiones vero harum altitudinum & latitudinum dantur ab *Herodoto* in cubitis regiis, vel ſimpliciter cubitis à *Strabone* vel in pedibus Babylonicis à *Plinio & Solino*, tandemque in paſſibus à *Diodoro.*

De pedibus 365, quæ *Diodorus* aſſignat altitudini, nihil attinet amplius dicere, cum monitum ſit, videri turbatum Diodori textum. Nec de pedibus *Strabonis* aliud eſt quod dicamus, quem in mendo manifeſte cubare numerum, qui 32. latitudini attribuit. Reſtat, ut de cubitis regiis & pedibus Babylonicis diſpiciamus.

CUBITVM REGIUM *Herodotus*, hoc ipſo loco, ubi de muris Babylonicis agit, notat eſſe 3. digitis majorem cubito, quo ipſe, vel ejus cives, Græci adeo, utebantur. Conſtat vero cubitum apud Græcos cenſum fuiſſe $1\frac{1}{2}$ pedum. Pedis vero Græci juſtam menſuram notavimus partium 1380. qualium habet Pariſienſis 1440. Quodſi adeo *Herodotus* hunc eundem pedem intellexit, foret cubitus vulgaris 2070 talium partium. Cui ſi adjiciantur tres digiti pedis vulgaris h. e. $\frac{3}{16}$ ejusdem, reſultaret cubitus regius Babylonicus 2328.

PEDEM vero BABYLONICUM $1\frac{1}{8}$ pedis Romani facit *Beverinus*; unde cum pes Romanus ſit dictarum partium 1325, Babylonicus foret 1490.

Eundem pedem Babylonicum vero *Plinius.* L. VI. itemque *Solinus* dict. cap. facit 1. pedis, 3 digitorum Romanorum, hoc eſt $1\frac{3}{16}$ pedis Romani. Unde cum pes Romanus habeat partes ejusmodi 1325, Pe-

Pedis Babylonici menſura foret talium 1573 partium.

Pedem tandem hunc Babylonicum alii, incertum quibus ex fundamentis faciunt 1632 vel 1633.

Quodſi adeo altitudo murorum foret 200. cubit. regiorum juxta *Herodotum*, æqui valeret eadem pedibus Pariſinis 323, vel, ſi eſſet 200 pedum Babylonicorum juxta *Plinium*, æquiparanda foret.

vel 206 }
vel 218 } pedibus Pariſ. juxta proportiones à { *Beverino*
vel 226 } { *Plinio* propoſitas tertio loco memoratas.

Denique, ſi altitudo Orgyjarum 50. fuerit juxta *Diodorum*, (quas 6. pedibus conſtare diximus,) cenſenda eſſet 287 ped. Pariſ. Tandemque ſi cubitorum fuerit

vulgarium 50 } altitudo { $71\frac{5}{6}$ } proxime
vel regiorum 50 } fuiſſet { $80\frac{5}{6}$ }

Noſtra ſententia de altitud. & latitud. murorum.

7. In tanta dimenſionum & opinionum varietate quid eligendum ſit, difficultate non caret. Dimenſionem 50. Cubitorum juſto minorem eſſe facile aſſequimur, niſi eam altitudinem intelligamus de muris à Dario reciſis. Quantum ad *Herodotum* & *Diodorum*, videri poſſet omnium maxime eisdem convenire, dimenſionibus eorum, reductione debita facta, non adeo invicem diſcrepantibus ac reliquorum, unumque adeo eorum ex altero explicandum. Exurgeret vero immenſa quædam altitudo murorum iſtorum; qualem quidem juxta Cteſiam eſſe oportebat.

Sed hoc obſervamus, ſi altitudo murorum fuiſſet, qualis à *Diodoro* traditur, inferiorem partem templi Beli, quæ Stadii altitudinem habuit, quam adeo 311. pedum Pariſ. cenſemus, talem futuram fuiſſe, ut vix ſupra muros eminus conſpiceretur: nullatenus vero, ſi altitudo murorum extitiſſet, quæ *Herodoto* placet.

Forſan acutius reliquis *Plinius* hanc dimenſionem explicavit, cubitorum loco pedes Babylonicos ſubſtituendo. Cui adeo in præſentiarum & nos ſubſcribimus, & non ſolum numerum pedum Babylonicorum, ſed & proportionem pedis Babylonici ad Romanum eligentes, qualem ipſe proponit, altitudinem murorum 218 ped. Pariſ. ſumi poſſe hactenus ſtatuimus.

Latitudinem proinde muri quoque juxta *Plinium* ſumimus, quæ cum det 54. pedes Pariſienſes, intelligitur non impoſſibile fuiſſe, ut binæ vel trinæ quadrigæ ſuper crepidine murorum agi & invicem occurrere potuerint; vel ut domunculæ ex utraque parte eidem inſtructæ fuerint, & tamen inter eas quadriga interagi potuerit. Exemplum muri poſtremi (ut de Sinenſibus taceamus) habemus etiam nunc hodie in urbe Auguſtana, quæ apud Vindelicos. Murus enim, qui eſt inter portam; quæ Gokingam ducit & Rubram, ejus eſt latitudinis, ut utrinque in ejus crepidine domus ſint, quæ habitationem præbent præſidiariis ad militiam deſtinatis civibus, & in medio earum platea ſatis ampla, commode quadrigæ viam præbens. Ex altera parte vero ab illa porta Gokingana ad Emiſſariam nocturnam murus eſt, qui dimidiam fere prioris habet latitudinem unam domunculam ex altera parte admittens, reliqua parte viam commodam pediti præbens.

Cæterum altitudine muri obtinente, quam diximus, & quæ modica eſt reſpectu habito ad ea, quæ ab aliis de eadem ſtatuuntur, notabile eſt idem illud, quod de Sinenſibus muris obſervatur, hos ſcilicet omnem proſpectum ædium urbis prohibuiſſe extantibus ſolum turribus iisque editioribus. Quod cum mirum non ſit de ædiculis Sinenſibus, quæ contignationis ſunt unius ſaltem, æque tamen contingere debuit circa domos urbis Babylonicæ, quantumvis enim eæ trium vel quatuor fuerint contignationum, ut mox dicetur, ad altitudinem tamen 218 pedum pertingere haud potuere.

Diſtantia turrium & numerus.

8. Diſtantiam turrium ut habeamus, illud quod dicitur de turribus prope angulos muri conſtitutis, ita intelligendum cenſemus, ut inter

inter ſingulas portas quidem 3 turres interpoſitæ ſtatuantur, extremæ vero cuique portæ proximæque angulo ex altero latere non tres, ſed quatuor appoſitæ fuerint, ipſa turri, quæ verticem anguli ornabat, pro quarta computata; unde ad alteram partem ſequentis lateris eadem ratione quatuor turres numerando, quarum angularis communis foret utrolibet lateri, interjectæ intelligendæ forent ſeptem turres inter extremas quasque portas. Vid. *Fig.* VIII. Tab. ultimæ. Hac enim ratione conſtat, quod dicitur, apud angulos quatuor amplius turres inter portas interjectas fuiſſe, quam inter reliquas portas. Aliter vero ſi hæc explicentur, & ſtatuatur, non quatuor ſupra tres turres in angulis inter portas conſtitutas fuiſſe, ſed ſimpliciter quatuor ſaltem, ut in Fig. IX. Tab. ult. anguli vertex ſuo ornatu, turri nempe, deſtitutus poni deberet, quod videtur contra morem architectonicum etiam ſimpliciſſimis hominibus facile obvium.

Quod ſi res ſe habuit, ut in *Fig.* VIII. Tab. ultimæ interſtitia inter 25 portas exiſtent 24, habitura turres 72, quibus ſi v. g. a ſiniſtra parte adjiciantur quatuor, a dextra tres (propter unam communem utrique lateri muri) in ſumma ſeptem, reſultabunt pro ſingulis integris lateribus muri 79 turres, fuiſſentque in univerſum 316; niſi, quæ in textu annotata ſunt, interceſſiſſent, quorum cauſa 250. ſufficere creditæ ſunt.

Interſtitia adeo turrium cum numero 78 fuerint, latitudine integra muri 120 Stadiorum, quorum ſingula 311 pedum Pariſ., exiſtente, eorum interſtitiorum quantitatem fuiſſe pedum Pariſienſium $478\frac{1}{2}$ proxime.

*Altitudo turrium.* 9. Turrium altitudinem non 10 ſaltem pedibus juxta alios murum ſuperaſſe (quæ quantitas ſumta foret contra regulas de proportionibus architectonicorum operum) ſed ſexta parte majorem fuiſſe, proportionibus a *Strabone* propoſitis hoc perſuadentibus, facilius credimus.

*Latitudo turrium.* 10 Turrium latitudinem facimus hujus totius altitudinis quartam partem, hoc eſt $\frac{7}{8}$ altitudinis muri quartam partem, quod idem eſt (poſita altitudine muri 218 ped. Pariſ.) ac $63\frac{7}{12}$ ped. Pariſ.

Quo adeo etiam imaginationi repræſentaremus conditionem horum murorum & diſpoſitionis turrium, quæ vero §. 7. hujus ſectionis dicta ſunt, illuſtrentur, viſum eſt jungere *Fig.* I. Tab. ult. Cujus ope & horum comparatio cum aliis magnificis operibus veterum inſtitui poterit.

*Euphratis latitudo.* 11. De latitudine Euphratis potius *Diodoro*, qui eandem 5 Stadiorum fuiſſe tradit, credimus, quam *Straboni*, qui unum ſaltem ei Stadium aſſignat (quod modicum flumen innueret); Quia *Xenophon* latitudinem Euphratis, loco quo Thapſacum alluit, adeoque aliquot centenis milliaribus ſuperiori, fontibusque propiori, eum quatuor Stadiorum exiſtere annotavit. Eſto, quod Euphrates in varios canales hinc inde diductus legatur, unde ejus aquæ imminutæ videri poſſent, hoc enim de locis ultra Babylonem potius, vel potiſſimum, intelligendum. Credibile eſt etiam eum, quamvis non ſemper, tempeſtate ſcilicet ſicciore, alveum ſuum impleverit; tamen reliquo tempore ſatis latum fuiſſe.

*Schema urbis Babylonis & Area.* 12. Quicquid vero hujus ſit, figuram Urbis Babylonicæ, ſchemate vel TAB. I. *Fig.* I. exhibemus reliquis inferioribus deſignationibus proportionatam. Addimus areæ determinationem in ſtadiis veteribus quadratis, quorum latera dicta ſunt habere pedes 311, eſtque ea 14400 talium ſtadiorum.

*Conſtitutio interiorum urbis.* 13. Ut vero ſtatum urbis Babylonicæ internum accuratius pernoſcamus, deque ejus cum noſtris urbibus convenientia, deque numero civium vel populi in eadem degentis judicium ferre poſſimus, juvabit maxime Curtii verba hic exhibere, quæ ſuperiori ſuæ deſcriptioni inter cæteras a nobis repræſentatæ ſubjungit, ita vero L. V. c. I. *Ædificia non ſunt admota muris, ſed fere ſpatium unius jugeri abſunt.* (Potius debuiſſe eum dicere plethri magnitudinem, inde intelligimus, quia jugerum Latinis eſt menſura ſuperficialis, hic vero requirebatur menſura

ſura linearis latitudinem ſpacii inter murum & domos interjecti explicans, Plethrum vero græcum eſſe ſextam partem ſtadii aliunde ſcimus. Credibile vero eſt majus hoc ſpatium fuiſſe.) Pergit *Curtius : Ac ne totam quidem urbem tectis occuparunt : per* 90 *Stadia habitatur, nec omnia continua ſunt: credo, quia tutius viſum eſt, pluribus locis ſpargi. Cetera ſerunt coluntque, ut ſi extrema vis ingruat, obſeſſis alimenta ex ipſius urbis ſolo ſubminiſtrentur.* Quo vero eam etiam cum Sinenſium urbibus, de quibus infra, conferre poſſimus, *Herodoti* repræſentanda ſunt verba, qui L. I. ita: *ipſa urbs plena domibus eſt ternarum quaternarumque contignationum, ſecta in vias cum rectas, tum vero transverſas, quæ ad flumen pertingunt*, & reliqua.

Interitus urbis Babylonis. 14. Reliqua de magnificentia urbis Babylonis aliisque ejus memorabilibus in hiſtoriis occurrentia explicare inſtitutum nobis in præſens haud fuit. Unicum illud de interitu urbis hujus illuſtriſſimæ ejusque cauſis, nervoſe imprimis a Plinio exhibitis, huc non tranſcribere non poſſumus.

Et notum quidem eam primo a Cyro captam, a quo tamen nihil detrimenti paſſam eſſe *Herodotus* ait. Contra quem eſt *Beroſus*, qui muros exteriores dirui juſſiſſe Cyrum memorat. Poſt vero, cum a Dario defeciſſet, ſed iterum in poteſtatem redacta eſſet, notatum eſt in tranſitu in ſuperioribus, eam ab hoc parte murorum multatam, vel eorum tam altitudini quam latitudini aliquid demtum ab eo fuiſſe. Verum eadem hoc damnum non admodum ſenſit florens usque ad Alexandrum & aliquanto tempore poſt eum.

Tunc vero fatalis ejus terminus inſtans in nihilum eam redigere cœpit, non vi & manibus, ſed conſilio. *Plinii* verba L. V. c. 26. ſunt: *Cætero in ſolitudinem rediit exhauſta vicinitate SELEVCIÆ, ob id conditæ a Nicatore intra nonageſimum* (vel potius forſan quadrageſimum lapidem juxta *Strabonem*, cui *tabula Peutingeriana* ſuccenturiatur, 44 milliaria interjecta notans) *lapidem, in confluente Euphratis foſſa perducti atque Tigris, quæ tamen Babylonia cognominatur, libera hodie ac ſui juris Macedonumque moris.*

Et poſt pauca: *Invicem ad hanc exhauriendam CTESIPHONTEM juxta tertium ab ea lapidem in Chalonitide condiderunt Parthi, quod nunc eſt caput Regni. Et poſtquam nihil proficiebatur, nuper Vologeſus Rex aliud oppidum VOLOGESOCERTAM in vicinia condidit.*

Conſilium iſtud effectum hunc ſortitum eſſe hodierno die ſcimus, ut jam Babylonis urbis (de Seleucia & Cteſiphonte nihil dicimus) ne veſtigium quidem extet, teſtantibus itinerariis, maximeque jam dubia & inter ipſos, qui hæc loca frequentarunt, controverſa ſit ejus poſitio, cultiſſimus vero pridem ager ejus circumjacens ſterili ſabulo & arenis horreus & ſqualidus videatur. Nec etiam poſtea conditæ aliæ in vicinia urbes cum ea quicquam commune habent, aut in ejus locum ſucceſſiſſe dici poſſunt. Nec MEDAINA Perſarum (ad Tigrim ſita, quæ Cteſiphonti ſucceſſit) jam pridem a Saracenis deſtructa, nec BAGDADUM milliaribus plurimis diſtans & ad Tigrim ſitum a Saracenis ſtructum, Califarumque ſedes facta, & nonniſi turpiſſima ignorantia cum Babylone confundendum: nec SAMARRA vel SARMANRAI Califarum poſt Bagdadum relictum nova ſedes.

Confirmationis loco *Strabonis* locum L. XVI. adſcribemus: *Poſteriorum nemo curavit: quin etiam reliqua neglecta ſunt, & urbis partem Perſæ diruerunt, partem tempus conſumſit & Macedonum negligentia: præſertim poſtquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit ſtadiis tantum* 300 *a Babylone diſſitam. Nam & ille & poſteri omnes huic urbi maximopere ſtuduerunt, & regiam eo tranſtulerunt, & nunc Babylone hæc major eſt, illa maxima ex parte deſerta, ut intrepide de ea uſurpari poſſit, quod de Megalopoli Arcadiæ magna urbe quidam dixit Comicus:*

*Eſt magna ſolitudo nunc Megalopolis.*

NINI-

# *NINIVE vel NINUS vetus.*

Nini figura & dimenſiones.

15. NINUS, NINIVE, NINEVE ad orientale latus Tigris fluvii, non vero Euphratis, ut per confuſionem *Diodorus*, Aſſyriæ proprie vel ſtrictius dictæ, vel Aturiæ, quæ & Adiabene poſtea, quondam princeps urbs.

Figura ejus parallelogramma.

Dimenſiones:
- Longitudinis 150 Stadiorum juxta *Diodorum* L. II. c. 1. ex quo etiam reliqua habemus pleraque.
- Latitudinis:
  - 90 Stad. juxta eundem
  - 80 juxta alios.

Unde ſequitur, ambitum fuiſſe 480 Stad. juxta *Diodorum*, vel 460 juxta alios.

Ambitus ac area.

16. Cum adeo Ninus a *Strabone* Libri XVI. initio multo major Babylone prædicatur, eique conſentit *Diodorus Siculus* L. II. c. 1. *Nulla enim*, inquiens, *poſtmodum urbs tanto ambitu tantave magnificentia moenium conſtructa eſt*: Verum eſt hoc, ſi de ambitu ſolum ſermo ſit, & Babylonis ambitus juxta Strabonem 385, juxta Diodorum 360 Stadiorum ſtatuatur, Ninives vero juxta alios 460, juxta *Diodorum* 480 Stadiorum.

Sed ſi ambitum Babylonis faciamus, qualis *Herodoto* traditur 480 nempe Stadiorum, Babylon ad minimum ejusdem erit ambitus ac Ninive.

At vero ex ambitus hujus ſolius quantitate de magnitudine comparata duarum harum urbium nihil admodum cognoſcitur. Quantumvis enim verum foret, Babylonis ambitum minorem fuiſſe ambitu Nineves, nullatenus tamen, ut *Strabo* videtur velle, conſequeretur, Babylonem quoad aream ipſam minorem fuiſſe: prouti nec ex æqualitate ambitus ſequitur, æquales utriusque fuiſſe areas.

Legitima vero magis ratione, ſi magnitudo æſtimetur ſecundum areas dictas, erit *Babylonis* magnitudo 14400. Stadiorum quadratorum, at *Nineves* juxta *Diodorum* (qui latitudinem facit 90) 135000, juxta alios, (qui latitudinem faciunt 80 Stad.) erit 12000 Stad.

Sumta ergo Stadii magnitudine, qualis in deſcriptione Babylonis urbis, erit TAB. I. Fig. II. Ninives repræſentatio proportionalis.

Reliquarum partium dimenſiones.

17. Dimenſiones reliquas MURORUM Nineves, *Diodorus* exhibet ſequentes:

Altitudo nempe murorum 100 ped. vagorum. Qui ſi intelliguntur Græci, erunt
$87\frac{1}{2}$ ped. Babylon.
$95\frac{1}{2}$ ped. Pariſienſ.

Latitudo tanta, qua 3 currus perambulare poterant.

Turrium numerus 1500

Altitudo turrium 200 ped. vagorum, vel potius Græcorum
175 ped. Babyl.
191 ped. Pariſ.

18. Hanc dimenſionem altitudinis turrium & forſan etiam numeri earum monſtri aliquid alere nobis videri, diffiteri non poſſumus. Portentoſa eſt proportio altitudinis turrium ad muri altitudinem, nempe duplex, imprimis cum tanto numero earum exiſtente ſatis vicinæ invicem poni debeant. Toto enim ambitu 480 Stadia occupante, & ſtadio uno 311 pedum exiſtente, numero vero turrium 1500, quam proxime diſtantiam turrium 100 pedum Pariſ. quoque fuiſſe, dum altitudo muri $95\frac{1}{2}$ pedum ejusmodi fuit, conſequitur. Jam ut judicium mentis oculorum etiam juvetur adminiculo, inſpici velimus Figuræ II. n. 1. Tab. ultimæ. In qua latitudo turrium ſumta eſt 30 ped. vagorum vel Græcorum vel $28\frac{2}{5}$ ped. Pariſ. qua minor locum non habuit. Credimus vero nemini non paradoxam & abſonam diſpoſitionem, quæ ex propoſita *Diodori* relatione obtinuit, viſum iri.

Si ſententiæ dicendæ nobis neceſſitas imponeretur, altitudini tur-

 rium

rium ſupra muri altitudinem dimidiam ad ſummam partem addendam judicaremus, ut forent pedes vagi vel Græci 150, vel Pariſienſes 143 proxime, numero turrium manente eodem, ac apud *Diodorum*, utpote qui non eſt tam abſonus quam altitudinis earum dimenſio. Quo pacto obtineret forma turrium, qualis eadem Fig. II. n. 2. notatur. Quamvis & numerum turrium minorem ſumi non præter rationem exiſteret.

Ninives magnitudo in ſacris memorata.

19 Hæc de magnitudine urbis hujus ex profanis Scriptoribus attuliſſe ſufficiant. Occurunt vero quædam etiam de ea in Sacris. *Jonæ* enim cap. 3. dicitur Ninivem fuisſe urbem divinum vel immenſum in modum magnam, itinere trium dierum. Credi vero equidem poſſit, hos tres dies de ambitu ejus intelligendos, adeoque cum *Diodoro* ſatis convenire hanc aſſertionem. Cum enim tertia pars ambitus Islæana ſive primæ reductionis Islæanæ juxta hunc faciat 160. ſtadia, quæ (ſi ſtadia recentiora pro hypotheſi ſalvanda facias) efficiunt quatuor milliaria Germanica. Hæc una diæta circumeundo urbem ſi abſolvantur, efficiunt, ut triduo opus ſit ad integrum circumitum. Verum enim vero non ſolum obſtat, quod recentiora Stadia minus legitime adhiberi poſſint in hoc calculo; verum etiam quod *Jonas* ad cives & inquilinos ad pœnitentiam vocandos miſſus diætæ iter in eandem penetraſſe dicatur eundo & pœnitentiam prædicando. Ex quo colligi poſſe videtur, 3 diætas non de ambitu, ſed de longitudine urbis capiendas. Quæ quantitas adeo major eſt longe 150 Stadiis, quæ longitudini aſſignat Diodorus.

Certum eſt adeo, ſi verba hæc Scripturæ cum profano autore concilianda ſint, oportere ſtatui, præter ipſam urbem fuiſſe etiam ſuburbia in tantum ſpatii excurrentia, ut junctim cum ipſa urbe non niſi triduo tranſiri potuerint. Atque id ipſum eſſe admodum veriſimile, hanc urbem ſuburbiis non fuiſſe deſtitutam, tuto ſumimus.

Interitus urbis.

20. Urbem hanc a Medis junctim cum Babyloniis deletam ex antiquitate conſtat, eique ſucceſſiſſe Babylonem ipſam autor eſt *Herodotus* & *Diodorus*. Qui vero dum Babylonis conditricem faciunt Semiramidem, quæ ex plurimorum ſententia longe fuit antiquior Nineves excidio, quomodo hæc ἀσυςατα conciliari debeant, locus non eſt hic decidendi.

Noſtro tempore e regione illius in ripa occidentali Tigris fluvii exiſtere MOSUL vel MAUSEL urbem, omnes conſentiunt.

# *PALIMBOTHRA*,

## PALIBOTHRA.

Palibothræ dimenſiones & figura.

21.

PALIBOTHRÆ urbis Indicæ notitiam perfectiſſimam habemus ex *Strabone* L. XV. cujus ipſa verba adſcribere conſultum viſum. Ita vero ille p. 1028: *In hujus* (nempe Gangis) *& alius fluminis concurſu ſita eſt Palibothra, octoginta Stadiorum longitudine, latitudine XV, figura quadrata, lateribus oppoſitis eandem ubique ſervantibus diſtantiam: mœnibus ligneis & perforatis circumdata, ita ut per foramina ſagittent. Præpoſita etiam eſt foſſa tutelæ gratia, & recipiendorum purgamentorum ex urbe affluentium.*

Ut nomen ſciamus alterius fluvii, ad quem Palibothra ſita, & de celebritate Urbis certiores reddamur, juvabit apponere verba PLINII L. VI. 19: *omnium in India propter potentiam claritatemque antecedunt Praſii, ampliſſima urbe ditiſſimaque Palibothra: unde quidam ipſam gentem Palibothros vocant, imo univerſum tractum a Gange. Regi eorum peditum* 600 *millia, equitum* 30 *millia, elephantorum novem millia:* & ARRIANI in indicis c. 10, qui memorat: *maximam Indis urbem eſſe, quæ Palimbothra vocatur,*

*tur, in Pruſiorum terra, ubi confluentes ſunt Erannoboæ fluminis & Gangis.*

Schema & area urbis 22. Noſcimus ex his verbis figuram & dimenſionem hujus urbis, cujus ſchema adeo ad eandem, qua priores, ſcalam conſtructum extat Tab. II. Fig. III.

Accurata æſtimatio magnitudinis ex cognitione areæ reſultans dat 1200. Stadia quadrata, qualia pro Babylonis dimenſione adhibita.

# MESPILA.

Meſpilæ deſcriptio.

23.

Hujus Urbis notitiam ex ſolo *Xenophonte* habemus, cujus ipſius etiam verba repræſentare hic ſufficiet. Ita autem in expeditione Cyri L. III. *Inde caſtris unis paraſangas VI. progreſſi, ad caſtellum quoddam magnum, idque deſertum perveniunt, ſitum propter urbem, cui nomen erat Meſpila, quondam a Medis habitata. Hujus crepido de polito lapide conchiliato erat, latitudine* 50 *pedum, totidemque pedum altitudine. Super hanc murus lateritius exſtructus erat, cujus habebat latitudo* 50, *altitudo* 100. *Ambitus erat paraſangarum* 6. *Huc ferebatur Media regis uxor fugiſſe, quo tempore Medis ademtum fuit a Perſis imperium. Urbem ipſam Perſarum rex quum obſideret, neque temporis diuturnitate, neque vi capere poterat. Tandem Jupiter habitatores ejus adtonitos reddit, atque ita capta eſt.*

Intelligimus ex hiſce de fatis primo urbis hujus, de qua, utpote ampla & celebri, mirum eſt, nullam memoriam in aliis ſcriptoribus ſupereſſe.

Locus Meſpilæ. 24. Locus ejus fuit ad Tigrim. Videri poterat ex aliquali vocis affinitate, & ſi absque circino, ſi ita loqui licet, hoc eſt, ſine accurata æſtimatione Geographica diſtantiarum de his rationari vel opiniones fingere inſtituiſſemus, eam cum Moſul mox dicta eandem, quæ everſæ Nino ſucceſſerit. Verum non ſolum ex eo, quod Moſul hanc ex altera Tigris ripa, nempe occidentali, ſitam obſervavimus, cum in itinere *Xenophontis* ex latere orientali fluminis ejusdem facto Meſpilæ locus inventus fuerit, apparet differentia amborum: ſed & exaccurate dimenſis diſtantiis itineris Xenophontæi, & ex recte ac ſecundum principia maxime legitima determinato loco Nini eadem elucet. Inde enim noſcitur, eam fuiſſe aliquot milliaribus inferiorem vel meridionaliorem Nino, hoc eſt, ad inferiores alvei partes ſitam. Et quidem milliaribus Germanicis quindenariis non minus quam 12, in latitudine Geographica paulo minus gradu ab eo differens.

25 Figuram ejus civitatis facimus ex analogia cum reliquis ejusmodi urbibus Aſſyriacis & veteribus quadratam. Figura & dimenſio.

In dimenſione accurata ejusdem meminiſſe oportet eorum, quæ ſupra diximus, de Stadiis veteribus & menſuris Xenophontæis. Luce enim meridiana apertius fit, ut diximus, ei, qui debitis cautionibus itineris Xenophontæi & diſtantiarum memoratarum deſcriptionem tentaverit, (in qua re exemplo præiviſſe *Islæum*, nec niſi pauca quædam emendatione aliqua indigentia reliquiſſe pariter jam monuimus) cumque aliis Arabum v. g. *Nubienſis Geographi*, (quibus in his maxime fidem habemus, cum de notis ſibi regionibus agant) eandem contulerit, paraſangarum Xenophonti adhibitarum magnitudinem eſſe talem, quæ ſit ad recentiores paraſangas ut 6 ad 11, prouti ſupra notatum, hoc eſt, cum recentiores Paraſangæ 30 Stadiis æquales, adeoque eorum 20 uni gradui circuli maximi in tellure reſpondeant, Xenophonteas Paraſangas eſſe $\frac{6}{11}$ partes unius partis vigeſimæ gradus, hoc eſt $36\frac{2}{3}$ vel rotundo numero 36 gradui uni telluris reſpondere. Paraſangarum Xenophontis magnitudo.

In qua ſententia magis confirmamur, cum deprehendamus diſtantias quasdam Ciliciæ in itinere Xenophontæo memoratas, & ex aliis principiis, *Antoniniani* ſcilicet *Itinerarii* & *Peutingerianæ tabulæ* aliisque

que notatis intercapedinibus cognitas & accurate ſatis determinandas clare quantitatem 33 Paraſangarum in gradu aſſerere.

Poſita adeo hac quantitate Paraſangæ, nempe 30 Stadiis veteribus, non vero recentioribus æquali, cum ambitus Meſpilæ Xenophonti tradatur 6 Paraſangarum (quarum ſingulas 30 Stadia habuiſſe conſtat) reſultabit magnitudo ejus proportionalis ad reliquas commemoratas urbes, qualis TAB. II. Fig. IV. exprimitur. Latere uno quadrati exiſtente ped. Pariſ. 13995, Hexapodarum vel Toſiarum $2332\frac{1}{2}$.

Area vero erit Stadiorum quadratorum, qualia pro dimenſione Babylonis adhibita, 2025.

## LARISSA.

26.

Lariſſæ deſcriptio.

ETſi cum antecedentibus nullatenus magnitudinis ratione conveniat, adeoque ab hac noſtra tractatione exulare debebat ejus mentio, tamen ob ſtructuræ cum Meſpila ſimilitudinem & magnificentiam, ut vel in tranſitu nullam commemorationem faciamus LARISSÆ pariter ad Tigrim ſitæ, ſed ſex ſaltem Paraſangis verſus inferiora vel meridiem diſtantis, committendum non eſt. Ita vero de eadem *Xenophon* pariter eodem loco: *GRÆCI, quod reliquum erat diei, ſecure pergendo quum confeciſſent, ad Tigrim amnem perveniunt. Eo loco deſerta quædam urbs erat ampla, cujus nomen Lariſſa. Habitaverant eam priſcis temporibus Medi. Murus habebat XXV. pedum latitudinem, altitudinem* 100. *Ambitus ad Paraſangas* 2 *ſe explicabat. Laterculis fictilibus extructus erat, & fundamentum ſuberat lapideum* 20 *pedum altitudine. Hanc Perſarum Rex, quo tempore Medis imperium Perſæ eripiebant, obſeſſam capere nullo modo poterant. Sol vero nube tectam perdere non deſiit, donec homines defeciſſent, atque ita capta eſt. Propter urbem ipſam Pyramis erat lapidea, quæ unius Plethri latitudinem habebat, altitudinem duorum.*

An veſtigia Lariſſæ ſuperſint, quæſtio.

27. Cur etiam hujus ſatis bellæ & munitæ urbis apud veteres autores præter *Xenophontem* nulla extet memoria, non eſt quod inquiramus. Hoc ſaltem non abs re eſt quærere, annon ejus nulla extent etiam hodie veſtigia? Quandoquidem deſerta a *Xenophonte* memoratur, nec tamen deſtructa aut diruta. Quin potius accolæ ejus regionis metu exercitus Græcorum in eam confugiſſe & perfugium quæſiviſſe memorantur. Et ſane veſtigium nominis aliquod apparet in voce TAC RIT vel *Tec rit*, ſ elemento, ut ſæpiſſime, in t mutato, ut ſit Riſſa cum adjecto Tec. Quod unde ſit, ut ex Arabica forſan lingua oſtendi poteſt: ita non improbabile videri poſſet etiam pridem nomen verum fuiſſe Tac riſſa, quod a Græcis more ipſis vulgatiſſimo in notius Lariſſa transformatum fuerit.

Verum diffiteri non licet, accuratius deſcripta via Xenophontis & Græcorum, videri Lariſſam hanc ſeptentrionaliorem ipſa Tacrit & quidem gradu integro, cum Tacrit ad gradum $34\frac{1}{2}$, Lariſſa ad $35\frac{1}{2}$ latitudinis videatur referenda. Et alias Tacrit in edito monte ſitam eſſe novimus ex hiſtoriis orientalibus, ſpeciatim vita Timuri vel Tamerlani.

Cum RESEN, quæ a Nimrodo vel Aſſure, ut aliis placet, condita legitur Gen. X. a quibusdam hæc urbs comparari voluit ob nominis affinitatem, & ob viciniam ejus cum Ninive, qualis ex eodem loco Geneſeos colligitur; ſed haſce ſolas rationes non eſſe ſufficientes, cum & aliæ ſint urbes, in quibus affinitas aliqua nominis apparet, qualem *Reſſaniam* in Meſopotamiæ meditullio ad *Chaborem* fluvium nominaſſe hic ſuffecerit; & magnitudo Lariſſæ, utpote modica, non videatur cum celebritate urbium reliquarum, dicto Geneſeos loco recenſitarum, comparanda, quilibet æquus rerum arbiter facile agnoſcit.

28. Cæ-

Dimenſio Lariſſæ. 28. Cæterum de figura Lariſſæ nihil apud *Xenophontem* extat, credibile tamen eſt, & illam more urbium orientalium Aſſyriacarum imprimis ſtructam, adeoque quadratam fuiſſe.

Quo admiſſo, latus unum foret tertia pars quantitatis, quam Meſpilæ quodlibet latus habuit, adeôque 1665 ped. Pariſienſium 777½ Hexapod. Pariſ.

Area ejus fuiſſet Stadiorum quadratorum, qualia pro dimenſione Babylonis adhibuimus, 225.

# *THEBÆ Aegyptiæ.*

29.

DIcendum eſt etiam de aliis urbibus apud ſcriptores veteres memoratis, magnitudinis inſignis & ſtupendæ, ſed de quarum figura non conſtat, nondum cognita arte typographica vel cælo aut æri incidendas picturas, quarumque adeo dimenſiones populari ſane & plebejo more ab autoribus proponuntur, quod temporibus eorum condonari oportet. Unde vero conſequitur, ut de accurata præciſaque earum magnitudine ſuperficiali vel area nihil dicere valeamus, ea vero imperfectiori notitia contentos interim nos eſſe oporteat.

Thebæ earumque ſitus. 30. Tales ſunt adeo THEBÆ *Ægyptiæ*, ita cognominatæ ad diſtinctionem *Græcarum Thebarum* & *Arabicæ Thaif* vel Thebes prope Meccam. Metropolis ſuperioris Ægypti celeberrima fuit hæc urbs, *Hecatompylos* quoque ob cauſam mox dicendam, ab Hebræis vero *No-Ammon* dicta.

Situs ejus in ripa Nili orientaliori, vel in parte Ægypti, quæ Arabia dicebatur, vel ſecundum littus latusque dexterius Nili, quod a potiore parte eſt orientale; etſi pluribus in locis quoque Nilus, more fluminum tortuoſorum in alias aliasque plagas tendens hanc partem faciebat vel auſtraliorem vel plane occidentaliorem. Sane figura Ægypti Nilique curſus accurate deſcripta, deprehenditur, eam ſecundum alveum Nili ex occidente in orientem tendentem ad ejus partem meridionaliorem ſitam, extenſamque adeo ex occidente verſus orientem, etſi pars ejus in altera quoque ripa ſiniſtra & borealiori. *Strabo* ſane L. XVII. *Thebarum pars eſt in Arabia, ubi & urbs, pars etiam in ulteriori ripa, ubi Memnonium.*

31. Dimenſionem ejus in longitudinem ſaltem habemus, ſi verba ipſa veterum ſola attendamus. Dimenſiones. *Strabo* l. c. *Oſtenduntur hodieque magnitudinis illius veſtigia ad* 80. *Stadiorum longitudinem. Cato* vero apud *Stephanum* 400 Stadia longitudinis occupaſſe dicit. *Euſtathius* apud *Dionyſium* ad 420 Stadia extendi eas aſſerit.

Nimia quidem hæc videtur dimenſio unius lateris intuitu, quod toti Babylonis circumferentiæ quatuor lateribus comprehenſæ propemodum æquetur. Et ſane in arctiorem ambitum eam compegit *Diodorus*, qui totum circumitum 120 Stadiorum facit. Verum ut pro priorum ſententia pugnare nobis non eſt in animo, ita in Diodori numeris ſphalma aliquod eſſe non dubitandum. Talia enim de hac urbe prædicantur, quæ arctam adeo ejus aream ambitumque non admittunt. Diximus enim Hecatompylon vel centum portarum appellatam. Cujus nominis ratio redditur a *Pomponio Mela*, qui *Thebas*, ait, (*ut Homero dictum eſt*) *centum portas habere, ſolitasque ſingulas, ubi negotium exegerat, dena armatorum millia effundere.* Cui conſonat relatio a *Strabone* adducta, quæ quoque exercitum centum Myriadum huic urbi tribuit. Sed quamvis hoc ipſum nimium quibusdam, & *Mela* autor poſterior eſſe videatur: confitendum tamen eſt, in monumento *Ramſis* Regis hujus urbis totiusque Ægypti, quod Germanico Cæſari interpretatus eſt ſacerdos Ægyptius memorari, 700 millia militaris ætatis

tis habitaſſe in illa urbe, ſive 70 Myriades. Ut adeo 100. Myriadum numerus de rotundo intelligendus veniat.

At vero vel hunc ipſum numerum 700 millium hominum militaris ſtatus non capere urbem, cujus ambitus 120 Stadiorum & veterum quidem, qualia intelligi convenit, manifeſtum eſt. Foret enim totus circuitus $1\frac{7}{11}$ mill. Germanicorum; etiamſi ipſa illius circumferentiæ figura ſtatuatur talis, quæ maximam recipit aream inter rectangulas, nempe quadrata.

## *ECBATANA.*

32.

ETiam de ECBATANORUM, quæ Mediæ urbs primaria fuit, nunc *Hamadan* dicta, figura nihil nobis conſtat, ambitum ſaltem ejus fuiſſe 258 Stadiorum autores ſcriptum reliquerunt, quibus intelligi Stadia vetera extra dubium eſt. Quodſi tamen, quia tota una opera non ſucceſſive ſtructa refertur, etiam hic ponere liceat, conditorem vel Dejocem vel Arphacſadum in ejus ſtructura morem Aſſyriorum & Orientalium ſecutum, & formam ei quadratam dediſſe, de proportione, quam habuit ad Babylonem, pronunciare licet, fuiſſe hanc $3\frac{1}{2}$ vicibus fere majorem iſta, vel accuratius Babylonem ad Ecbatana fuiſſe in ratione 57600 ad 16641; breviter aream Ecbatanorum fuiſſe $4150\frac{1}{4}$ ſtadiorum quadrat.

## *SUSA.*

33.

SUSA, Perſarum Regum, antequam ISTACHRAM vel *Perſepolim* ſeceſſiſſent, primam ſedem, habuiſſe ambitum 250 Stadiorum traduntur. De figura vero plane nihil, vel per monumenta vel per conjecturas dici poteſt, adeoque de ratione amplitudinis nihil pronunciare licet.

## *CARTHAGO.*

34.

IN numerum maximarum urbium, de quibus tamen certiora proferre non licet, referenda eſt quoque CARTHAGO illa Romæ æmula, cui immenſam aliquam dant amplitudinem. Nempe 22 milliarium faciunt Mſti codices Oroſiani, ſed 24 Epitome Liviana. De figura nihil proditur apud autores, etſi hoc certum eſt, ſucceſſivis incrementis eam urbem auctam fuiſſe. Unde vix credibile ejus regularem aliquam figuram extitiſſe. Sed ſi liceat eam ponere quaſi circularem, talis fere magnitudo reſultabit ac mox de Roma dicetur ſecundum mentem Lipſii. Sed quoniam & ille Romæ ambitus ſuſpectus eſt, quid de Carthagine dicamus non habemus, judicium aliis relinquentes.

## *LOCRI.*

35.

LOCRORUM ambitum 12 milliarium fuiſſa Livius tradit, ſed nihil addit de figura. Si autem recte ſe habeant, quæ de ambitu dicuntur, eam vix minorem Roma ipſa, adeoque etiam Roma veteri ſub Imperatoribus, demtis ſuburbiis, extitiſſe probabile.

ATHE-

# ATHENÆ.

36.

*Dionis Chryſoſtomi aſſertio de magnitudine Athenarum.*

ATHENARUM quoque urbem celeberrimam ad hanc claſſem urbium, quæ minus accurate determinari poſſunt, referre cogimur. Harum circuitus 200 Stadiorum *Dionis Chryſoſtomi* tempore fuit, connumerato Pyræeo & longis muris, ut memorat idem in *Oratione de Tyrannide*, qui etiam inde concludit, eas dimidiam amplitudinem Babylonis habuiſſe.

Concluſionem hanc plebejam & popularem æſtimationem pro fundamento habere, nos dubitare non ſinit legitima præſumptio de ignoratione veræ Mathematicæ ratiocinationis in tantum non omnibus, qui verbis & cultui orationis potius quam Philoſophiæ & rebus ſtudent, conſpicua. Credibile eſt adeo, quia Athenas dimidiam amplitudinem Babylonis habuiſſe ait, idem de ambitu dimidiato eum intellexiſſe. Cum vero *Herodotum* viderimus 480 Stadiorum ambitum Babylonis feciſſe, *Strabonem* vero 385, veriſimile eſt quoque, eum fuiſſe ſecutum *Strabonis* opinionem, & loco numeri 385 ſumſiſſe rotundiorem 400.

*Accuratior æſtimatio magnitudinis ratione ambitus.*

37. Neque tamen in æſtimatione ambitus veri Athenarum & Babylonis ſubſiſtere licet circa mentionem ſimplicem 200 Stadiorum. Verum meminiſſe oportet eorum, quæ ſupra dicta ſunt, ambitum Babylonis veteribus Stadiis cenſeri. Credibile eſt vero, *Dionem Chryſoſtomum* Stadiis ſui temporis, utpote qui poſt tempora conſtitutarum apud Romanos menſurarum vixit, dimenſionem ambitus Athenarum expoſuiſſe. Quare ut magis accuratam æſtimationem facere poſſimus, oportebit reductionem facere 200. Stadiorum recentiorum ad vetera. Erunt vero 200 Stadia recentiora æqualia 366 Stadiis veteribus. Unde ſi Babylonis ambitus juxta *Herodotum* 480 Stadiorum fuit, non erit Athenarum ambitus dimidium illius: vel ſi juxta *Strabonem* 385 Stadiis Babylonis ambitus computetur, fere fuerit æqualis eidem Athenarum circumferentia.

Minus accuratus adeo (nam ut ineptum dicamus, vetat nos contumelia in multos ejus ſimiles Matheſeos rudes & tamen res Geographicas tractantes redundatura) fuit *Dion* in determinanda proportione ambitus Athenarum & Babylonis: plane autem falſus in æſtimatione magnitudinis.

Quo tamen uſum ejus facere poſſimus in aliquali comparatione harum urbium, liceat ponere ambitum Babylonis 480 Stadiorum veterum, quam dimenſionem Herodoteam juſtiorem ſupra innuimus, & Athenarum 366 Stadiorum. Eruntque adeo Babylonis ambitus ad Athenarum, ut 4 ad 3 ſatis propinque.

*Ratione areæ.*

38. Quod ſi adeo Athenæ eandem habuiſſent figuram ac Babylon, tunc demum legitime inferretur, aream Babylonis ad ſuperficiem intra mœnia Athenarum contentam fuiſſe, ut 16 ad 9, ſive Athenas areæ paulo plus quam dimidium Babylonis obtinuiſſe.

At vero quia de Babylone certo conſtat, quadratæ eam figuræ fuiſſe exacte, Athenas autem irregularis & ſane oblongioris, multo minorem proportionem quam ſubduplam Babylonis easdem habuiſſe certum erit. Et ad hanc irregularitatem Athenarum multum contuliſſe brachiorum ad Piræeum ductorum figuram ſane oblongam, quæ ſub amplo circumitu modicum vel exiguum ſpatium areale & ædificiis aptum continuerint, veriſimile exiſtit.

Quod ſi ita non eſſet, ſane Athenas ipſa Roma multo majores fuiſſe dicendum foret, (quam 13 mill. ambitu conſtrictam fuiſſe probabitur) quod credibile eſt parum, nec ex verbis *Dionyſii* ſequitur, qui ait: *Quod ſi quis metiri ambitum ejus* (*Romæ*) *voluerit, conferat cum Athenarum urbe, nec multo major apparebit.*

# SYRACUSÆ

## SICILIÆ.

39.

RECtius quam de Athenis dictum eſt, judicare poſſumus de SYRACUSIS harum æmulis, & aliquando in bello quoque victricibus. Multa vero cum dici ſcribique poſſint de hujus urbis præſtantia, inſtituti memores ſaltem, quæ ad dimenſionem, partes & figuram ſpectant, conſiderabimus.

Partes urbis Syracuſarum.

40. Elegantiſſima partium ipſarum deſcriptio extat apud *Ciceronem* Oratione *in Verrem;* qui maximam eam eſſe & pulcherrimam Græciæ, tantamque, ut ex quatuor urbibus maximis conſtare dicatur, non veretur aſſerere. Ex qua adeo iſta ſolum annotabimus, ipſius Ciceronis verbis in compendium redactis. *Situ eſt,* inquit, *ea cum munito, tum ex omni aditu vel terra vel mari præclaro ad aſpectum. Portus habet prope in ædificatione aſpectuque urbis incluſos, qui cum diverſos inter ſe aditus habeant, in exitu conjunguntur & confluunt. Eorum conjunctione pars oppidi, quæ appellatur INSULA mari disjuncta anguſto ponte rurſum adjungitur & continetur.*

*Eſt adeo prima pars* Inſula, *quæ duobus portibus cincta in utriusque portus oſtium aditumque projecta exiſtit. In hac inſula fons eſt aquæ dulcis, cui nomen ARETHUSA, incredibili magnitudine piſcium pleniſſimus, qui fluctu totus operiretur, niſi munitione ac mole lapidum a mari disjunctus eſſet.*

*Altera urbs eſt Syracuſis, cui nomen ACRADINA, una lata via perpetua multisque transverſis diviſa.*

*Tertia urbs eſt, quæ TYCHE nominatur, quod in ea parte Fortunæ fanum antiquum fuerat, culta & habitata frequentiſſime.*

*Quarta autem urbs, quia poſtremum ædificata eſt, NEAPOLIS vocatur.* Hæc *Cicero*, hisque quatuor partibus abſolvit totam urbem Syracuſarum.

At *Strabo* quintam adjicit dicens: Πενταπολιςὴν τὸ παλαιὸν, & ambitum adjicit 180 ςαδίων ἔχουσα τὸ τεῖχος. Patetque facile intelligi ab ipſo quintam partem, EPIPOLAS, locum arduum urbique imminentem a parte maxime ſeptentrionali, cujus ſitus ex *Thucydide* & *Diodoro* ſatis accurate deſcriptus habetur. Tempore quo Athenienſes urbem obſidentes eam muro circumvallare conabantur, nondum pomœriis incluſa erat hæc pars. Sed *Diodoro* docente, *Dionyſius* maximis ſumtibus, apparatuque maximo, quo opus 20 diebus poſſet finire, comparato ad hanc partem murum produxit, eamque urbi incluſit, adeoque 30 Stadia circumitus ei adjecit. Hanc adeo partem, quod ædificiis parum frequens eſſet, videtur propterea *Cicero* neglexiſſe.

Ambitus.

41. Cæterum ex *Strabone* accuratum quoque ambitum diſcimus 180 Stadiorum vel 22½ mill. Romanorum.

Figura & vera magnitudo.

42. Non admodum tamen hac annotatione nos adjutum iri in æſtimatione vera magnitudinis ejus urbis, multoque minus de vera figura aliquid a nobis cognoſci poſſe apparet, niſi forent alia inſuper ſubſidia loci præcipue hodierni extantis ſitus, aliæque circumſtantiæ, quarum ductu TAB. II. Figura V. adjecta deſcripta eſt, deſumta a nobis ex Islæi Sicilia. Cujus adeo ope rectius, uti diximus, jam licet de magnitudine urbis hujus judicare.

Intelligimus enim vere a *Plutarcho* dici potuiſſe, Syracuſas eſſe urbem non minorem Athenis, imo verius hoc cognoſcimus. Dubium enim nobis non eſt, *Plutarchum* ex æſtimatione ſimplici ambitus utriusque urbis, quem 200 Stadiorum Athenis, 180 Stadiorum Syracuſis (& recentiorum quidem Stadiorum, quia *Strabonem* & *Plutarchum* eas, quæ ſuis, Romanorum nempe, temporibus uſitatæ erant, menſuras in mente habuiſſe certum eſt) competiiſſe vidimus, ad magnitudinis comparationem proceſſiſſe. At nos ex inſpectione figuræ, quam magis regularem deprehendimus, quam Athe-

Athenarum fuit, facile idem cognoſcimus.

Poſito enim, quod eadem figura propoſita ſatis ad juſtum accedat, accuratius etiam in Stadiis quadratis, qualia hactenus adhibuimus, aream ejus veramque magnitudinem enumerare poterimus. Eſtque ea 2820 ejusmodi Stadiorum proxime.

Loca extra urbem Syracuſarum.

43. Cæterum & hoc ex iſthac figura noſcimus, propius urbem hanc in ſe maximam fuiſſe etiam caſtella quædam aut ſuburbia, quale *Olympicum* vel *Olympium* & *Plemmyrium*. Quæ ſi ad ejus integritatem ſpectarunt, dicenda foret etiam major ejusdem amplitudo quam quæ propoſita eſt.

Hodiernus ſtatus.

44. Hujus vero celeberrimæ urbis partem inſularem noſtro tempore ſaltem reſtare, cæteris in nihilum redactis, ex figuris recentiorem ejus ſtatum exhibentibus diſcimus.

## ROMA Vetus.

45. Inter urbes majores, quæ ex antiquitate ad noſtra tempora perdurarunt, eminet ROMA, caput orbis pridem fere univerſi, ſaltem ejus tempore cogniti.

Atque de Roma moderna proxime cum agetur, ejus tum quantitas tum figura accurate poterit determinari. Eorum vero, quæ de hac conſtant, ope etiam de veteri licebit accuratius ſtatuere, quamvis imperfectæ ſint notitiæ apud veteres autores, utpote cum omnes in ambitu ſaltem aſſignando ſubſiſtant.

Controverſia de magnitudine veteris Romæ. Lipſii ſententia.

46. Controverſa autem eſt admodum hæc materia, dum alii veterem Romam multo majori ambitu contentam fuiſſe quam modernam rentur.

Noſtrum non eſt ad diſputationes cum ſingulis deſcendere, ſed ea unice, quæ *Lipſius*, ille magnitudinis Romanæ præco, in medium attulit, examinare, quo inde veræ ſententiæ confirmationem eliciamus.

Plinii aſſertio de iſthac magnitudine.

47. Scilicet, qualis ſit hodiernæ Romæ ambitus, ex ſchemate inferiori & ſcala ipſa diſcimus. Et hanc quidem prope ad 13 mill. Rom. accedere apparet, ſi ſpectemus regionem Ciſtiberinam, qualis a Romanis vocari ſuevit, pars ſcilicet ad orientalem ripam Tiberis, cum parte Transtiberina prope montem, quem Janiculum pridem vocabant, detracto partis circa Vaticanum ambitu.

Totidem vero etiam veteri Romæ dantur a Plinio L. III. c. 5. *Mœnia ejus collegere ambitu Imperatoribus Cenſoribusque Veſpaſianis* (anno ab ejus conditu 828) *paſſuum* 13200.

Aliorum de eadem aſſerta.

48. Manifeſtius quidem hiſce verbis eſt nihil. Interim tamen nonſolum juncta eis reliqua verba Plinii dubitationibus & variis opinionibus quibusdam anſam dederunt, *Lipſio* in libro de *Magnitudine Romana* præſertim, ſed & aliorum autorum.

Dionyſii Halycarnaſſ.

Et quantum ad hos quidem, *Dionyſius Halicarnaſſenſis* L. VIII. de Athenis agens, *quodſi*, inquit, *quis ambitum ejus metiri voluerit, conferat cum Athenarum urbe, nec multo major apparebit.* Quicquid adeo his verbis ſubſit, intelligi tamen, ambitus Athenarum & Romæ parum invicem juxta *Dionyſium* diſcrepasſe, clarum eſt. Athenarum ergo ambitus, cum 200 Stadiorum recentium fuerit, ſive milliarium Rom. 25 paulo majorem vel minorem Romæ circuitum fuiſſe, ex hujus ſententia probabile eſt.

Olympiodori.

*Olympiodorus* vero apud Photium ambitum Romæ 21 milliaribus i. e. 168 Stadiis finitum fuiſſe prædicat, dimenſione capta ab Ammone Geometra, tempore quo Gothi primam invaſionem fecerunt.

Martini Poloni.

Cui quantitati *Martinus Polonus*, qui *Lipſio* videtur ex veteri autore ſua deſumſiſſe, unum milliare addit: ſed aſſertum ſuum reſtringit ſolum ad regionem ciſtiberinam, *Romæ*, inquiens, *ſunt milliaria 22 præter Transtiberim & Leoninam Civitatem, cum quibus dicitur habere 42 milliar.*

 49. Quan-

Plinii aſſertio alia & ejus explicatio Lipſiana.

49. Quantum ad ipſius *Plinii* verba ſubſequentia, leguntur eadem in vulgatis quidem codicibus ita: *Ejusdem ſpatii menſura currente a milliario in capite fori Romani ſtatuto ad ſingulas portas efficit paſſuum per directum XXX millia* 765. *Ad extrema vero tectorum cum caſtris prætoriis ab eodem milliario per vicos omnium viarum menſura colligit paulo amplius* 70 *millia paſſuum.*

Abſurditates & contradictiones hujus lectionis cum in oculos incurrant, *Lipſius*, ducibus quaſi prioribus mox citatis autoribus, quos de mœnibus ipſius urbis loqui ponit, vel ſumit, correctionem & emendationem, non in ipſis ſolum ſed & prioribus verbis (quæ 13 millium ambitum muris dabant) attuliſſe viſus eſt plauſibilem.

Scilicet loco XXX millium & inſuper 765, quæ a Meta Romana vel milliari aureo urbis medium occupante ad portam quamlibet currere dicuntur, ſcribendum retur ∞ ∞ ∞ & 765 h. e. tria millia & 765. Ex quo ſuo craſſiorique ratiocinio colligit, poſita figura urbis ipſius circulari, ſcribendum eſſe eam in circuitu habuiſſe non 13 ſed $22\frac{1}{2}$ vel 23 (rotundiore numero) milliaria. (Pro qua quantitate ſi rectius calculum ſuum inſtituisſet, poſita diametro dupla ipſorum 3765 vel 7530 paſſuum, obtinuiſſet potius $23\frac{1}{2}$ milliaria Rom. vel accurate $23\frac{652}{1505}$ mill.). Denique pro LXX milliaribus usque ad Caſtra Prætoria ab ipſa meta aurea reponi jubet ſeptem. Creditque adeo ſe ita *Plinium* cum *Olympiodoro* & *Martino Polono* in gratiam reduxisſe; talemque fuiſſe Romanæ urbis ambitum utrolibet illorum autorum tempore.

Quæ ſi recte ſe habent, ſatis magna ſane prodit urbis hujus amplitudo. Quæ, ut cum amplitudine Babylonis urbis comparari poſſit, 7530 pedum Rom. millibus, quibus diameter urbis conſtabat, in Stadia vetera converſis, $110\frac{1}{2}$ Stadia vetera cum reſultent, apparebit, illam Diametrum urbis Romæ ſatis prope accedere ad latus unum urbis Babylonis 120 Stadiorum ejusmodi. Et quoniam viſum Lipſio ſupponere Romæ figuram circulari utcunque comparandam, prono alveo inde ſequitur, Romam habituram fuiſſe aream 9589 Stadiorum quadratorum, qualia Babylon comprehendit 14400: vel ſi Roma ipſa quadrata fuiſſet, quæ & Babylonis figura extitit, eam aream occupaturam fuiſſe talium 12210 Stadiorum. Unde numeris rotundis proportio areæ urbis Romanæ circularis ad Babylonem fuiſſet ut 2 ad 3, vel urbis Romanæ quadratæ ad Babylonem ut 61 ad 72, aut laxius ut 5 ad 6. Atque ita conſultum eſſet juxta *Lipſii* intentionem magnitudini urbis Romanæ, quam ut imperii vaſtitate, ita murorum amplitudine cæteras omnes urbes vincere debuiſſe ipſi videtur rationi maxime conſentaneum.

Lipſii exaggeratio major magnitudinis urbis Rom.

50. Sed hic eidem non placuit ſubſiſtere, verum hanc magnitudinem aliquo ſaltem tempore fuiſſe concedit, aliis vero temporibus etiam auctiorem fuiſſe credit. Et quidem urbis circumitum ad 44 vel 50 milliaria accedentem facit. Diximus de *Martino Polono*: & *Vopiſcus* de Aureliano memorat: *muros ſic ampliavit, ut quinquaginta prope millia ejus ambitus teneat.* Quod tamen opus perfectum *Probo Imperatori Zoſimus* tribuit.

Et huic adeo ſententiæ quoque accedit *Lipſius*, & auxilium vel fundamentum in verbis ſuperioribus Plinii, a ſe quidem correctis, quærit, creditque duplicem ambitum fuiſſe urbis Romanæ, unum de quo dixerat 23 milliarium, ex dimenſione diametri 7530 paſſibus æqualis, reſultantem. Alterum reſpondentem illi diſtantiæ & diametro, quæ excurrerat ad Prætoria usque caſtra, quæ in extremo urbis ſita fuiſſe conſtat. Quam cum juxta hanc correctionem ponat 14 milliarium, ſcilicet ſemidiametro ipſa a meta aurea ad caſtra prætoria obtinente 7 millia, inde conficit in hypotheſi Romæ ad circularem figuram accedentis circumferentiam 44. mill. ſi proportiones diametri & peripheriæ circulares Archimedæas ſequamur.

Lipſianæ ſententiæ examen & dubium contra eam I.

51. Verum enimvero, quamvis rerum Romanarum admiratoribus hæc placeant; multa tamen ſunt, quæ

quæ difficultatem creant eorum opinionibus. Et primo quidem ipſis iis, qui priori ambitu 23 mill. compingunt pomœria Romana, obeſt maxime, quod ipſe *Dionyſius Halicarnaſſenſis* & *Strabo* L. V. coarctent longe magis illa pomœria ſub ipſis Auguſti temporibus, ſub quo uterque vixit, & qui metam illam auream Plinio memoratam poſuit, a quo initium numerandarum diſtantiarum ab urbe Roma per omnem Italiam, imo orbem Romanum univerſum fieret.

Romæ ſtatus ante Auguſtum. Uterque enim incrementa urbis Romanæ ita deſcribit, ut primo Romulum urbem in *Palatino* monte ædificaſſe dicant, Montem *Capitolinum*, qui & *Tarpejus* & *Saturnius* dictus, a Tatio Sabino Rege additum & habitatum, montem *Quirinalem* a Tullo Hoſtilio pomæriis incluſum, *Aventinum* montem ab Anco Martio, Latinis in urbem ſuſceptis habitandum conceſſum, & ad quinque colles jam incluſos *Viminalem* & *Eſquilinum* a Servio Tullio adjectum aſſerant, ulterius vero neque Auguſti ævo ambitum urbis proceſſiſſe neget *Dionyſius*. Hæc ejus ſunt verba: *Ulterius vero nequenunc proceſſit urbis ambitus fato aut numine, ut ajunt, non permittente.*

*Strabonis* de hac re agentis L. V. ipſa verba afferre non abs re erit: *primi CAPITOLIUM, PALATIUM, & QUIRINALEM collem muniverunt, qui ab exteris ita facile conſcendi potuit, ut T. Tatius, quo tempore raptarum virginum injuriam ulciſcebatur, primo agreſſu ceperit. Ancus Marcius CÆLIUM montem & AVENTINUM, campumque his interjectum divulſa hæc & a ſe invicem, & ab iis, quæ antea muro concluſa erant, neceſſitate compulſus adjecit. Nam neque colles ita natura munitos extra pomœria relinquere videbatur commodum, quos hoſtis facile occupare poſſet, ac pro arce iis uti, neque perducere murum ad Quirinalem collem poterat. Quem defectum Servius arguit, qui complevit murum adjectis urbi ESQUILINO & VIMINALI collibus: quæ omnia cum facile extrinſecus adiri & capi poſſent, foſſam altam egerunt, terraque intro recepta aggerem ſex circiter Stadiorum in interiore foſſæ margine fecerunt, murosque & turres in eo conſtituerunt a Collina porta usque ad Eſquilinam.*

Hæc ſi recte ſe habent, quemadmodum de eis dubitare vix ſanus aliquis poteſt, minor longe erit pomœriorum veteris Romæ magnitudo AUGUSTI temporibus. Sequetur enim, ut ſpeciem ſaltem demus, totum *Martium Campum* & multo majorem partem regionis *Transtiberianæ* etiam inter *Vaticanum* & *Janiculum*, (nam Vaticanum ipſum poſterioribus temporibus demum additum nemo inficias ire poteſt) urbis ambitu excluſos fuisſe. Hujus rei illuſtrandæ cauſa nonſolum veteris Romæ laxioris & ſtrictioris figuram modulo communi reliquarum figurarum deſcripſimus TAB. III. Fig. VI ſed & paulo majori ſcala in Fig. VII exhibemus: deſumtam ex *Fabreti* elegantiſſimo de Aquæductibus Romanis tractatu, qui ſolus ad rem appoſita attuliſſe & artificis more in hac re verſatus videtur.

52. Difficultati huic occurrere ſe poſſe rentur, qui ſtatuunt, binos hoſce autores clariſſimos de pomœriis urbis maxime antiquæ ſtrictiſſime & arctiſſime ſumtis loqui, & qualia fuerunt initio regiminis Auguſti, non vero de ſuburbiis, jam tum longius excurrentibus. Hæc dein, *Lipſius* addit, partim ab Auguſto, partim Nerone, [poterat Claudium jungere,] intra pomœria recepta. De AUGUSTO id *Lipſio* admodum fit probabile, quod jam ipſe Julius Auguſti pater de campo Martio mœnibus includendo conſilia agitaſſe dicitur: Cæterum & *Dio* teſtatur, pomœria protuliſſe Auguſtum, notumque eſt ejus in amplificanda ornandaque Roma ſtudium. *Neronis* vero etiam conatus & abnormia conſilia nota exiſtunt, qui Oſtiamtenus muros promovere, & mare foſſa in urbem veterem deducere deſtinaverat. *Claudio* aliquam partem in hac re tribuit *Tacitus* & *Gellius*: & *Trajano* aliquid debetur juxta *Vopiſcum*. Exceptio Lipſii contra hoc dubium.

53. At vero ex eo, quod Imperatores hi aliquid urbi & pomœriis ejus adjecerint, non ſequi tantum Reſponſio ad exceptionem.

 tum

tum fuiſſe ejus ambitum, qualem *Plinius* juxta *Lipſium* facit, ex infra dicendis clarum fiet. Quantum idem ſit, quod urbi tunc ſub Auguſto reliquisque acceſſerit, non ex conjectura, ſed re ipſa, ex figuris mox comprobabitur.

Præterea in ipſis verbis Plinianis a Lipſio correctis remanet aliqua difficultas, cur cum ambitum Romæ, qui reſpondet minori ſemidiametro 3765 paſſuum aſſignaverit, ejus, qui majori ſemidiametro 7 milliarium reſpondet, nempe quæ a meta aurea ad Prætoria caſtra excurrens 7 milliaria continere dicebatur, non pariter fecerit mentionem, quod fieri debuiſſe, ſi ſibi ipſi conſtare voluiſſet, nec potius ſub verbis ejus aliud quid, quam *Lipſius* cenſet, lateret, videtur probabile.

Dubium a contra Lipſii ſententiam.

54. Contra illam vero plane exorbitantem 44 milliarium Peripheriam dubium aliud ingens promitur ex eo, quod Olympiodorus, qui ætate poſterior fuit Aureliano, utpote ſub Honorio vivens, de ambitu illo majori ſilet, & illum 23 ſaltem vel 22 milliarium memorat.

Exceptio Lipſii cum reſponſione ad eandem.

55. In promtu quidem eſt *Lipſio* reſponſio: fuiſſe enim retur hanc majorem peripheriam Aureliani tempore atque iterum deſiiſſe, rediiſſeque anguſtiorem ambitum temporibus, quibus ſcripſit Olympiodorus. Cum enim Conſtantinus ſedem imperii alio tranſtuliſſet, & una ſecum tot nobiles familias abduxiſſet, frumenti populo diſtribui ſolito trientem deduxiſſet, aulam denique & familiam principalem abſtraxiſſet, probabile admodum videtur ei, quod numero civium & incolarum minuto muris quoque Aureliani collapſis, iidem contracti & ad priorem ambitum reducti fuerint. Quæ quidem, ut facile dici poſſunt, ita ſuo loco relinqui debent, donec alia circa hanc rem argumenta excuſſa fuerint.

Argumentum Lipſii aliud.

56. Affert autem aliud ejus generis argumentum pro majori illa amplitudine vel 23 vel plane 44 mill. petitum ab ipſis partibus: de quarum dimenſione *Victor* & *Rufus* expoſuerunt libris de Regionibus urbis Romæ. De omnium partium ambitu ex adjecta tabella conſtare poterit.

Regiones urbis Romæ, earumque ambitus in pedibus Romanis juxta

| | P. Victorem. | | Rufum. |
|---|---|---|---|
| 1. Porta Capena - - - - | 13223 | alias 12222 | 14222 |
| 2. Cœlimontium - - - - | 13200 | 12200 | 13200 |
| 3. Iſis & Serapis & Moneta - | 12450 | | 12450 |
| 4. Templum pacis - - - | 14000 | 13000 | 18000 |
| 5. Exquilina cum turri & Colle Viminali - - - | 15950 | 15900 | 15950 |
| 6. Alta ſemita - - - - - | 15600 | | 15600 |
| 7. Via lata - - - - | 13700 | 12700 | 13700 |
| 8. Forum Romanum - - | 14867 | 12867 | |
| 9. Circus Flaminius - - | 30560 | 30500 | |
| 10. Palatium - - - | 11600 | 12600 | |
| 11. Circus maximus - - - | 11600 | 11500 | |
| 12. Piſcina publica - - | 12000 | | |
| 13. Aventinus - - - | 16900 | | |
| 14. Trans Tiberim - - - | 34489 | | |

Sumit adeo *Lipſius* exempli loco regionem Aventini montis, quam ait 33488 pedum fuiſſe, & alias eſſe partes quoque 30 millium pedum, 16 millium pedum circuitus. Ex quo conſequi putat immenſam colligi ſummam omnium junctim partium.

Reſponſio ad argumentum Lipſii.

57. At quantum in ſpecie ad Aventini montis regionem ſpectat, ejus ambitus in aliis editionibus *Victoris*, ut ea ipſa, quam ex *Grævii* theſauro deſumtam exhibuimus, alia eſt, pedum nempe 16900. Qualis quidem etiam melius reliquis dimenſionibus in figura noſtra quadrat, ut adeo falſa

falſa lectione ad infeliciter judicandum & rem exaggerandam inductus dici poſſit *Lipſius*. Præterea reliquarum partium dimenſiones nullatenus eſſe ita comparatas, ut non eædem intra ambitum mœnium Romæ modernæ compingi posſint, facile experimentum capi poteſt.

Argumentum decretorium contra Lipſium ejusque contra illud exceptio.

58. Ergo potius manet illa difficultas, quam maximam ſibi quoque *Lipſius* proponit: *at muri*, inquiens, *hodierni contra nos ſunt*.

Ad quam tamen iterum ipſe reſpondere conatur ſic: negando eosdem eſſe veteres. Multoties enim Romam dirutam, incenſam, vaſtatam iterumque inſtauratam & refectam. Honorium contraxiſſe, poſt Beliſarium, Narſetem, denique & Romanos Pontifices. Et quantum ad hos, ex *Blondo* conſtare dicit, *Hadrianum* primum muros eos, qui nunc extant, centenis aureorum millibus ex Thuſcia contractis, extruxiſſe.

Reſponſio ad exceptionem Lipſii.

59. Verum nemo æquior facile diffitetur, nullam convictionis vim huic reſponſioni ſubeſſe, æque ac ſuperiori de muris Aureliani ad ambitum Plinianum reductis. Unde eis inſuper habitis, hoc conſiderandum proponimus quod rem conficit: nempe quod omnia antiquitatum veterem Romam ornantium monumenta intra ambitum murorum recentium comprehenſa oſtenduntur, & inſcriptionum argumentis (nam traditioni meræ & ſimplici nil crederemus) confirmantur. Præterea quæ extra Romam fuiſſe, ut aquæductus aliaque in veteribus monumentis referuntur, extra muros hodiernæ Romæ viſenda ſunt & exiſtunt. Tandem quoque uti dictum, ambitus partium vel regionum urbis ſingularum in tabula ſuperiori propoſitarum, more quo idem ab annotatis autoribus computari ſuevit, intra pomœria illa apprime quadrat. Ita vero in ambitu cujusvis partis ſignando verſantur hi autores, ut eadem dimenſio, quæ duabus partibus contiguis communis eſt, bis ſumatur vel in iſtis tabulis proponatur. Quo fit etiam, ut ex ſumma ambitus figurarum iſtarum minorum, intra majorem, quæ omnes complectitur, deſcriptarum, quantumvis magna eadem videatur, nihil concludi poſſit.

Ergo jam non argumentis & argutiis, ſed re ipſa & oculari inſpectione, non judicio ſolum mentis, ſed & auxilio imaginationis per figuras pictas deſcriptasque ærique inciſas de hac controverſia ſtatuere poſſumus; manetque plane, Romam ipſam veterem ſub Imperatoribus primis Auguſto, Nerone, Trajano, majorem Roma, qualis præſens eſt, non fuiſſe. Imo intuitu regionis Vaticani M. quæ poſterius demum & Chriſtianorum Imperatorum tempore adjecta eſt, veterem Romam hodierna etiam minorem fuiſſe.

Utriusque comparatio, atque etiam quænam in ſpecie poſt Auguſtum adjecta fuerint vetuſtiſſimis pomœriis, figuræ noſtræ perſpicue docent, ut verbis non opus ſit amplioribus.

60. Neque adeo dubitamus & ipſi judicio accedere *Islæi* acutiſſimi, qui pariter repudiata *Voſſii* (qui & ipſe de magnitudine urbis Romæ pro admiratione, quæ plurimos tenet, rerum Romanarum judicavit, & 30. milliarium ambitum propugnavit) ſententia in ſupra laudata ſua diſſertatione ſecundum nos judicium tulit. — Autorum aliorum conſenſus.

*Alexandri Donati* aliorumque huc ſpectantium autorum Opera laudare hic non eſt neceſſarium, alias nota. Quorum tamen omnium fere ſententiæ huc etiam collimant, quo diximus.

61. Si quærere tandem placeat pro perfectiori æſtimatione magnitudinis inſtituenda, quænam demum area fuerit hujus urbis mœnibus concluſæ; Ut ei quæſtioni reſpondeamus modo expeditiſſimo, ſumetur pro fundamento a nobis figura inferior a *J. B. Falda* deſcripta, tanquam cui in hac quidem parte prærogativam præ Fabretiana ſuperiori concedendam cenſemus. Qua ſub examen vocata, prodibunt pro area Ciſtiberinæ orientalis partes 1119, pro Transtiberina (a qua Vaticanam regionem excluſam oportet) parte 104 Stad. quadrat. proxime. In ſumma 1223 Stadia — Magnitudo veteris Romæ accurata.

qua-

quadrata, qualia ſupra adhibuimus in dimenſione Babylonis.

*Suburbia Romana.* 62. At vero dum de ambitu ipſis mœnibus concluſo, ſive de urbe ipſa hæc dicta ſint, non eſt animus contra ire, cum de ſuburbiis ſermo eſt. *Lipſius* quidem ultra ſua pomœria ea ſuburbia inſuper adjicienda retur, gaudetque admodum de paradoxa hac magnitudine.

Nos vero contigua quidem illa ſuburbia concedimus mœnibus mox indicatis, eadem vero quam longiſſime extenſa fuiſſe, & magnificentiam adeo urbis auxiſſe nulli dubitamus. Facile enim hoc ut credamus, ipſius *Dionyſii* hoc aſſeverantis autoritas facit. Is autem omnia loca circa urbem habitata ſine mœnibus eſſe ait, *In quæ ſi quis intuens magnitudinem Romæ exquirere velit, fruſtra eum fore, & hæſurum, ubi deſinat urbs, ubi incipiat. Adeo ſuburbana ipſi urbi cohærent & innexa ſunt, & ſpeciem immenſæ longitudinis præbent ſpectanti.*

Ad Oſtiam uſque & verſus mare ipſum eadem procurriſſe partim aliunde conſtat, partim ex *Ariſtidis Rhetoris* dicto: *Deſcendit item & porrigitur ad mare ipſum, ubi commune eſt emporium & omnium e terra genitorum diſtributio*, *partim ex Neronis, de quo diximus, conſilio intelligitur. De eo ſic Suetonius: Oſtiam tenus mœnia promovere atque inde foſſa mare veteri urbi inducere deſtinarat.* Non minus vero ipſa Oſtia Roma quam 16 vel 17 mill. diſtabat. Unde aſſertio eorum, qui illa ad Ariciam & Tibur eadem vel paulo majore diſtantia exiſtentes, procurriſſe ſtatuunt, non adeo redditur abſurda. Etſi aliis, illa loca villas potius ſuburbanas quam partes ſuburbiorum fuiſſe, non minori ſpecie veri aſſeratur. Interim non continua hæc ædificia fuiſſe, quivis facile aſſequitur.

Longiſſime vero procurrentes haſce partes infiniti cujusdam ſpeciem admiratoribus, vel & adulatoribus, præbuiſſe non eſt mirum. Quam ideam oratoria ſane vel rhetorica ratione nobis pingit mox dictus *Ariſtides*, qui *tantam Romam eſſe* ait, *ut in quacunque parte quis conſtiterit, nihil impediat & in media eundem eſſe.*

Cæterum quia nullius determinatæ figuræ hæc ſuburbia concipi poſſunt, rationem areæ & magnitudinis eorum nec menti per numeros, nec imaginationi per ſchemata exhiberi poſſe palam eſt.

## CONSTANTINOPOLIS
### VETUS.

63.

*Figura Conſtantinopolis veteris.* Conſequens videtur, ut etiam de *nova Roma*, ſive CONSTANTINOPOLI, qualis pridem fuit, hic dicamus.

Equidem & ejus delineationem, qualis hodie ſub Turcis viſitur, infra juxta relationes & deſcriptiones recentiores exhibemus: ex quibus de ejus præſenti magnitudine accurate judicabitur.

At vero etiam hoc commodum in præſenti inquiſitione de veteri Conſtantinopoli ſub Imperatoribus Chriſtianis, & paulo ante quam a Turcis occupata eſt, exiſtit, quod & de ejus figura ex Schematibus jam deſcriptis judicium fieri poteſt. Facilius etiam hoc fieri quam aliis urbibus poſſe, inde patet, quia naturalibus maxime limitibus circumſcribitur, (ex tribus ſcil. partibus) qui non adeo facile mutationem ſubeunt. Arte vero factus reliquus murus ita eſt comparatus, ut de ejus antiquitate pariter dubitare non liceat, præſertim extantibus partim monumentis aliis, partim ſcriptis doctiſſimis, quibus antiquitates Conſtantinopolitanæ celebratæ exiſtunt.

Exhibemus adeo in TAB. III. Fig. VIII. delineationem ejus urbis ad ſcalam reliquarum factam, deſumtam ex Cel. *Bandurii* Opere, ſtatum ejus urbis exponente, qualis ſub Honorio & Arcadio fuit. Expreſſis etiam Suburbiis, quæ Celeb. Viro eo tempore videntur fuiſſe. De quorum veritate vero vadimonium non præſtamus.

Area Conſtantinopolis veteris.

64. Quodſi & hic area deſideretur, excluſis tamen ſuburbiis, erit eadem Stadiorum quadratorum 1173 veterum, qualia in Babylonis menſura adhibuimus.

Dubium circa dimenſiones urbis Conſtantinopolitanæ.

65. Sed diſſimulare non poſſumus, *Bandurii*, quam dedimus, deſignationi videri non convenire cum iis, quæ de urbe Conſtantinopolitana extant in *Pancirolli* Notitia Imperii Romani. Juxta eam enim longitudo illius urbis a porta aurea usque ad littus maris directa linea eſt pedum 14075. Per quos ſi intelligas Romanos, erunt iidem 12951 ped. Pariſ. Hexapodæ vero 2160 rotunde; ſin intelligas Græcos pedes, erunt iidem 13488 ped. Pariſienſes, vel Hexapod. 2248. At juxta *Bandurium* foret eadem longitudo 2730 Hexapod. Pariſienſium. Latitudo urbis juxta notitiam eſt 6150 pedum. Qui ſi ſint Romani, æquipollebunt 5798 ped. Pariſinis vel 966⅓ Hexapod. Pariſ.; ſin Græci, æquipollebunt 5893 ped. Pariſ. 982 Hexapodis.

Verum quemadmodum autor ille plane nihil dixit, dum de latitudine in figura adeo irregulari ſine mentione loci, ubi dimenſio aliqua inſtituenda, dixit: ita etiam, quod pedum ſuorum quantitatem divinandam reliquit, nihil hactenus etiam de reliqua inter eum & *Bandurium* differentia, quod ſtatui posſit, dicendum erit.

# *ALEXANDRIA Ægypti.*

66.

ALEXANDRIÆ Ægypti ab autoribus celebratur magnitudo, inde ab ortu ſuo ad magnificentiæ ſui Conditoris proportionem ſtructæ, de qua hic præcipue loquimur. Nam poſtea eam a ſucceſſoribus Regibus auctam & ſuburbiis variis ornatam, quorum vero ampliſſimum ab Auguſto conditum, & Nicopolis nomine donatum, etſi non modica diſtantia ab ipſa urbe remotum, conſtat.

Diſſenſus autorum circa dimenſiones Alexandriæ.

67. Varie tamen de ea urbis propriæ magnitudine loquuntur autores, de figura conſentiunt. *Strabo* LXVII. *Urbis ſolum chlamydis figuram habet, cujus latera, quæ in longum tendunt, aqua circum alluuntur 30 Stadiorum fere habentia diametrum: latera vero, quæ in latum ſunt, Iſthmi ſunt ſeptem vel octo Stadiorum, hinc mari, hinc lacu, allutorum.*

*Plinius* L. V. c. 10. *Metatus eſt eam Dinocrates Architectus pluribus modis memorabili ingenio, XV. mill. paſſ. laxitate inſeſſa, ad effigiem Macedonicæ chlamydis orbe gyrato laciniosam, dextra lævaque anguloſo procurſu, jam tum tamen quinta ſitus parte regiæ dicata.*

Credibile eſt, *Plinium* de toto ambitu voluiſſe loqui, quem adeo facit 120 Stadiorum, ſi 8 Stadia in mill. Rom. computentur. Ex *Strabonis* vero verbis duplicata longitudine itemque latitudine 75 vel 76 ſaltem producuntur Stadia. Nam *Strabonem* uſum eſſe menſura Stadiorum recentiorum extra dubium eſt: unde illa 75 vel 76 Stadia novem ſaltem cum dimidio milliaria efficiunt, non vero 15, qualia vult *Plinius*. Quod ſi quantitas illa 75 Stadiorum recentiorum apud *Strabonem* reducatur ad vetera, reſultabunt ad 137 ejusmodi Stadia.

*Plinium* ſuburbia quoque ſuo ambitu complecti voluiſſe dubium, ex utraque enim ſeptentrionali & auſtrali parte nulla erant, hinc mari, hinc lacu Mareja alluente mœnia. Occidentale ſuburbium Necropolis dictum parvi momenti videtur fuiſſe, præſertim *Strabonis* & *Plinii* tempore. *Strabo* enim templa ipſa Necropoleos ob Nicopolis viciniam & incrementa deſerta fuiſſe teſtatur. Nicopolis autem, quæ ad orientem erat ſuburbii loco, 30 Stadiis ab ipſa urbe aberat. Ergo dum *Plinio* cum *Strabone* circa ipſa urbis mœnia non convenit, ſuſpicari licet *Plinium* numerum 130 vel 120 Stadiorum, quem in veteribus autoribus invenit, huic circuitui tributum pro recentioribus habentem, reductionem minus juſtam inſtituiſſe, & ex Stadiis veteribus 120 vel 130 feciſſe 15 mill. Rom. Sed aliorum eſto judicium.

Facilius idem foret, ſi in recentioribus quoque autoribus murorum horum etiam nunc extantium proderetur juſta dimenſio. Nullus vero, qui idem præſtet, nobis ad manus eſt. Paulus Lucas vaga & ſuperficiaria menſura uſus, longitudinem milliaris germanici eſſe judicat.

## ALIÆ URBES MAGNITUDINE INSIGNES.

67. Memorantur quidem plurimæ aliæ urbes magnitudine celebratæ CAPUA, ANTIOCHIA AD ORONTEM, MEMPHIS, SELEUCIA AD TIGRIM, (etiam COCHE dicta, diſtinguenda a SELEUCIA, quæ SOLOCE, nomine ſine dubio ex priori corrupto, appellata eſt in Elymaide ſita) quam magnam eſſe oportuit, quia ad exhauriendam Babylonem incolis facta.

Sed quia nobis de dimenſionibus earum apud autores nihil notatum occurrit, non niſi tanquam in tranſitu commemoratio earum a nobis fieri poteſt.

Hieroſolymæ magnitudo.

68. HYEROSOLYMA VETUS quibusdam etiam videtur propter magnitudinem commendanda. *Relandus* p. 836 ſq. ex *Joſepho* oſtendere ſategit, ejus ambitum 33 Stadiis ſaltem contentum fuiſſe, unde inter mediocres plane eadem referri mereretur; etſi celebritate nominis, ſanctitate religionis, & templi magnificentia inter maximas merito haberi poſſit. Ratio vero *Relandi* potiſſima petitur ex ipſo *Joſepho*, qui vallum, quo Hieroſolyma univerſa a Tito Veſpaſiano cincta fuit, Stadiorum 39 ambitum habuiſſe aſſerit, quo adeo minorem mœnium ambitum fuiſſe videtur rei naturæ conſentaneum. Verum nec eſt diffitendum quoque, non ſolum alios autores majorem illum murorum circumitum prodidiſſe, qualis *Strabo*, qui 50, *Hæcatæus Abderita*, citatus ab ipſomet *Joſepho* L. contra Apionem, qui pariter 50, *Timochores* & *Ariſtæus*, qui 40 Stadia memorat: ſed & ipſum *Joſephum* alio loco, quem Relandus quidem pariter in ſuum ſenſum interpretatus eſt, aliter de eo ſentire. Nam turrium in muro exteriori numerum fuiſſe 90, & quamlibet earum ab altera 200 cubitorum diſtantiam habuiſſe aſſerit. Quos cubitus ſi interpretemur Romanos, eosque adeo ſesquipedis faciamus, circumferentia 18000 cubitorum, 27000 pedum Romanorum fuerit. Qui cum dent $5\frac{2}{5}$ mill. Rom. vel ſtadia $43\frac{1}{5}$, videri poterat, mendum eſſe in numero 33 ſtadiorum, qui in altero loco *Joſephi* occurrit, & ſcribendum 43: ac proinde etiam ambitum valli Veſpaſiani majorem fuiſſe credibile foret, & forſan 49 Stadiorum.

Sed in re adeo dubia nihil nobis definiendum ſumimus. Videbatur nobis aliquando conciliationem quærendam in conſideratione diverſarum ætatum, concedendumque, *Hecatæi* temporibus majorem fuiſſe, Romanorum ætate minorem ambitum hujus urbis. Vixit vero *Hecatæus* Alexandri temporibus, cum eo nutritus & cum Ptolemæo Lagi commoratus. Sed non erat, cur in hac ſolutione acquieſceremus; quia dubium maxime, an Alexandri & Perſarum temporibus majorem Hieroſolymæ ambitum fuiſſe quisquam conceſſurus ſit, tempore ſcilicet, quod propius reditui ex Babylonica Judæorum ſervitute fuit, quam ætate Romanorum, & poſtquam eadem a Maccabæis regibus & Herode mirum in modum aucta, & confluxu Judæorum ex remotiſſimis gentibus, inter quas morabantur, frequentiſſima reddita fuerat. Quodſi vero quis ambitum eundem utroque horum temporum fuiſſe reatur, ſed menſuræ ſaltem genus diverſis hiſce ætatibus diverſum, eam ſententiam & ipſam in medio relinquere rectius forſan fuerit.

69. De TYRO ita *Plinius* L. V. c. 19. *Tyrus quondam Inſula mari ſeptuagenis paſſibus diviſa, nunc vero Alexandri oppugnantis operibus continens. Et mox: Circuitus XIX mill. paſſ. eſt intra Palætyro incluſa. Oppidum ipſum 22 Stadia obtinet.* Tyri magnitudo.

Quî dici poſſit, ambitum eſſe 19 milliarium Roman. oppido ipſo 22 Stadia h. e. $2\frac{3}{4}$ mill. Rom. ſaltem obtinente, ut eſt non expeditum; ita quoniam ad enodandam hanc difficultatem videntur facere verba *Scylacis*, eadem adſcribere

cum

cum textu Græco non gravabimur. Ita autem de inſulari Tyro, antequam Peninſula fieret, Βασιλεια Τυρου και λιμην, ὁσον Η ϛαδια ἀπο γης. Regia Tyri & Portus 8 circiter Stadia a Tyro diſtans. Ἀλλη πολις τυρος λιμενα ἐχουσα ἐντος τειχους (αὐτη δε ἡ νησος βασιλεια Τυριου) και ἀπεχει ϛαδια ἀπο θαλαττης Γ, Παλαιτυρος πολις, και ποταμος δια μεσης ῥει. *Alia urbs Tyrus portum habens intra muros (ipſa autem Inſula eſt Regia Tyrii regis) & abeſt a mari Stadia III. Vocatur hæc urbs Palætyrus; quam fluvius mediam perlabitur.* Hæc adeo cum Pliniano aſſerto comparata hunc eidem ſenſum tribuendum inſinuare videntur: Quod Tyrus incluſis omnibus partibus, inſulari & Palætyro, interjectoque aggere in continentem vel Iſthmum jam converſo aliisque ſuburbiis 19 milliarium ambitum complexa fuerit, ipſum primarium oppidum in inſula vel jam peninſula ſitum 22 ſtadiorum circumitum obtinuerit.

## *BOCARA.*

70.

Antequam ad peregrinas urbes recentiores veniamus, unico verbo licebit BOCARÆ mentionem facere celeberrimæ urbis in SOGDIANA, quam nunc MAWARALNAHARAM, item ZAGATAYAM vel USBEKIAM vocant. Primaria eſt fere ejus tractus, præter Samarcandam, pridem commerciis & virorum doctorum proventu celebris. Nunc etiam ab eadem Tatariam Bucaricam denominant.

De ea ita *Abulfeda* in geographico ſuo Opere: *Murus unus continuus Bokaram ejusque villas & arva circumcingit XII. fere paraſangarum.*

Satis ergo amplus circuitus iſte, quia intelliguntur paraſangæ non ut ſupra veteres, ſed recentes, quales Arabibus uſitatæ 3 milliarium Arabicorum. Quæ tamen vagæ ob inconſtantiam Arabum in ſuis ipſismet milliariis, ut plurimum tamen cenſeri poſſunt ejus generis, quorum 22 reſpondent gradui circuli maximi telluris.

Verum ex verbis ipſis apparet, non de pomœriis urbis ſermonem eſſe, ſed de munitione, quam Romani veteres vallum dixere, quod ex terra fieret, quam v. Græci veteres ſæpe ex lapidibus fecere, murique propterea nomen ei dedere, quæque tandem apud noſtros Lineæ nomen, militari ſenſu, vel Circumvallationis, *Retranchement* nomen fert.

71. Similes erant MURI alii, quales fuere, quos Græci temporibus diverſis in Iſthmo Peloponneſi fecere; qualis ille, qui ab *Anaſtaſio Imperatore* circa territorium Conſtantinopoleos circumductus, & a *Juſtiniano* eſt perfectus, murique magni appellationem per excellentiam geſſit; qualis, quem Imperatores Græci in Iſthmo Cherſoneſi Helleſpontii duxerunt ab eodem *Juſtiniano* refectum. Huc etiam referri poteſt *murus Mediæ* dictus, a *Xenophonte* deſcriptus *L. II. Expeditionis Cyri*, extructus opere lateritio & bitumine, latitudinis 20, altitudinis 100 pedum, longitudinem habens 20 paraſangarum veterum. Cujus de Sinenſi muro tanquam in hoc genere unico vel ſaltem maximo, ut notiſſimo nihil dicimus, præterquam hoc unicum: ex recentioribus relationibus & mappis ipſis Haldianis nobis jam innotuiſſe quoque de alio muro Sinenſi-Tatarico, etſi non ex materia ſolidiori & lapidea, ex qua prior conſtat, ſed ex palis atque vallis facto, provinciam LEAO TONGENSEM, quæ alias extra murum lapideum fuerat, cingente, atque etiam ulterius excurrente, propter amplitudinem adeo æque extraordinariam & admirandam commemoratione non indigno.

Muri magni.

 SECTIO

# SECTIO ALTERA.

## *De Urbibus recentioribus, & quidem I. exoticis,*

## *EXTRA SINAM.*

I.

Urbium recentiorum majorum major magnitudo quam veterum.

AEque magnum vel potius majorem numerum exiſtere urbium magnitudine ſua inſignium hodierno tempore, quam pridem, palam eſt omnibus. Et obſervatione dignum eſt, in genere omnes fere urbes celebriores majorem ambitum, quam pridem habere. Et quæ antiquis temporibus celebres fuerunt urbes, jam mediocrium fere ordine cenſeri. Argumento eſt, quod hodienum extantium pomœria intra ambitum recentiorum reperiantur, amplitudine ſatis modica. Exempla centum poterant afferri, ſed *Auguſtam Vindelicorum* & *Maſſiliam* ſaltem citare liceat, item *Divionem*, quarum muri veterem ambitum comprehendentes, etiamnum ſpectandi, exiguam comprehendunt aream, vix tertiam quartamve partem recentioris. Ut nihil de *Lutetia Pariſiorum* dicamus, quæ exiguis inſulæ finibus continebatur, etſi caput Provinciæ eſſet.

Major numerus magnarum urbium in Oriente.

Majorem vero etiam nunc, ut pridem, amplarum ejusmodi urbium numerum reperiri in orientalibus regionibus, quam occidentalibus, diffiteri nemo poteſt. Nam CAHIRÆ vel CAHIRI Ægyptiæ, ISPAHANÆ Perſiæ, AGRÆ, DELLYÆ, AMADABADI Indicarum, aliarumque ex Indicis urbibus magnitudinem fama celebrari quis neſcit?

Verum quoniam accuratior notitia dimenſionum, multoque magis figura earundem nobis deeſt, hic loci earum rationem habere non poſſumus. Imprimis cum & dubia circa eas occurrant, ut in multis exaggerationis aliquid locum habere ſuſpicio ſit, quorum diſcusſio res altioris indaginis.

Cahiræ ſpecialior conſideratio.

2. Certe parum expedita ſunt, quæ apud autores traduntur de magnitudine CAHIRÆ, quæ & *Meſr*, pridem etiam *Toſtat* dicta, Memphi veteri ex altera fluminis parte oppoſita. Pluribus eam partibus conſtare notum, VETERI & NOVA Caira, quibus præter ſuburbia prægrandia accenſeri quoque ſolet BULAC. Totius ex his conſtantis longitudinem quidam 10 vel 12 leucarum faciunt, & latitudinem 8. Quales intelligantur Leucæ, etſi non exprimant autores hujus generis, qui morem vulgi ſequuntur, ita ut non conſtet, an 22 vel 22½ earum in gradu computentur (quales vulgo horariæ vocantur) an vero Leucæ Gallicæ majores, quarum 20 gradum efficiunt, aut etiam minores, quarum 25 numerantur in gradu; tamen ſi vel maxime eæ ſint ex poſtremo genere, ingens orietur, dimenſionibus his datis, capacitas interior, etſi ex partibus tribus invicem non modica diſtantia disjunctis eam conſtare admitteretur. Quam tamen non incredibilem eſſe oportet ei, qui locum det aſſertioni peregrinatoris ex noſtratibus *Franciſci de Troilo*, qui, cum iter ad Sinai montem ingrederetur, a diverſorio, quod non plane ad extremum novæ urbis ſitum erat, 2 integris horis cito gradu equo vecto ſibi opus fuiſſe, ut ad veterem urbem perveniret, dein vero per veterem urbem, eique junctum ſuburbium novem integras horas ſe impendere coactum teſtatur. Quamvis ſibi ipſi hic non conſtet, & alibi urbis Diagonalem ab uno ad alterum extremum 4 horarum, ambitum univerſum 9 horarum faciat. Nec magis nos juvant, quæ *Gemellius* de hac urbe exponit. Cahirum ait (hoc ſine dubio intelligens de novo) formæ eſſe triangularis. Porro, cum novam illam urbem circum-

circumiret aſino vectus, qui expedito ibat gradu, opus ſibi fuiſſe $2\frac{1}{2}$ horis. Unde ambitum colligit ipſe 10 milliarium Italicorum vel ſexagenariorum, excluſis vetere Cairo, Bulac & ſuburbiis. Veterem urbem videri prodigioſæ magnitudinis fuisſe, indicantibus hoc ruinis. Nec tamen ita junctam exiſtere utramque urbem, quin interſtitia intercedant non modica. Nam quo perveniret adveterem urbem, transeundum ſibi fuiſſe per $2\frac{1}{2}$ milliaria de nova urbe, & tantundem quoque ſpatii vel campi inter utramque.

Quod ſi NOVA CAHIRA triangularium figurarum haberet eam, quæ eſt capaciſſima, nempe trianguli æquilateri, invenimus latus ejus unum habiturum 60 fere Stadia vetera, quibus hactenus in dimenſione urbium hujus Tractatus uſi fuimus, & aream futuram 1195 Stadiorum talium quadratorum. BULAC dicitur habere duorum fere mill. Italicorum longitudinem, unius latitudinem. Sed cum veteris urbis & ſuburbiorum, quæ ad integrum hoc ſpectant, nulla accuratior extet determinatio, quid eorum ſententiæ ſubſit, qui totius Cahiræ magnitudinem quadruplam faciunt urbis Pariſiorum modernæ, neſcire cogimur.

3. ISPAHANÆ Perſiæ 10 Leucas in circuitu, comprehenſis tamen ſuburbiis, tribuunt, Kæmpfero dicitur habere 16 Paraſangas, & biduo eam circumiri ab equite vix poſſe. *Iſpahana Perſiæ.*

## II. *DE URBIBUS EXOTICIS SINENSIBUS ET JAPANENSIBUS.*

4.

*Sinenſium urbium magnitudo & regularitas.*

MUlto vero maximum numerum magnarum urbium occurrere in Sinenſi Regno, decantatum eſt apud omnes. Quod provenit a ſingulari Architecturæ genere, dum metu ſcilicet terræ motuum nimis frequentium ædes faciunt unius ſaltem contignationis, easque in latum potius extendunt, quam in altum extollunt.

Et de harum quidem magnitudine facile eſſet judicium, ſi omnia ſe haberent ſimpliciter, quemadmodum vulgo & apud plurimos de iis prædicatur, vel ſi non ea, quæ de his dicuntur, cum grano ſalis & limitatione aliqua eſſent accipienda.

Vulgo enim ſimpliciter de iisdem prædicant peregrinatores, qui relationes de hoc regno compoſuerunt, urbium fere omnium præſertim primariarum figuram eſſe parallelogrammam rectangulam, vel ut loqui amant, quadratam.

At vero, quantum ad numerum, etſi de plurimis valeat, affectare Sinenſes quoad usque licet, vel magis quam alias nationes, figuram hancce quadratam, certum tamen eſſe deprehendimus, non paucas urbium harum, de quibus confuſe narratur ſub cenſu regularium eas comprehendi, eſſe plane irregularis figuræ, & eas, quæ magis accedunt ad regularitatem, tamen eam non ſemper obtinere exactam.

Docent nos de hac re accuratius non ſine aliqua voluptate recentiſſime editæ tabulæ & Icones operis Sinici *Haldiani*, ex quo infra quædam afferemus.

5. Quantumvis tamen non in omnibus obtineat urbium Sinenſium regularitas, tamen in eo, quod circa plurimas ea obſervetur a Sinenſibus, certum eſt, illas praerogativam mereri inſignem præ occidentalibus plerisque, qui in condendis urbibus contrariam quaſi viam ſectantur, adeo irregularitati ſtudentes, ut eæ Labyrinthorum inſtar eſſe aliquando, & conditores earum ejuraſſe omnem pulchritudinis atque ordinis ſenſum videantur. Scilicet qui rebus publicis gubernandis præſunt, eorum pauci Architecturæ & aliarum quoque ipſis admodum proficuarum ſcientiarum notitia utplurimum inſtructi ſunt, itaque quæ providentia opus haberent, caſui & fortunæ permittunt. Ita urbium primariarum partes nulla adhibita regula componi ſucceſſive ſecure patiuntur, unde abnormitas figuræ pudenda oritur. *Urbium in occidentalibus regionibus irregularitas.*

Excipiuntur ſoli Hiſpani, in regionibus transmarinis, America nempe degentes, (quos jam imitantur aliæ quoque nationes in eandem orbis partem colonias ducentes) qui morem eum obſervant, ut urbium ſuarum plateas ad normam & amuſſim figura quadrata deſcribant. Et plerumque quidem ſecundum *Quadras*, ut vocant, i. e. talia quadrata, quorum latus unum eſt 150 *Varrarum Hiſpanicarum* vel 64 *Hexapod. Gallicarum* easdem diſponunt. In quibus tamen hoc taxandum videtur, quod ſimpliciter ſecundum plagas mundi cardinales vicos vel plateas ſuas dirigere ſoleant, non ſemper attento ſitu atque indole loci, & fluvii eam præterlabentis, ſecundum cujus alveum parallelω, ſi ducerentur lineæ vicorum, habiturum hoc eſſet multo plus decoris & magnificentiæ. Inſpici in hunc finem merentur ſaltem deſcriptiones LIMÆ urbis, Peruviani regni metropoleos, item S. JACOBI Chilienſis provinciæ primariæ apud recentiorem Peregrinatorem *Frezerium* elegantiſſime expreſſæ, quarum illa & infra exhibebitur, (etſi propter ſpatii anguſtiam ſine delineatione vicorum ipſa). Sed hæc in tranſitu.

De menſuris in ſchematibus urbium Sinenſium adhibitis. Leucæ

6. Quantum ad urbes Sinenſes, quas in comparationem hic adducimus, ſciendum de menſuris earum: duplex potiſſimum genus earum apud autores occurrere, vel *Leucarum* earumque *Gallicarum*, quia maxima pars Miſſionariorum, unde notitiam earum habemus, e Gallica gente exiſtunt, & *Li* Sinenſium.

De *Leucis* Gallicis etſi duum generum ab iis uſurpantur, vicenariæ & quinivicenariæ, ſive quarum 20 & 25 faciunt gradum telluris ſphæricæ, tamen quod cum viris Mathematicis in hac parte res nobis eſt, plerique horum, quibusnam harum utantur, annotare non negligere ſolent. Unde adſcita quantitate gradus telluris Caſſiniana, quæ in hypotheſi telluris ſphæricæ eſt 57060 Hexapodarum vel Orgyjarum, de accurata dimenſione horum milliarium dubium non exiſtit.

Li Sinenſia.

De Sinenſibus menſuris, quas *Li* vocant, diffiteri non poſſumus, eſſe aliquam dubitationem. Nam, ut hoc primo loco dicamus, ab aliis quidem variæ produntur earum dimenſiones, dum 240, 250, etiam 270 in gradu numerantur, nobis vero ipſis ex calculo diſtantiarum quorundam locorum Sinenſium, quorum dantur longitudines & latitudines Geographicæ, accurate determinatæ in collectione *Soucieti* T. I, prodierunt $227\frac{1}{5}$; Celeb. vero *Caſſinus* alio loco ex ſuis principiis deduxit $274\frac{1}{10}$, vel rotunde 275 in gradu telluris exiſtentes. Attamen quia illi Mathematici, qui de Sinenſibus hiſce rebus ſcripſerunt, ſtatuunt omnes 250 *Li* in gradu, adeoque decem in Leuca Gallica minori quinivicenaria, eorum ſententiam, quando *Li Sinenſium* memorantur, tuto hic ſequi poſſumus. Vel potius, quia iidem utrolibet modo & in Leucis Gallicis & menſuris Sinenſibus ſuarum diſtantiarum numeros proponere ſolent, intentioni eorum facillime ſatisfacere poterimus, ſi Leucarum ipſarum, prout ab ipſismet deſignantur, uſum faciamus.

7. Ex maximo numero Sinenſium urbium ſeligemus ad inſtitutum noſtrum maxime facientes ſex, *Pekinum*, *Nankinum*, *Hantſcheu*, *Sutſcheu*, *Singan fou*, & *Kantſcheu*.

## PEKINUM.

Dimenſiones Pekini.

8.

DE dimenſionibus PEKINI, id eſt, vi vocis AULÆ SEPTENTRIONALIS, & primariæ provinciæ PET CHELI, quæ apud autores nobis occurrerunt, compendii cauſa tabula ſynoptica exhibemus. Eſt adeo

Juxta

| | | |
|---|---|---|
| Juxta alios | Ambitus { 4 Leuc.<br>6 mill. Germ. | |
| *P. le Conte*<br>T. 1. p. 85. | Ambitus priſtinus, id eſt urbis<br>Tataricæ 4 Leuc. maj.<br><br>Ambitus totius juncta urbe<br>Sinenſi 6 Leuc. quarum<br>ſingulæ 3600 paſſuum. | Dimenſio funiculi ope juſſu Regis Sinenſis peracta. |
| *Souciet* & *Gaubil.*<br>Tom. 1. p. 136.<br>*P. Halde.* | Urbs Tatarica:<br>Latus unum a Septentrione in<br>auſtrum 1 Leuc. major<br>vel vicenaria<br>Latus alterum paulo plus quam<br>1 Leuc. vicenar.<br>Ambitus 4 Leuc.<br>Urbs Sinenſis: Long. 1 Leuc.<br>Latit. $\frac{1}{2}$ Leuc. | |
| Gemelli | Tataricæ urbis: Figura quadrata,<br>Latus quodlibet: 3 Mill. Ital. 1 Leuc. maj.<br>Ambitus adeo: 12 Mill. Ital. 4 Leuc.<br>Sinenſis urbis latera inæqualia,<br>Ambitus: 4 Leucæ maj.<br>Utriusque ambitus 21 Mill. Ital. 7 Leuc. maj. | |

## OBSERVANDA CIRCA DIMENSIONES HUJUS TABULÆ.

9. Leucas, quibus utitur *Contius*, facit idem 3600 paſſuum diſerte, nec typographi errorem eſſe patet, quia non notis, ſed literis ea quantitas expreſſa legitur, quarum adeo $16\frac{2}{3}$ gradui telluris reſponderent. Interim Leucarum Gallicarum, nobis ſaltem, non alia nota ſunt genera, quam quæ 3000 vel 2400, prout vulgo ſumunt, communibus paſſibus (quos adeo 5. ped. Pariſ. æquales ſtatuere licet) æquantur, quarumque adeo 20 vel 25 gradui telluris competunt.

Quia adeo cæteri etiam autores graves pariter teſtantur de Leucis, ſed quibus diximus vicenariis, quibus in æſtimando hoc ambitu utuntur, merito diſſenſum P. *Contii* in feſtinationem vel infirmitatem humanam rejicimus, & hiſce potius adſtipulamur.

Interim nec hoc diſſimulandum, a *Gaubilio* & *Soucieto* diſerte latus, quod ab oriente verſus occidentem porrigitur, tradi paulo ſaltem majus Leuca, quin & proportionem, quæ eſt in figura illius collectionis Soucietianæ, dare $\frac{1}{8}$ ſaltem Leucæ, qua hoc latus ſuperat alterum. At vero in figura Haldiana differentia utriusque lateris adminimum eſt, $\frac{1}{4}$ Leucæ. Credi etiam poſſit, Gaubilianam potius proportionem ſequendam, quia lateri Sinenſis urbis, quod pariter ab oriente verſus occidentem protenditur, ab omnibus datur longitudo Leucæ unius, a qua quantitate in Gaubiliana figura non adeo idem abludit; cum in figura Haldiana tribuendum foret illi lateri dimidium ſupra integram Leucam. Sed nobis, quibus non eſt integrum, in ipſis locis in veritatem controverſarum opinionum vel relationum inquirere, viſum eſt optimum, ſi ſimpliciter ſequeremur Haldianas, utpote recentiſſimæ elegantiusque & accuratius deſcriptæ formæ proportiones, faceremusque adeo dimenſionem lateris a Septentrione ad Auſtrum perducti ab uno extremo vertice propugnaculi angularis ad alterum, quæ literis a & b ſignavimus, præciſe Leucæ uni vicenariæ in ſchemate noſtro æqualem.

10. Figuram reliquam ex ipſo excellentiſſimo opere *Haldiano* damus TAB. IV. Fig IX. Ex qua cognoſcitur, quod diximus, quæ de regularitate figuræ urbium harum vulgo absque reſtrictione referuntur (ad quem modum etiam figura *Gaubiliana* collimat, & conformata exiſtit) non ſine eadem eſſe intelligenda. Neque tamen deviationem Figura.

nem

nem illam a regularitate eſſe adeo magnam, ut non cum voluptate urbis hujus magnificentiſſimæ figura ſe nobis exhibeat ſpectandam, confitendum erit.

Area. 11. Quantum ad aream, in hac ſuppoſitione noſtra eadem prodibit proxime *6211* Stadiorum quadratorum, qualia in dimenſione Babylonis adhibuimus. Obſervandum vero præter dicta etiam hoc, memorari portas urbis quidem Tataricæ 9 vel 10, Sinenſis autem 7, earumque ſingulis adſtructa ſuburbia non modicæ amplitudinis (præſertim quæ ad occidentalem plagam ſpectant, & ex mediterraneis regionibus ad vitæ uſum neceſſaria recipiunt) quorum numerum Gemellius facit *16*, etſi ex figura intelligitur, vix ad 13 vel 14 eadem poſſe accedere, cum trium ad minimum exitus ducant in urbem Sinenſem. Quibus adeo ad ſuperiorem aream adjectis, etſi ad numeros eorum quantitas revocari a nobis haud poſſit, patet cuivis inſignem magnitudinis acceſſionem huic alias vaſtiſſimæ urbi tribuendum eſſe.

## *NANKINUM.*

12.

Nankini. SEquitur NANKINI, quæ vi vocis notat AULAM MERIDIONALEM, & eſt primaria provinciæ KIANG NAN, conſideratio. De qua ſi vagis relationibus ſtandum foret, eſſet mira ſententiarum circa figuram & dimenſionem diſcrepantia.

Figura. De Figura plerique omnes prædicant ſecure & ſimpliciter eam eſſe vel fuiſſe parallelogrammam, vel rectangulam. Quod ipſum ſi veteribus temporibus obtinuit, attamen, urbe hac tot revolutiones paſſa, aliter ſe jam habere intelligitur ex Haldiano opere. Eam adeo proponimus ex dicto opere in TAB. IV. ſchemate X, legibus de dimenſione ipſius obſervatis, quales ſtatim dicentur. De quo hæc unice inſuper adnotamus: portas quidem in eodem quoque apparere 13, qualem earum numerum quoque cenſet *Neuhofius:* Ductus vero canalium, qui in fluvium KIANG vel COERULEUM verſus occidentalem plagam, etſi in diſtantia aliqua modica urbem hanc præterlabentem, ſeſe exonerant, vel ex eodem ducti ſunt, a nobis utcunque ſuppletos eſſe ex ipſa mappa provinciæ KIANG NANENSIS laudati operis, etſi in majuſcula urbis figura ejusdem deſiderentur.

13 De dimenſionibus proponimus tabulam ſynopticam, in qua Dimenſiones.

| | |
|---|---|
| Juxta<br>*Memoir. de la Soc. Roy.* de Sc.<br>1692. p. 387. | Interior urbis ambitus<br>80 Lis<br>8 Leuc. quinivicenarum.<br>Præter Suburbia |
| *P. le Conte*<br>T. I. p. 119.<br>*Gemelli*<br>*Domin. d'Argoli*<br>*Alios* | Exterior urbis ambitus<br>olim 16 vel 17 Leuc. majorum<br>36 Mill. Ital. vel 12 Leuc. maj.<br>40 Mill. Ital. vel 13⅓ Leuc. maj.<br>30 Leuc. indiſcret. |
| Neuhof Legat. Batav. in Sinam. | Ambitus murorum interioris urbis ſine ſuburbiis 6 Mill. Germ. vel 8. Leuc. maj.<br>Ambitus partis ædificiis magis inſtructæ 5 horar.<br>Exterioris muri ambitus<br>2 Diætæ pro equite expedito vel ex æſtimatione<br>Neuhof. 20 Mill. Germ. aut 26. L. maj. |

OBSER-

## OBSERVANDA CIRCA DIMENSIONES HUJUS TABULÆ.

14. Notandum eſt, *P. Contium* loco in tab. citato diſerte aſſerere: NANKINUM, vel ut nunc (poſtquam dignitate ſedem regibus præbendi excidit) vocatur KIAM NIN pridem habuiſſe tres muros, vel pomœria terna, quorum extremo dari ſoleant 16 Leucæ majores in circuitu. Apparere etiam nunc ejus veſtigia, ſaltem quædam, hinc inde, quæ ſpeciem potius præbeant pomœriorum vel limitum provinciæ alicujus quam urbis. Etſi hoc quoque certum ſit, illo vaſto ambitu incluſa fuiſſe non modica, quæ arationi & horticulturæ ſervierint.

In opere *Haldiano figuræ ejus urbis adſcriptam* non obſervamus ſcalam. Quapropter eam dicto ſchemate X. ita deſcripſimus, ut ambitus ejus irregularis quidem habeat 8 Leucas minores, quales juxta tradita in *Commentariis Acad. Regiæ Scientiar. Pariſ.* requirebantur.

Area. 15. Ex qua figura adeo non ſolum ſenſualis & ocularis æſtimatio magnitudinis hujus urbis tantopere deprædicatæ haberi poteſt; verum etiam ex eo derivavimus regularum Geometricarum ope, aream ſuperficialem in Stadiis quadratis, qualia in hoc tractatu adhibemus 4822 proxime.

16. Si pro vero accipiendum fuiſſet, quod vulgo tradunt, hanc urbem, & interiorem quidem, non ſolum ambitus 8 Leucarum (minorum quidem) eſſe, ſed & figuræ regularis quadratæ: prodiret area ejus 7744 ejusmodi Stadiorum quadrat. Itemque ſi exterioris ambitu exiſtente mediocri, qualem aſſignari a *Contio* in tabula videmus, nempe leucarum 16 majorum, ſimulque ejusdem figura pariter foret quadrata, area futura fuiſſet 48400 talium ſtadiorum quadrat. Obſervationes quædam circa enormem magnitudinem huic urbi tributam.

Eoque caſu verum foret, plane abnormem ejus magnitudinem futuram fuiſſe, & multo majorem quam fuerat Babylonis in noſtra ſuppoſitione, utpote quæ eſt 14400 ſtadiorum quadr.

Eam tamen plane æqualem futuram fuiſſe ipſi Babyloni in æſtimatione vulgari & plebeja ſtadiorum veterum, utpote cum eo caſu Babylonis magnitudo futura pariter fuiſſet ſtadiorum 48400 quadratorum talium; quibus in hoc tractatu utimur. Abnormior foret magnitudo Nankini, ſi circuitu eodem 16. leucarum majorum exiſtente, ejus figura circularis poneretur; utpote tum aream habituræ 61519 ſtad. quadratorum.

# *SIN NGAN, HAN, SU*

## METROPOLES.

17. Sequentium trium urbium dimenſiones placuit pariter tabula ſynoptica exhibere. Eſt adeo urbis

| | Ambitus | Juxta autores |
|---|---|---|
| Sin Ngan Fou in Chenſi Fig. XI. TAB. VI. | 3 Leuc. *indiſcrete*<br>Fere 4 Leucar. | *P. le Conte* T. I. p. 128. a quo menſura actualis peracta<br>*P. Halde* |
| Han Tſcheu in Tſchekiang Fig. XII. ead. TAB. | {40 Lis<br>{4 Leucæ quinivicenæ<br>4 Leucæ *indiſcrete* | *Memoir. de la Soc. Roy.* 1692. p. 388.<br>*P. le Conte* T. I. p. 129. |
| Sou Cheu, Sutſcheu Fou, in Kiang nan Fig. XIII. ead. TAB. | {40 Lis<br>{4 Leucæ quinivicenæ<br>4 Leucæ *indiſcrete*<br>Fere 3 Leucæ vicenariæ vel grandes | *Memoir. de la Soc. Roy.* 1692. p. 388.<br>*P. le Conte*<br>*P. Halde* |

## OBSERVANDA CIRCA HUJUS TABULÆ DIMENSIONES.

Sin Ngan Fu.

18. Urbis SIN NGAN FOU ambitum P. *Contius* tradit 3 Leucarum ſine mentione generis eorundem. Quia adeo partim ipſe plerumque utitur majoribus leucis, & 4 leucæ minores, quales ab *Haldio* huic circuitui dantur, proxime quoque accedunt ad 3 illas leucas majores, in hac ſententia ſtandum duximus.

Cæterum *Contius* eam urbem deſcribit tanquam penitus quadratam, vel rectangulam, ſine mentione partim ſuburbiorum, quæ ad orientalem plagam ei adjacent, partim præmunitionum ſemicircularium ante portas, quales in Haldiano opere exprimuntur. Ne adeo in incerto fluctuaremus, fecimus in figura XI. TAB. VI. ex Haldiano opere deſumta, ambitum urbis, excluſis ſuburbiis & præſtructionibus illis, 5 leucarum majorum. Unde prodit area (connumeratis tamen illis ſuburbiis & præſtructionibus) 2293 ſtadiorum quadratorum, qualia in hoc tractatu adhibere ſolemus.

Han Tſcheu Fou.

19. HAN TSCHEU, vel Hang Tſcheu metropolis, vel Fou Fig. XII. TAB. VI. deſcripta, ex eodem opere Haldiano hac lege, ut ambitus ejus ad ſcalam noſtram exactus exiſtat 4 leucarum quinivicenarum, dat nobis aream 2595 proxime.

Su Tſcheu Fou.

20. SU TSCHEU metropolis vel Fou ambitus pariter a nobis ſumtus eſt 5 leucarum majorum vel proxime 4 leucarum minorum; unde prodit ejus area 1914 vel 1920 proxime. Vid. Fig. XIII. TAB. cit.

## *KAN TSCHEU.*

Kan Tſcheu.

21.

EXtat in *Gaubiliana* vel *Soucietiana* collectione etiam figura, quamvis rudior, urbis QUAN CHEU, vel KAN TSCHEU metropolis provinciæ *Kan Tonienſis*, ad fluvium *Ta* ſitæ, quæ abuſive Europæis quoque CANTON, confuſione nominum provinciæ & metropolis ejus facta vocatur, & ob magnitudinem maxime celebratur.

Dimenſio.

De dimenſione ejus quoque in illo opere quædam extant p. 123, etſi tumultuaria ſaltem ratione inveſtigata. Traditur nimirum urbis Tataricæ latitudinem, quæ a Septentrione ad Auſtrum porrigi cenſetur, maximam eſſe fere ½ leucæ majoris.

In elegantiſſimo opere *Haldiano* accuratius delineata exhibetur figura, cum Sinn & alveo fluvii, quo ipſa aditur, univerſo, ſed ſcalæ menſurarum veſtigium ibi deprehendimus nullum.

Figura.

Quare fundamenti loco ſumta figura *Haldiana*, & dimenſione *Gaubiliana*, deſcripſimus *Schema* XIV. TAB. VI. ejus urbis ſitum & magnitudinem ad ſcalam noſtri operis accommodatam exhibens.

Area.

22. Ex quo area hujus urbis, connumeratis ſuburbiis (quorum illud, quod eſt ad laevam vel occidentem urbis, propter elegantiam & incolentium divitias admodum celebratur, cui alterum, quod ex altera fluvii parte vocatur meridionalius, neutiquam comparandum prædicatur) incluſis pariter præſtructionibus ante portas, excluſis vero caſtellis, quæ ſunt extra pomœria, prodit ſtadiorum quadratorum 1527. pro urbe citeriori, pro ſuburbio vel ulteriori urbe 112½. In ſumma 1639½ vel 1640.

MEACO.

23. Sinenſes imitari vel æmulari Japanenſes vulgatum eſt. Ideoque & in Architectonicis operibus & ſtruendis urbibus non regularitatis ſtudium ſaltem eorum, ſed & magnificentiam exprimere eos deprehendimus non ſine voluptate, operum ab ipſis factorum & urbium imagines intuentes.

Duæ vero ſunt urbes, de quibus in præſenti opere mentionem fieri oportebat, magnitudine ſpectabiles, MEACO & YEDO.

*Prima* ſedem præbet *Dairo* principi eorum, quemadmodum nos loqui ſolemus, ſpirituali, ſive ei, cujus familia pridem omnium rerum, tam quæ ad cultum divinum (quo ſine hæc familia originem ſuam quoque a Diis ipſis deduxit) quam ad politiam ſpectant, vel tam ſecularem quam eccleſiaſticam poteſtatem habuerat, poſtea vero in ordinem

nem

nem redacta, imperio omni politico militarique ad alteram familiam, quæ regio quoque titulo utitur, translato, coacta fuit adminiſtratione ſacrorum & principe loco ſacerdotii, umbra prioris poteſtatis, contenta eſſe. De quibus in Japanica hiſtoria accuratius.

Figura. 24. Hujus adeo urbis MEACO vel MIACO figura cum inter cæteras a *Kæmpfero* in elegantiſſimo opere Hiſtoriæ, ut vocat, Japanicæ i. e. tam naturalis, quam politicæ, a *Scheuchzero* editæ exhibita proſtet, licuit nobis eam in compendium redactam quoque hic Fig. XV. TAB. V. repræſentare; etſi ob moduli menſuræ figurarum noſtrarum exiguitatem regularitas vicorum & platearum, quæ maxima eſt, delineari non potuit. Intelligitur vero in ſchemate iſthoc nota A ſignatum eſſe ſuburbium plateis utcunque excurrentibus inter limites punctis ſignatos terminandum.

Monitum de menſuris. Monere tamen oportet, quamvis figura ipſa Kæmpferiana deſcripta dicatur ex maxima aliqua ab ipſis Japanenſibus magna arte elegantiſſimeque confecta, nullam tamen ei menſurarum *Scalam* adjectam exhiberi: qua ratione fit, ut circa veram magnitudinem in maxima dubitatione hærere cogamur. Neque in ipſo textu operis aliquid accuratius annotatum reperire licet, cum nonniſi plebeja ratione a *Kæmpfero* longitudo urbis $\frac{3}{4}$ milliaris Germanici, latitudo $\frac{1}{2}$ milliaris quantitate definiatur. Ut mirum nobis ſit, quomodo fieri potuerit, ut vir, qui in obſervationibus rerum Phyſicarum & politicarum aliarumque adeo ſolertem & judicio egregio præditum ſe exhibuerit, in re iſthac Mathematica, attamen exigui laboris, quæ determinationes menſurarum, tam quoad quantitatem, quam quoad genus ipſarum reſpicit, adeo inconſiderato more uteretur.

De dimenſione conjecturæ. Interim aliquali illa determinatione $\frac{3}{4}$ milliarium Germanicorum *longitudinis* (quibus communia indigitari velle ab eo ſumimus) & $\frac{1}{2}$ mill. Germ. *latitudinis* admiſſa, *figuram & magnitudinis* ad reliquas a nobis recenſas urbes proportionem reſultare, qualis ſchemate XV. proponitur, diximus.

Unde conſequeretur *magnitudo* ejus *arealis* 1767 ſtadiorum veterum quadratorum.

25. Quodſi de defectu accurationis in determinanda magnitudine Meaci urbis querendum nobis fuit, multo magis cauſæ exiſtit, cur eam accuſemus, cum de urbis primariæ YEDO, quæ ſeculari principi vel Regi politicarum & militarium rerum unico arbitro ſedem præbet, quantitate agendum. YEDO.

Namque *figuram* ejus quidem ex vaſtiſſimo exemplari, a Japanenſi Geodæta confecto, in compendium redactam in opere *Kaempfero-Scheuchzeriano* non ſine ſtupore contemplamur, magnificentiſſimam vaſtiſſimamque omnium regiam, etſi, quia ex partibus diverſis temporibus ſtructis conſtat, paulo minus regularis formæ referentem. Figura.

Sed cum de menſura quæritur, nec ſcala figuræ adjecta cernitur, nec determinatio quantitatis alia eſt, quam popularis, eoque magis plebeja, quo incertior eſt quantitas menſurarum, in quibus proponitur proportio vel determinatio earum. Nam, etſi figura urbis eſt irregularis, ſufficere tamen viſum eſt *Kaempfero*, ſi modo totius ejusdem *longitudinem* ſeptem, *latitudinem* quinque, *ambitum* viginti milliarium Japanicorum, vel leucarum Japanicarum, commemoraſſet. Addit vero ulterius, *Palatii* ipſius *regii* intra eandem contenti ambitum cenſeri non multo minorem quinque milliaribus ejusmodi. Monitum de menſuris.

26. Quodſi ex comparatione harum dimenſionum cum Icone dicta, cujus minorem modulum Fig. XVI. TAB. V. ſiſtimus, aliquid certius exſculpere conemur, nec hac ratione multum nos proficere facile deprehenditur. Exhibetur intra eandem palatii regii veſtigium, cujus ambitus ex murorum & portarum turriumque ornatu in majori ſchemate conſpicuo dignoſcitur: a nobis punctis minoribus circumſcriptum.

Cujus tamen ambitus vel filo vel aliter capta quantitas ſi conferatur cum latitudine urbis, cui eadem æqualis pronunciatur, invicem non reſpondent. Præterea quamvis ſpatium urbis a parte inferiori

& ſuperiori extra tabulam excurrere
videatur; quia tamen excurſum vel
exceſſum illum non adeo magnum
ſupponere licet, non reſpondebit
proportio latitudinis ut 5, ad lon-
gitudinem ut 7. Sed latitudo lon-
gitudini parum cedere obſervabitur.
Ut adeo per conjecturam aliquam ra-
tionabilem ope conſiderationis pro-
portionum in ipſa figura nihil certi
concludi poſſe manifeſtum fiat.

Disquiſitio de menſur. Japanicis.

Porro determinatio quantitatis
*Leucarum Japanicarum* adeo vaga &
æquivoca eſt, ut, quo ſe quis ver-
tat, plane ſit incertiſſimum. Apud
ipſum KAEMPFERUM pudenda eſt
(1) diſcrepantia aſſertionum. *Modo* e-
nim 55 Japanicas Leucas 22 millia-
ribus Germanicis æquales facit, quod
dat 37$\frac{1}{2}$ Leucas Japanicas in gradu
circuli telluris ſphæricæ maximo.
(2) *Modo* 323 vel 333, hoc eſt, medio
Arithmetico capto, Leucas 328 Ja-
panicas 200 milliariis Germanicis
adæquat; quod dat 24$\frac{1}{2}$ Leucas Ja-
(3) panenſes in gradu. *At* vero dum a-
libi ait; Leucas plerarumque pro-
vinciarum ejus regni (excepta *Fiſen*,
quæ majoribus utatur) eſſe $\frac{3}{4}$ horæ,
quia incertum eſt, qua quantitate
horarium iter æſtimet, ideo nos
quoque in incerto deſtituit. Nam
*ſi* hora ſit $\frac{1}{20}$ gradus, erunt 26$\frac{2}{3}$ Leu-
(4) cæ Japanicæ in gradu; *ſin* hora exi-
ſtat $\frac{1}{22\frac{1}{2}}$ gradus, erunt 30 Leucæ Ja-
(5) panenſes in gradu, *ſin* hora ſit $\frac{1}{25}$
gradus, erunt in eodem Leucæ Japa-
(6) nicæ 33$\frac{1}{3}$, *ſi* denique hora cenſea-
tur $\frac{1}{30}$ gradus (quæ omnes ſenten-
tiæ & determinationes horæ obti-
nent) erunt 40 Leucæ Japanicæ in
eodem. Credas rem expeditiorem
ab ipſo factam, dum alibi aſſerit,
Leucas provinciarum reliquarum
(excepta *Kiuſiu* Inſula, cujus pars
quoque eſt *Fiſen*, quæ majores nem-
pe 50 *Tſio* quantitatis adhibet) con-
tinere 36 *Tſio*, *Tſio* vero continere
60 *Kins* vel *Nattes*, quas *Toſias* red-
dit Gallus interpres, nos interim
Orgyjas interpretamur, unde pro-
dirent pedes 12960. At dum nec
pedum Japanicorum quantitas, nec
numerus pedum in uno *Kin* prodi-
tur, interpres autem vago nomine
Toſiarum utitur, nec adeo conſtat,
an Orgyjæ vel Hexapodæ ſint pe-
dum Pariſienſium an Rhenanorum;
quid eſt quod hac ratione lucre-
mur, niſi quod incerti ſumus, *an* (7)
26$\frac{5}{12}$ Leucæ poſita menſura Pari-
ſienſi, *an* 27$\frac{3}{10}$ Leucæ poſita men- (8)
ſura Rhenana, in gradum compu-
tandæ veniant.

Rem per aliorum ſuffragia ſi
conficere tentemus, MONTANO
aſſerente erit milliare Japanicum
3600 *Tſchin*, *Tſchin* unum 6 pedum (9)
Rhenanorum. Unde milliare Japa-
nicum pedum Rhenanorum 21600,
quod daret 16$\frac{2}{5}$ in gradu. Nec
RICCIOLI nos juvat induſtria, qui
obſervat ſtatui Leucam Japanicam
ad Luſitanicam ut 366 ad 500.
Quam enim ponat ipſe quantitatem
Luſitanicæ, vel an eadem illa ſit
cum Hiſpanica, vel quæ præciſe Hi-
ſpanicarum (nam variant apud
ipſum ſententiæ inter numerum mil-
liariorum in gradu 20, 17$\frac{1}{2}$ 15, 10)
ipſi placeat, ex ipſomet conſtat. Si (10)
tamen placerent 17$\frac{1}{2}$ Leucæ Hiſpa-
nicæ in gradu, prodirent 14 Japani-
cæ in eodem. Jungit determinatio-
nem contradictoriam, æquari Ja-
panicam Leucam ſesquimilliario Ita-
lico propterea, quia 150 Japanicæ
Leucæ componantur. 300 Italicis
milliaribus. At vero duplum foret
milliaris Italici Leuca Japanica, ſi
poſterior æquatio locum haberet,
& *proinde* iterum 30 L. J. in gradu (11)
numerarentur, ſi Italicum commune
quod eſt $\frac{1}{60}$ gradu intelligatur: vel
ſi ſesquimiliarium Italicum Leucæ
Japanicæ coæquandum foret, opor-
teret non 150, ſed 225 harum illis
300 mill. Ital. æquiparari. *Eoque* caſu (12)
iterum forent 40 Japanicæ Leucæ
in gradu telluris. Quod ſi correctio- (13)
nem aliquam numeris & textui a-
pud Ricciolum adhibere viſum eſſet,
& æquare 150 Leucas Japanicas
200 mill. Ital. ſcribendo ſc. 200 lo-
co 300, tunc prodirent 45 Leucæ
Japanicæ in gradum computandæ.
Recentiori Geographo Anvillæo vi-
demus placere illum numerum 40
Leucarum Japanicarum in gradu, vel
etiam 33$\frac{1}{3}$. De cujus fundamentis
vero non equidem conſtat.

27. In tantis ſententiarum divor-
tiis, ubi, quid conſilii capiendum, vix
oculatiſſimus quis perſpicere valeat,
lubentius abſtinuiſſemus a repræſen-
tatione

tatione ipſa urbis hujus celeberrimæ, de qua agimus, augente difficultatem abſurditate, quæ ex ſuppoſitionibus ex arbitrio aſſumtis oriri poſſet. Nam ſi majoribus utamur Leucis Japanicis, verbi gratia, quæ 16, 19, 24, 26, vel 27 (numeris rotundis utendo) vicibus ſaltem continentur in gradu, monſtrum reſultaret urbis horrendum, ingens, cujus exemplum in ſuperioribus noſtris aut in inferioribus nullum occurreret, vicibus aliquot Babylonem maximam excedens.

Sed quia imperfectior videbatur noſtra tractatio, ſi intactam hanc celeberrimam & a monſtroſa ipſa, quamvis dubia magnitudine memorabilem civitatem linqueremus intactam, primo quidem ſperavimus lectoribus & contemplatoribus noſtrarum figurarum ſatisfacturos, ſi electa in genere menſurarum milliarium minorum ea, quæ fere media eſt, nempe ejus quæ 37½ partem gradus telluris facit (media ſcilicet inter eas, quæ partem 30 & 45 faciunt) ad eum modulum figuram, quæ TAB.V. Fig. XVI. a. eſt, deſcriberemus. In qua limites ſuburbiorum etſi non ſatis determinatos ob vicorum irregularitatem utcunque punctis incluſimus.

Sed quia etiam hac ratione reſultabat magnitudo hujus urbis plane exemplo carens, partiumque proportiones & canalium latitudines juſtum excedere videbatur; etiam minori ejus forma in Fig. XVI. b. propoſita lectorum judicia experiri, vel an hæc ipſa minor forma ad probabilitatem propius accedat, ipſorum dijudicationi permittere conſilii eſſe duximus. Facta eſt adeo hæc forma ad modulum ſcalæ, cujus Leucæ faciunt partem 60 gradus telluris. Equidem in iſthac deliberatione in conſiderationem venire oportere hoc notandum eſt, quod ſpatium in meditullio urbis non ſolum in interiori parte A & ampliſſimum ædium regionum & hortorum complexum continere debeat, ſed & in partibus B & C ædes pro numeroſis familiis præfectorum vel Proregum in toto regno, quorum uxores & liberi abſentibus magiſtratus gerendi cauſa maritis & patribus hic obſidum quaſi loco intra pomœria palatii regii obſervantur, & honeſta cuſtodia detinentur, quas adeo & ipſas amplum ſatis ſpatium occupare oportet. Sed ut ſpatium illud in Fig. XVI. a. abunde quidem huic fini ſufficere palam eſt, ita non facile aliquem credimus negaturum, in ipſa quoque Figura XVI. contentum literis A, B & C ſpatium non inconveniens futurum. Interim hiſce dubitationibus omnibus opus haud eſſet, ſi Kaempfero magis Mathematico eſſe contigiſſet.

De cætero licebit quidem hiſce figuris ad ideam magnificentiæ hujus urbis uti, dum nos a magnitudinis ejusdem expreſſione diſtincta in ſtadiis ſuperficialibus exhibenda nobis hactenus abſtinendum atque temperandum ducimus, donec certiora de menſuris hiſce intricatis cognoſcendi ſuppeditetur occaſio.

# III. DE URBIBUS EUROPÆIS.

## *ROMA recens.*

28.

Accedendum nunc eſt ad urbes extra Sinam & maximam partem in Europa noſtra ſitas. Quarum adeo potiores repræſentamus.

Difficultas circa menſuras.

At cum facilis quidem videri alicui poſſit hæc opera, quod nec plane eſt diffitendum, quia harum notitiam & habemus & dare poſſumus ex deſcriptis figuris cælo inciſis, ærique commendatis plerisque elegantiſſimis, quarum conſpectus etiam mentem cum ſenſibus recreans quicquid hic eſt laboris levare valeat: Non tamen diſſimulandum, ex altera parte difficultatem & hic non modicam creari vitio autorum in menſuris ſuis exhibendis. Quam ſi nimium coarguere & ignorantiam eorum vel ſupinam negligentiam accuſare hic velimus, incivilitatis res & invidiæ plena futura eſſet.

Ex expoſitione vero ipſarum circumſtantiarum quilibet æquus per ſe poterit de merito cujusque judicare.

Roma recens.

29. Initium facimus a Roma recentiori, cujus elegantiſſimum typum *J. B. Falda* in Operibus *Theſauri Græviani* extantem cum aliis exemplaribus ab Originali deſcriptis, conſuluimus.

Menſuræ in ſchematibus ejus adhibitæ.

Sed hujus ſtatim figuræ ſcala, quæ ipſi adſcripta eſt, ſcrupulum & hæſitationem injicere & facere poteſt. Proponuntur enim in ea paſſus, quorum 4000 efficiunt Germanicum, vel 1000 eorum milliare Italicum vulgatum. Jam certum eſt, paſſus illos eſſe menſuram 5 pedum, ſed eatenus vagam, donec de genere pedum conſtet. Multum enim intereſt, an pedes intelligantur noſtrates Dresdenſes 126, an Romani 131, Anglici 135, Rhenani 139 partium, an vero Pariſienſes 144 partium. At nullum exprimitur genus apud *Faldam* vel ejus deſcriptorem Batavum. Sed determinatio fit a relatione, quam habent paſſus hi, adeoque & pedes ad menſuras geographicas artificiales (h. e. quæ ex regulis artis Geometricæ & Geographicæ enunciantur in partibus circuli alicujus maximi telluris) milliaria Germanica & Italica.

Atqui harum ipſarum varias eſſe determinationes nemini ignotum eſſe debuerat, nec ante *Caſſinium* accuratum de his milliaribus judicium poterat fieri. Nam quod credebatur, 15 ejusmodi milliarium, 4000 paſſibus Rhenanis (vel & aliis quibusvis paſſibus) cenſorum, conſtituere gradum telluris, falſum eſſe, ex inventa ab eodem dimenſione gradus veræ proxima, & aliis inventis *Islæi* Geographicis jam conſtat.

Unde adeo rectius feciſſet autor figuræ, ſi menſura naturali magis determinata v. g. palmorum, pedum Romanorum, aliorumque uſus fuiſſet.

Sed dum non eſt integrum huic defectui mederi, niſi hypotheſi rationali aſſumta, videretur equidem non incongruum ponere pedes, ex quibus paſſus *Faldæ* conſtant, eſſe Romanos, quia tamen iidem minores paulo, (utpote 131 ſaltem partium, quales diximus) ita ut 5000 paſſibus ejusmodi vel 20000 pedibus nimium a quantitate milliaris Germanici aberraretur: cenſuimus potius eligendos pedes Rhenanos (qui partium ſunt 139) quia & vulgatior eſt opinio 20000 pedibus Rhenanis mill. Germanicum compleri, & eam in mente quoque fuiſſe ejus, qui ſcalam applicuit, credibile eſt. Eo quoque rectius hoc a nobis factum eſſe deprehendetur, quia hac ratione ſchema veteris Romæ ſecundum *Fabretti* ſcalam deſcriptum quam accuratiſſime cum ſchemate noſtræ Romæ recentioris, quoad ambitum ſcil. congruit, quod fieri debere ſupra probatum fuit. Atqui *Fabrettum*, qui in ſcala ſua milliare Italicum expreſſit (pro vulgata ſui temporis opinione idem cum Romano illud habens) pariter idem pro quarta milliaris Germanici parte cepiſſe merito ſtatuitur.

30. Hac proportione ſcalæ ipſius *Faldæ*, quam diximus, aſſumta, pedes nempe continentis quales habent 139 partes ſive lineas pedis Pariſini, ortum eſt ſchema recentioris Romæ Fig. XVII. TAB. VII.

Figura urbis Rom. recentioris.

De quo nihil eſt amplius quod moneamus, eodem id ſane præſtante, ad quod deſtinatum eſt, nempe ut ſenſibus ipſis proportio ſiſtatur magnitudinis ad reliquas deſcriptas urbes.

31. Quod ſi vero etiam areæ proportio deſideretur, quia eam determinare minus habet difficultatis quam circa ſequentes: utpote urbis omnium ſuburbiorum apparatu nudatæ, quæ ſcilicet intra ſua pomœria recepiſſe cenſeri poteſt, tot hortorum villarumque areis intra ea exiſtentibus, prodit hæc pro regione Ciſtiberina orientali 1119, pro Transtiberina, ſub qua & Vaticanus mons comprehenditur 274, in ſumma 1393 vel 1400. proxime, ſtadiorum quadratorum, qualibus hactenus uſi fuimus, quorum latus eſt 311 ped. Pariſienſium.

Area urbis Rom. modernæ.

CON-

# CONSTANTINOPOLIS
## HODIERNA.

Schemata varia urbis Conſtantinopolitanæ.

32. Hujus urbis recentioris & totius Boſphori Thracici ſive freti Conſtantinopolitani variæ deſcriptiones fuere, quas conſuleremus. Una *Comitis Marſiglii*, & altera *Gallandii* procurante *Coronellio* Geographo Veneto; itemuna *Anonymi* ab Homanno chalcographo edita; nec non recentiſſima & in deſignatione ſuburbiorum & quæ circumſtantiæ ſunt reliquæ exprimi dignæ, ſatis exacta, quæ adeo reliquis videtur prærogativam præripere, etſi chalcographi ars deſideretur *D. J. Andelſingerum* Ingeniarium Cæſareum autorem habens. Quin & ad manus nobis eſt mappula admodum elegans manuſcripta totius quoque Boſpori Conſtantinopolitani, ipſa confecta ab *Æſul-Ibad-Ibrahim* Topkhanenſi (adeoque ex ſuburbio ipſo Conſtantinopoleos orto) quæ literis quidem Arabicis conſignata, ſed quarum lectio latinis explicatur; inſigne ſpecimen profectuum gentis Turcicæ in rebus, quæ Geographiam, mappas & delineationem figurarum ſpectant.

Sed difficultas iterum eſt circa menſuras. *Andelſingerus* enim utitur milliaribus Italicis, quarum reductio ad naturales notioresque menſuras non eſt expedita, quia nec accurate de ipſorum milliarium conſtat quantitate, nec credibile eſt, autorem Caſſinianæ reductionis gnarum fuiſſe. Reliquæ figuræ menſuras exhibent tales, unde diſtantiarum immenſa fere varietas reſultat. Imo in dicta *Ibrahimi* mappa milliaria, quæ expreſſa ſunt, duplicis generis *Islami ve bahhr* h. e. marina in gradu 100. exiſtentia, & *Islami ve berri* in gradum 66⅔ computata, deprehendimus.

Ex harum tamen collatione, regulis plane criticis adhibitis, produximus menſuram partium & figuræ totius ad ſcalam noſtram aptatæ, qualis extat Fig. XVIII. TAB. VII. Quam hariolationem noſtram juſtiſſimam eſſe comprobavit collatio cum *Bandurii* ſchematibus, quæ exacte ad amusſim easdem dimenſiones ſubminiſtrant, quales ſuppoſitæ erant nobis.

Figura Conſtantinopolis modernæ.

33. Licebit adeo juſtam ideam urbis hujus & ſuburbiorum vaſtiſſimorum ex hac figura haurire.

Quænam harum ad partes urbis ipſius Conſtantinopolis & ſuburbiorum referri debeant, & ex more gentili actu referantur, non eſt integrum dicere; ſane quidam SCUTARIUM vel CHRYSOPOLIM partem eſſe Conſtantinopoleos volunt. Sed de his locorum peritis a nobis judicium eſt relinquendum.

Quoniam vero adeo anceps eſt ratio de ſuburbiis pronunciandi, quorum & termini, ſi ita loqui liceat, æquivoci & non ſatis determinati exiſtunt, a magnitudine hujus urbis comparativa in numeris exhibenda abſtinendum erit, æque ac in reliquis huic ſimilibus.

# LUTETIA PARISIORUM, PARISII.

Menſuræ in Schematibus urbis Pariſ. adhibitæ.

34. De urbe hac notiſſima nihil dicimus. Tantum de menſuris, ſecundum quas præſens figura exacta eſt, monendum.

Paſſim ſcilicet extant ejus Typi. Tres & amplius eorum vidimus majoris minorisque formæ, quis vero credat tantam eſſe etiam pugnam eorum in ſcalis menſurarum?

Unus eorum exhibet *milliaria Gallica communia*, quæ videntur eſſe ex quinivicenariis, ſed pedes ſtatuuntur continere, pro opinione, quæ pridem invaluit, 12000, ſine tamen addito monito de eodem. Alter *Hexapodas* vel Toſias aut *Orgyjas* habet & *Paſſus*, ſed 400 Hexapodæ 500 paſſibus ſtatuuntur æquales, quod abſonum. Elegantiſſime

tiſſime deſcripta Icon eſt a *Jallioto* excuſa, quam etiam figura noſtra expreſſimus, ſuppletis aliunde, quæ ulterius procurrentia in eadem non inveniebantur. Verum *Hexapodarum* ſcalam nec juſtas dimenſiones dare, nec quadrare cum ſcala ei juncta *paſſuum communium*, quos gradus vel greſſus vocamus (dimidium facientes paſſus geometrici, ſive 2½ pedes, quos tamen certum eſt menſuram vagam & ineptam conſtituere, donec de genere pedum conſtiterit) palam eſt. Nam 375 Hexapodæ (leguntur quidem 270 errore chalcographi, ſed facile corrigendo) ſtatuuntur æquales 1100 horum paſſuum vel graduum. Præterea omnes dimenſiones partium hujus urbis paſſim in aliis libris annotatas juſto deprehenſas majores non celandum eſt.

Menſurarum noſtrarum ratio.

35. Quapropter in hac diſquiſitione rectius nos facere non poſſe putavimus, quam ſi ſeligeremus diſtantiam a medio *Obſervatorio* ad ipſam *Portam S. Martini*, quæ euntes in ſuburbium cognomine emittit, 1912½ vel & 1920 Hexapodarum, & ad hanc ſcalam reliquæ figuræ omnem deſcriptionem exigeremus. Eorum, qui in loco ſunt, eſt judicare, an acu rem contingere nobis qui Figuram hujus urbis exhibemus loco XIX. TAB. II. datum fuerit.

Difficultas aream Pariſiorum determinandi.

36. Areæ autem dimenſionem in numeris maximis difficultatibus ſubeſſe, negare nemo poteſt, non tam propter irregularem figuram, quam propter ſuburbiorum æquivocam forſan & fluxam, variabilemque determinationem & ſtatum. Ob quam cauſam exteris, quid ad urbem & ſuburbia pertineat, vel extra eadem cenſeatur, tot vicinis & fere contiguis ædificiis vel areis ſe offerentibus, ſcire, aut ex ſchemate ipſo dignoſcere, plane pro impoſſibili habendum eſt. Standum adeo cum hic ſit unice teſtimonio & judicio incolarum vel civium, & talem quidem determinationem & æſtimationem ſuperficiei habeamus a viro magnæ in his rebus & experientiæ & peritiæ adeoque & autoritatis, *Islæo* nempe, ejus ſententiam mox quidem afferemus, poſtquam de ſequenti metropoli actum fuerit.

## LONDINUM.

Menſuræ ſchematis urbis Londini.

37.

Hujus figuram facilius nobis hic ſiſtere licuit, quia ſchemata de ipſa proſtantia ſcalis menſurarum diſtincte & perſpicue explicatarum inſtruuntur. Exhibent enim eæ milliaria Anglica, quorum quantitatem ſcimus eſſe 5280 pedum Anglicorum, & Anglicorum pedum dimenſionem, ac ad Pariſienſem pedem exactam rationem accurate novimus. Siſtit adeo urbis hujus delineationem Fig. XX. TAB. VII.

Difficultas in determinanda area.

38. De area vero ejus, quî poſſimus aliud quid dicere, quam de priori. Mallemus lectoribus ſatisfieri poſſe inſpectione ipſa figurarum integra fide deſcriptarum.

Imprimis cum invidioſæ & ancipitis aleæ opera videri poſſit, ſententiam dicere de urbis proxime præcedentis atque ejus, de qua nunc agitur, magnitudine vel abſoluta vel comparata inter utramque, ſive proportione earum ad ſe invicem, cum videamus propter hanc æmulationem & diſputationem in partes ſecedere nationes, quarum ſunt eædem metropoles, integras. Quod mirum! Mirum inquam, cum qui de hac re controverſiam moverunt, viri eruditiſſimi ignorare non poſſint, prærogativam urbium non tam in ambitus magnitudine, quam, ut a cæteris, magnificentia ædificiorum, commoditatibus aëris, commerciorum, aliisque abſtrahamus, in numero incolarum quærendum eſſe, hujus vero æſtimationem ex areæ vel ambitus conſideratione non ſimpliciter reſultare, ſed ab ædium conditione, in quibus ſpectandæ contignationes, & contiguitates, hoc eſt, an una vel pluribus contignationibus ædes conſtent, eademque area horizontalis poſſit pluribus paucioribusve hominibus ſedem & locum facere, & qualis ſit platearum, arearum vacuarum, hortorum denique, quibus ædes urbanæ ornan-

ornantur, vel qui ædificiis domibusque interjiciuntur, conditio, magnitudo & numerus. Ex quo conſequitur, cum hæc talia accuratius prænoſſe oporteat, judicium ferre volentes, ſane omnem concertationem ex generalibus, ope ſchematis alicujus hauſtis, notitiis principia ſua repetentem, ſi non plane inutilem, non admodum tamen utilem cenſendam.

Nervus controverſiæ de magnit. Pariſiorum & Londini.

39. Interim tamen, cum ex ipſis illis, quæ ultro citroque propoſita & diſputata de hac materia extant, ſint aliqua, quæ in rem noſtram vertere poſſumus, quibus de magnitudine ſolum, non reliquis prærogativis aut memorabilibus urbium agere inſtitutum eſt, eadem ex illis diſſertationibus & commentationibus enotata repræſentabimus; ex quibus etiam nervus totius diſputationis cognoſci queat. Scil. cum Cel. *Islæus* in *Commentar. Acad. Reg. Scient. Pariſ.* Anno 1725. propoſuiſſet laudatum a nobis in ſuperioribus ſchediaſma de urbium quarundam majorum dimenſionibus, quædam contra illa monuit *Du Vallius* in *Transactionibus Anglicanis* N. 402 anni 1728. Quæ examinanda ſibi ſumſit *Mairanus* dictorum *Commentariorum Pariſienſium* An. 1730. Quod *Du Vallius* in dicto ſchediaſmate urget, hoc eſt: Male ab *Islæo* determinatam dimenſionem urbis Pariſiorum, cum figuram ſuam in quadrata minora retis inſtar diviſam a ſe pronunciaverit, ex eorumque collectione ſummam totius areæ produxerit, cum tamen rectangulæ potius laterum inæqualium deprehendantur illæ partes, nec aliter eæ ſe habere poſſint, ex principiis Geometricis. Londini vero dimenſionem ab ipſo propoſitam admittit, nihil contra eam monens, tacendo adeo eam confirmans. Reſpondet *Mairanus* non male captam Pariſiorum dimenſionem ab *Islæo*, ſed lapſum eſſe ſaltem memoriæ vel feſtinationis calami: erratum non in operatione, ſed in enunciatione, dum quæ rectangula vocanda fuerint, & ipſe rectangulorum inſtar in operatione tractaverit, quadratorum nomine inſigniverit. Quodſi male determinata foret Pariſiorum dimenſio, etiam errorem ſimilem in Londini dimenſionem redundaturum. Atqui hoc poſterius nec ipſi *Du Vallio* videri, ergo nec prius ab ipſo ſtatui aut aſſeri poſſe. Eritque adeo per ea, quæ probat fuſius *Mairanus*, recte capta Pariſiorum, & per ea, quæ concedit *Du Vallius*, recte ſe habet Londini dimenſio. Nobis vero, quibus ſatis ſua probata dediſſe videtur *Mairanus*, ſequi licere proportiones Islæanas videtur.

Area Pariſiorum.

40. Hoc monito ſaltem, quod *Islæus* a ſua dimenſione exceperit hortos majores quosdam, intra pomœria vel ædificia urbis Pariſienſis incluſos. Quod cum ipſum non neceſſarium videatur nobis, juſtoque ſcrupuloſius, ſaltem ab inſtituto noſtro & modo conſiderationis harum urbium alienum, ſupplendæ nobis erunt prius areæ horum hortorum, quo ad totius ſuperficialis quantitatis notitiam perveniamus. Memorat adeo in ſpecie duos exceptorum, quos *des Thuilleries* & *de Luxembourg* vocant Pariſienſes, quorum aream non minorem 76862 Hexapodis Gallicis quadratis deprehendimus, indicio ſchematum deſcriptorum, quibus (ne in exaggerando nimii videamur) pro reliquis majoribus hortis, quorum nomina ſuppreſſit *Islæus*, addimus dimidium ſaltem hujus ſummæ 38431, ex quibus adeo, & ex 3538647 Hexapodis quadratis Gallic. quas reliquis partibus urbis Pariſ. dictus vir Celeb. tribuit, conflatur area totius ejusdem 3653940 Hexap. quadr. Quæ reductæ ad ſtadia quadrata vetera, qualibus hic utimur, & quæ habent proxime 2687 Hexapodas quadratas, dabunt 1359 vel proxime 1360 ejusmodi ſtadia quadrata vetera.

Area Londini.

Londinenſis vero urbis area ex admiſſis ab ipſo *Du Vallio* eſt 3370140 Hexapod, quadr. vel ſtadiorum quadr. veterum 1254. Quibus hæ determinationes diſplicent, hiſce, dum nobis nec otium nec facultas ad hæc ſupereſt, integrum eſt, novo inſtituto calculo in hanc rem inquirere.

## HOLMIA Suecorum,

## STOKHOLMIA.

41.

Figura Holmiæ Suecicæ.

ET hujus urbis figura facili opera exhiberi poterat. In ſchemate ejus, quod habemus majus, *ulnæ Suecicæ*, quam duorum pedum eſſe probabile exiſtit, proponuntur, & pedis Suecici proportio ad alios atque Pariſienſem nota eſt. Videatur adeo TAB. IV. Fig. XXI.

## PETROPOLIS RUSSIÆ.

42.

Menſuræ ſchematum urbis Petropol.

HUjus vero recentiſſimæ urbis deſcriptio pariter aliquam difficultatem habebat. Duo enim ejus ſchemata in promtu cum ſint, eorum unum in ſcala exhibet menſuras, quibus *paſſuum* nomen datur. Quod impoſſibile eſſe deprehenditur, vocandasque fuiſſe *greſſus* vel *ſemi-paſſus* pedum ſcil. 2½. Sed nec de genere pedum conſtat: & præterea in exceſſu peccare dimenſiones hac ſcala captas, indicia ſunt manifeſta. Quapropter alterius ſchematis ſcalam pro juſtiori habemus, quæ *Orgyjas Ruſſicas* vel *Sazcheu* proponit.

Quibus eo commodius utimur, quia eorum proportio ad menſuras notiores Europæas in poteſtate eſt.

Pede enim *Anglico* poſito 1350 partium, *Sazcheu* una eſt talium 9477. Ad hanc adeo proportionem deſcripta eſt TAB. IV. Figura XXII.

43. De qua quod amplius moneamus non eſt, quam ut notemus, irregularem huic quidem figuram contigiſſe propter feſtinationem Imperantis; cum Glorioſiſſimus Ruſſiæ Monarcha Petrus ejus conditor exiguo tempore, ex nihilo maximum hoc corpus educeret. Eum vero, qua erat peritia artium pulcherrimarum, adeoque & Matheſeos, deſtinaſſe, irregulari hac figura abolita, ipſi regularem & ordinatam conciliare, ea in inſulam, quæ *Baſili Oſtrovv* ſive magna dicitur, translata, ædificiis novis conſtitutis, & in regulares areas plateasque deſcriptis. Cujus deſtinatæ formæ ſchema quidem extat, ſed ipſa ob varia impedimenta hactenus in effectum deduci non potuit, partibus ſaltem ejus inſulæ quibusdam ædificia habentibus.

## LIMA vel REGUM Urbs

## PERUVIÆ CAPUT.

44.

COronidis loco etiam LIMAM, RIMAC vel REGUM URBEM, Peruviani Regni primariam (dictam non à 3 Regibus, ſed à Carolo atque Johanna matre ejus tum ſimul regnantibus) exhibere viſum eſt, etſi proprie huc non ſpectantem, ſaltem, ut ſpecimen habeamus urbium extra Europam quoque & remotiſſimarum, recentius & a noſtris vel Europæis ſtructarum.

Cæterum hæc urbs foſſis deſtituitur, vallo modo, quod vero lapide veſtitum exiſtit, contenta. Diſpoſitio platearum ſatis elegans & maximam partem regularis, in minutulo typo ad ſcalarum noſtrarum generalium menſuram exacto delineari non poterat, ex *Frezierii* elegantiſſimo opere *Peregrinationis in Americam meridionalem deſcriptionem* exhibente, petenda. Quoniam vero non tota area vallo illo murato cincta domibus inædificata exiſtit, eam quæ domibus deſtituitur, ab illa altera in figura noſtra urbis ipſius diſtinximus; quæ ultra flumen ſunt, ad ſuburbia ſpectant. Vid. TAB. VII. Fig. XXIII.

45. Quod

Area Limæ. 45. Quod ſi etiam hic ambitum urbis cenſeamus comprehenſum inter cortinas munitionis excluſis propugnaculis & ſuburbio, invenietur urbis ipſius area 612 Stad. quadr. veterum. Vel ſi ſuburbium, quod fere 53 vel 54 talibus Stadiis quadr. æquiparatur, ſimul ſumas, erit area 665 vel 666.

## AMSTELODAMUM.

46.

QUia hujus urbis magnitudo cum recenſis non plane reſpuit comparari, imo vero facit ad accuratius judicandum, an, quæ noſtro tempore magnæ habentur urbes, cum veteribus comparari poſſint, ejus quoque figuram adjicimus, facile ex accurato typo ſcala pedum Rhenanorum inſtructo depromendam. Externa quælibet Opera, vel & foſſas, a nobis omitti potuiſſe, imo debuiſſe, facile quivis intelligit, cum vallum noſtro tempore loco murorum apud veteres fuerit, adeoque hactenus in præcedentibus quoque urbibus murorum ſaltem ratio habita fuit, in ambitu exprimendo. Conf. TAB. VII. Fig. XXIV.

47. Quibus adeo poſitis, ſi & hic ambitus pariter æſtimetur, ſaltem contentus intra lineas polygonales interiores, ut vocant, ſive cortinas, excluſis propugnaculis, invenietur area $558\frac{1}{2}$ aut 559, vel rotundius 560 Stadiorum veterum quadratorum. Area Amſtelodami.

## DE ALIIS URBIBUS RECENTIORIBUS.

48.

PLurium urbium ex recentioribus poterat hic commemoratio fieri propter magnitudinem celebrium, MEDIOLANI, PRAGÆ, BITURIGI, ROTOMAGI, aliarum, niſi credidiſſemus, unicum hoc Amſtelodami exemplum ſufficere pro inſtituenda comparatione recentiorum & veterum urbium. Quia circa recentiores non eæ ſunt difficultates, quæ peculiarem diſcuſſionem & prolixiorem inquiſitionem mererentur.

## ULYSIPPO.

49.

ULYSIPPONIS ſaltem mentionem feciſſemus, ſi vel accuratius Schema, vel relatio fide dignior de ejus ambitu noſtris regionibus haberetur. Sunt enim, qui ajunt, eam urbem quatuor quidem muros habere, ſed exterioris ambitum eſſe 6 Leucarum, quæ ſi etiam Gallicæ minores intelligantur, ſatis magnam eam efficerent, & ſane Roma moderna multo majorem. Utpote cujus aream æſtimavimus Stadiis illis quadratis 1400 fere, cum ex iſthac ſuppoſitione, poſita figura Ulyſipponenſis urbis rectangula, & tali quidem, cujus laterum proportio fere dupla (a qua non admodum abludit) oriatur ejus area ad 3698 talia Stadia aſſurgens.

At vero ſi figuram, licet minuſculam, conſulamus a *Maneſſonio Malleto* deſcriptam, & ex numero propugnaculorum & diſtantiis inter eorum angulos ſalientes poſſibilibus conjecturam inſtituamus, tantæ magnitudinis ambitus nequaquam prodire deprehendetur (vix pedum ſcil. Pariſ. 33000, minorque adeo 3 Leucis).

# VIENNA.

50.

FUeramus etiam VIENNÆ AUSTRIÆ figuram daturi. Quæ in ſe modica propter ſuburbiorum extenſionem inter urbes majores merito refertur, habetque figuram, ſi ita loqui liceat, clauſam vel limites determinatos, ſi pro eis capiamus *Lineam* vel *Vallum*, ſtylo Romano, quæ ex terra facta una cum foſſa contra incurſiones ſubitas, ambit omnia ſuburbia. Sed ad cognitionem menſurarum ejus ſchematis nulla extat in memorato ſchemate manuductio.

## GENERALIS OBSERVATIO

### *De magnitudinibus urbium hic conſideratarum & recenſarum.*

51.

Tabula arearum inventarum.

EX iis, quæ dicta ſunt, facillimum eſt, de comparata, quam ſpectavimus, magnitudine ſingularum urbium ferre judicium, & quænam palmam mereatur, determinare. Ut eo gratius faciamus Lectoribus noſtris, ſummam eorum, quæ produximus, in Synopſi exhibemus. Sunt adeo areæ

| | | |
|---|---|---|
| Babylonis | Ex vero. Poſita juſta magnitudine Stadii veteris. | 14400 |
| | Poſita veteris Stadii magnitudine eadem ac recentioris | 48400 |
| Ninives | juxta Diodorum | 13500 |
| | juxta alios | 12000 |
| Palibothræ | | 1200 |
| Meſpilæ | | 2025 |
| Lariſſæ | | 225 |
| Ecbatanorum | | 4150 |
| Syracuſarum | | 2820 |
| Romæ veteris | | 1223 |
| Conſtantinopolis veteris | | 1173 |
| Pekini | | 6211 |
| Nankini | recentis ex Haldiana figura | 4822 |
| | veteris interioris juxta quosdam | 7744 |
| | veteris exterioris | 48400 |
| Sin Ngan | | 2293 |
| Han Tſcheu | | 2395 |
| Su Tſcheu | | 1914 |
| | | 1920 |
| Kan Tſcheu | | 1640 |
| Yedo | | Dub. |
| Meaco | | 1736 |
| Romæ recentis | | 1400 |
| Pariſiorum | | 1360 |
| Londini | | 1254 |
| Limæ | | 666 |
| Amſtelodami | | 560 |

52. Manet, quemadmodum apparet ex iſthac tabula, Babyloni prærogativa præ reliquis urbibus etiam Sinenſibus modernis, etiam præ Nankino, ſi vetus ejus, ſed interior ambitus conſideretur. Concluſio.

Atque eadem etiam Nankinum iſto ſtatu, veteri nempe, exiſtentem vincit, quamvis admittatur, plures areas intra Babylonis ambitum fuiſſe vacuas. Nam viciſſim Babylon habuit plures domos 3 quatuorve contignationum, cum Sinenſium urbes univerſæ habeant domos unius contignationis, atque adeo numero ædium vel tectorum quantumvis majori exiſtente, urbis Sinenſis, tamen habitationum vel & conclavium major quoque fuit numerus Babylone.

Quod ſi vero probatum ſatis eſſet, quæ de ambitu exteriori Nankini veteris monſtroſa plane tradunt, multo eam maximam totius orbis pronunciandam fore, concedendum eſt.

SECTIO

# SECTIO III.

## *De Veteribus quibusdam magnificis Operibus.*

## PARS I.

## *DE TEMPLO BELI.*

I.

INvitavit nos ſuperior tractatio, de BABYLONE imprimis ejusque partibus, ad conſiderationem quoque OPERUM MAGNIFICORUM quorundam IN ANTIQUITATE, quorum magna fama eſt, at de quorum magnitudine minus quoque recte judicatur ignoratione, quæ apud plurimos eſt, verarum menſurarum Geographicarum. De his adeo breviter. Nam quo minus prolixi ſimus, plures nobis ſunt rationes.

Quæ vero a nobis primario ſpectabuntur, erunt BELI TEMPLUM quod Babylone extitit, & PYRAMIDES ÆGYPTIÆ; atque horum magnitudo tum in ſe, tum comparate ad ſe invicem.

2. Primum, de quo agimus, ab *Herodoto* vocatur TEMPLUM BELI, *à Strabone* ſepulchrum (Ταφος) ab *Æliano* monumentum (μνημα) ejusdem.

Herodoti relatio de Templo Beli.

In hujus conſideratione fundamenti loco nobis ſint verba *Herodoti* luculenta, qui poſt ea, quæ ſuperius citavimus de Babylonis conſtitutione, ita pergit: *In altero eſt vero Jovis Beli templum æreis portis, id quod mea etiam nunc ætate exiſtit, duorum undecunque ſtadiorum amplitudine, figura quadrata. In ſacri medio turris ſolida, craſſitudine ſimul & altitudine ſtadii, cui alia rurſus ſuper impoſita turris & huic ſubinde alia ad octavam usque. His forinſecus ſcalæ ſunt in circuitu adhibitæ, per quas ad ſingulas conſcenditur turres. In mediis gradibus ductus, ſellæque in hoc factæ, in quibus aſcenſuros liceat quieſcere ac ſedere. In poſtrema turri ſacellum eſt aliud, in quo lectus eſt ſplendide ſtratus, & appoſita menſa aurea. Statua tamen in hoc ſacello nulla eſt: neque hic noctu cubat hominum aliquis, præter mulierem unam ex indigenis, quam ex omnibus Deus delegerit, uti narrant Chaldæi hujus Dei ſacerdotes.*

Et poſt pauca huc non ſpectantia: *Porro in Babylonis templo aliud etiam eſt ſacellum inferius, quod magnam habet Jovis Statuam, eamque auream, pone menſam & ipſam auream, ſimul & ſuſtentaculum cum ſella omniaque aurea: adeo ut Chaldæi octingentorum talentorum auri opus æſtiment. Extra ſacellum altare eſt & ipſum aureum, atque præter hoc aliud altare ingens, in quo integræ ætatis hoſtiæ immolantur: quandoquidem ſupra aureum illud non licet hoſtias mactare, præterquam lactantes. Inſuper in hoc majusculo altari Chaldæi quotannis centum millia talentorum libanoti adolent, quando huic ſuo deo ſacra faciunt. Eratque in hoc templo etiam dum illo tempore Statua duodecim cubitorum e ſolido auro: quanquam ego hanc non viderim, ſed ea referam, quæ a Chaldæis referuntur. Hanc Statuam Darius Hiſtaſpis filius inſidioſe captans, non auſus tamen fuit diripere: ſed eam poſtea Xerxes Darii filius abſtulit, ſacrificio, qui prohibuerat ſtatuam loco movendam, interemto. Atque illud templum hoc pacto conſtructum fuit ornamentis: etiamſi alia ſint peculiaria pleraque ejusdem donaria.*

Habemus adeo ſi non omnia, tamen potiora de hoc magnificentiſſimo templo vel turri vel Pyramide, ad quæ junctim cum iis, quæ ab aliis traduntur, deſcriptiones ejus erunt exigendæ.

3. Audiendus vero & prius erit *Strabo*, qui L. XVI. ita inquit: *Pyramis erat quadrata & latere coctili ſtructa, ſtadii altitudine, cujus quoque latus ſtadii altitudinem obtinebat.* Strabonis de eodem relatio.

4. Quisnam adeo ejus Conditor, vel quæ cauſa operis fuerit, ea proprie hic nos non tangunt. Notum eſt, credere quosdam, loci *Geneſ.* Conditor & deſtinatio hujus templi.

*neſ.* XI. hunc eſſe ſenſum, quod homines priſcæ ætatis in deſtinatis habuerint, unam præcelſam turrim & præterea urbem ædificare. Plerique adeo horum etiam credunt, eam eſſe turrim, de qua *Herodotus* loquitur, quæ ut libet pridem ad alios uſus confecta fuerit, tamen poſtea in templum Beli, quem etiam inter conditores principem, & alio nomine Nimrodum dictum credunt, converſa fuerit.

At, cum dubium ſit, an unquam ea fuerit hominum illorum cogitatio & animus conſtruendi unam turrim & urbem; & non potius urbem muris & pluribus turribus inſtructam, ſed murum & turres immenſæ altitudinis, quod verbis, quibus turris vel turres vertice cœlum petituræ dicuntur, indigitatur; cum dubium præterea ſit de deſtinatione ipſa turris, ſi quæ unica & ſolitaria conſtructa fuit, cum de ætate, qua ædificatio hujus operis ſuſcepta, de numero hominum illa orbis ætate, quam ſupponunt, quæque proxime præcedenti totali deſtructioni hominum per diluvium aliquod aquarum, & quidem Noachium vicina admodum creditur, poſſibili, de Conditoribus & nomine primarii inter eos, vel autore illius operis, cum, inquam, nobis hæc omnia dubitationibus multis involuta videantur, una cum ipſo eventu, qui eam inſecutus fuit, quem vulgo confuſionem linguarum credunt, in hujus diſputationis aream non deſcendimus, ſed ſimpliciter de uſu atque deſtinatione Operis hujus cenſemus, videri idem ſtatim initio ad uſum Templi conſtructum fuiſſe. Deſcriptio enim interiorum tam abnormis maſſæ ſtatim initio ad certum aliquem finem dirigenda fuiſſe videtur; nec credibile eſt, eandem poſtea facile ad alios uſus aptari potuiſſe, mole tanta impendente, quæ ruinæ cauſam præbuiſſet, ſi multa moverentur & novarentur: præſertim ſi reſpectum habeamus ad veterem Architecturam, vel ſcientiam veterum in hac arte, quibus fornicum uſum & artificium ignotum fuiſſe conſtat, quemadmodum infra probabitur. Unde incumbentia onera, remotis, quæ eadem prius ſuſtinuerant, non niſi ſolidis ſaxis interjectis firmari potuiſſent, quorum machinatio intra partes alias jam conſtructas difficultatis fuiſſet vix animo concipiendæ. *Strabo*, dum hoc opus ſepulchrum Beli vocat, hoc ipſo & noſtræ ſententiæ robur addit, cum ſciamus, quæ prius ſepulchra fuerint, poſtea a ſuperſtitioſis poſt deificationem herois ſui templorum vicem ſubiiſſe; vel ſepulchra tam magnifice ſtructa fuiſſe, ut uſum etiam templorum præbuerint.

*Dimenſiones templi Beli.*

5. Quoad dimenſiones operis hoc ſolum erat, quod dicendum nobis videbatur, & ob quam etiam cauſam maxime hæc tractatio ſuperiori nectenda viſa eſt, quod ſcilicet STADIA & hic intelligantur VETERA. Sed quia nimis ſicca & ſterilis hæc notitia vel conſideratio futura fuiſſet, viſum eſt & de reliqua forma templi agere.

*Forma interioris ædificii.*

6. Duas adeo partes hujus ædificii aperte cum faciat *Herodotus*, primo quidem de interiori diſpiciamus.

*Inferior pars interioris operis.*

Atque hujus interioris partis duæ iterum ſunt portiones. Inferiorem quadratam habuiſſe figuram, *Strabonis* diſerta verba dubitare nos non ſinunt. Dimenſiones laterum hujus quadrati ex utroque habemus, unius ſtadii veteris & altitudinis pariter ſtadii, ut adeo Cubi perfecti figuram habuerit, excepto dubio procul coronice vel faſcia quadam coronicis inſtar, ſuperiorem partem ejus ambiente.

*Superior pars interioris ædificii.*

7. Pyramidalem figuram dum huic ſtructuræ tribuit *Strabo*, facile perſpicitur, primo hoc eſſe intelligendum de ſuperiori parte, quæ huic cubo memorato ſuperpoſita erat, deinde pyramidis vocem hic a *Strabone* uſurpari per accommodationem aliquam. Conſtabat enim hæc pars non hedris planis quatuor in apicem deſinentibus, ſed ut ex *Herodoto* diſcimus, turres vel partes ſtructuræ invicem ſibi ſuccedentes vel inſidentes, inque altum ſurgentes decreſcebant, adeoque in ſummitate contractiores erant, quæ forma adeo pyramides ſaltem æmulabatur.

*Dimenſiones ſuperioris hujus partis.*

8. Hujus ſuperioris portionis dimenſiones neque proponuntur quo-

ad

ad totum neque quoad partes ab autoribus, a nobis adeo rationabili modo & conjectura veniunt determinandæ.

Kircheri & Sturmii ſententia de hoc templo.

Ante quam hoc fiat, dicendum eſt de aliorum ſuppoſitionibus & formis, quam huic ædificio tribuunt. Nominamus vero duos ſaltem ex celeberrimis quidem viris *Kircherum* & *Leonhardum Chriſtophorum Sturmium*, qui primo rotundam figuram huic ædificio tribuunt. Quod vero eſt contra ipſiſſima & expreſſa veterum autorum aſſerta, *Strabonis* & *Herodoti*. Et quamvis hujus verba videantur agere ſaltem de figura exterioris Operis, & interioris Operis craſſitudo & altitudo ſaltem, duæque adeo dimenſionum ſpecies tantum ab eo memorari, facile tamen cuilibet pateſcit, ſimilitudinem aliquam fuiſſe oportere interioris atque exterioris operis, adeoque nec exteriorem partem potuiſſe eſſe circularis figuræ. Præterea certum eſt, veteres in Operibus ſuis ſemper affectaſſe figuram quadratam. Cujus rei teſtimonium præbent urbes, pyramides ipſorum.

Deinde altitudinem totius Operis facit uterque Celeberr. horum Virorum ſtupendam. *Sturmio* eſt plane 28968 ped. Patet, utrumque in animo habuiſſe turrim illam eo ſaltem fine conditam, ut ſupra nubes emineret, quod eſſe apicem cœli ferire, cœlo minari, credunt. Quodſi probatum dari poſſit, revera tale inſtitutum hominum illius temporis fuiſſe, aliud ſane opus fuit, circa quod occupati fuerunt, quam de qũo loquimur. Nec adeo ad illud prius opus explicandum verba *Herodoti* ab ipſis allegari debuerant, quæ agunt diſerte de templo Beli.

Atque illud prius vel antiquius opus, ſi quod extitit, quamnam demum altitudinem habuerit, vel ex deſtinatione, vel revera, noſtrum non eſt quærere. Templum ſaltem Beli, de quo agimus, aliam determinatam at multo minorem habuiſſe altitudinem & reliquas dimenſiones proportionales eidem, patet ex proportione partis inferioris ad ſuperiorem. Nam cum ex *Herodoto* & *Strabone* conſtet, hanc pedum 311 vel STADII VETERIS altitudinem una cum latitudine & longitudine habuiſſe, non ultra triplum vel quadruplum, ad ſummum ſextuplum hujus ſummæ integri totius vel ipſius ædificii altitudinem potuiſſe exiſtere, nemo rerum architectonicarum gnarus negaverit.

Certe illi ipſi autores, qui ponunt majorem altitudinem, etiam inferioris partis dimenſionibus aliquid addunt, & *Sturmius* adeo diametrum infimæ contignationis facit 2284. pedum. Ex quo & ipſo ſequitur, hoc non poſſe valere de Monumento Beli, de quo quærimus.

Jam ſcalas exterius applicuit ſuo Operi *Kircherus*, & hactenus recte, juxta *Sturmii* deſignationem intra ipſum hæ occultabantur, quod eſſe contra expreſſa *Herodoti* verba, clarum.

Fornices in interioribus & arcus in exteriori facie fuiſſe placet his autoribus, in operis ſecundum ſuas hypotheſes delineatione. Nobis ne quidem in templo Beli, quod poſteriori tempore ſtructum, quam quo rentur hi autores turrim ſuam conditam, ſupponere licet, fornices proprie dicti fuiſſe videntur. Quanto minus adeo hi, qui remotiſſimis & longe antiquioribus temporibus turris ſuæ ædificationem ſuſceptam defendunt, probare poterunt, talem ejus turris fuiſſe ſtructuram. Dubitari enim poteſt, an inventio fornicum ſit adeo antiqua, ut infra monebitur.

Scalæ exteriores.

9. Miſſis adeo parum probabilibus, reique minus aptis horum aliorumque ſuppoſitionibus, dicam, an figmentis, de conſtitutione & altitudine ſuperioris partis, pyramidis formam æmulantis, primo agemus.

Scalas adeo exterius operi adſtructas fuiſſe propter clariſſima verba autorum citatorum ſcimus.

Hoc vero inſuper ponimus ex regulis Architecturæ plane ſimpliciſſimis, & quæ, quantumvis rudi ætati hominum his artibus ſe dantium familiares eſſe potuerunt, easdem fuiſſe in quavis contignatione duplices, vel duorum ramorum; ſive ex utraque parte aſcenſum præbuiſſe.

buiſſe. Ita ut notante hoc ſchemate ichnographico, Sect. III. TAB. I. ſcalæ v. c. in contignatione prima, ramus unus ab A per B & C ad D ductus fuerit, alter ab A per b & c ad eundem locum D.

Atque inde facimus aſcenſum fuiſſe ex D per E & F ad G, itemque ab eodem D per e & f ad G eundem cum priori locum, atque ita ulterius.

Porro, quia contignationum vel turrium 8 fuere, juxta *Herodotum*, diviſionem totius ſpatii quadrati inſtituimus in partes 22, vel à centro in partes 11. æquales plane.

Relinquuntur templo vel ſacello ſupremo quatuor undique harum partium, idem ambit ambulatio duas partes habens, & cuilibet contignationis ſcalæ pars una in latitudine tribuitur. Ambit adeo ſcala A B C D primam contignationem, ſcala D E F G alteram &c. Eſtque 1 primæ, 2 ſecundæ &c. contignationis murus exterior, prouti hoc ex figura ichnographica facilius, quam verbis prolixis quantum libet, diſcitur.

Dimenſio latitudinis harum ſcalarum & partium memoratarum inde ſtatim reſultat. Comperimus enim inſtituta diviſione latitudinem cujusque ſcalæ fuiſſe $14\frac{3}{22}$ ped. Pariſienſ. qui faciunt pedes Babylon. quibus Plinius utitur $12\frac{9}{10}$, hoc eſt, 13 ped. rotunde. Quæ ſane ſufficiens, ut utrinque occurrentes commode loco ſibi cedere potuerint, nec metuenda fuerit vertigo iis, qui propius marginem incederent, contignationes ſupremas petituri. Ambulacri adeo ante ſacellum latitudo eſt $28\frac{3}{11}$ ped. Pariſ. Sacelli quadrati latus $56\frac{6}{11}$ ped. Pariſ.

Acclivitatem harum ſcalarum facimus eam, quæ altitudini, ad quam aſcenderent, proportionalis, & aſcenſum quam facillimum reddere poterat. Adde quod eandem talem fieri oportuiſſe credimus, ut etiam vecturæ per eas ſcalas fieri potuerint & vehicula agitari, adeoque ſine gradibus eas facimus: altitudinem adeo baſeos horizontalis partem quartam ſtatuimus.

10. Sedilia, quæ ſcalas aſcendentibus facultatem quieſcendi dabant, commodiſſime in angulis ad plana ramo cuilibet ſcalæ interpoſita locata ponimus. Sedilia in ſcalis.

11. Ex hiſce ſuppoſitis reſultat adeo ſequens altitudo ſingularum contignationum & totius, prout ex figura ipſa ope ſcalæ deprehendi quoque poteſt. Altitudo ſuperioris partis & totius interioris operis.

Eſt nempe

| | Latitudo. | Altitud. | Summa altitudinum præcedentium |
|---|---|---|---|
| I. Contignationis vel turris | $282\frac{8}{11}$ | $113\frac{1}{11}$ p. Pariſ. | |
| II. | $254\frac{5}{11}$ | $98\frac{21}{22}$ | I. ad II. incl. $212\frac{3}{22}$ |
| III. | $226\frac{2}{11}$ | $84\frac{9}{11}$ | ad III. incl. $296\frac{19}{22}$ |
| IV. | $197\frac{10}{11}$ | $70\frac{19}{22}$ | ad IV. incl. $367\frac{6}{11}$ |
| V. | $169\frac{7}{11}$ | $56\frac{6}{11}$ | ad V. incl. $424\frac{1}{11}$ |
| VI. | $141\frac{4}{11}$ | $42\frac{9}{22}$ | ad VI. incl. $466\frac{1}{2}$ |
| VII. | $113\frac{1}{11}$ | $28\frac{3}{11}$ | ad VII. incl. $494\frac{17}{22}$ |
| VIII. | $56\frac{6}{11}$ | $49\frac{21}{44}$ | |

Octavæ contignationis vel turris aut ſacelli altitudo cum ſit arbitraria, eam longitudinis vel latitudinis hic fecimus $\frac{7}{8}$ partem, unde produximus eandem pedum Pariſ. $49\frac{21}{44}$.

Totius adeo Operis altitudo inde orietur 311, & $494\frac{17}{22}$, tandemque $49\frac{21}{44}$ ped. Pariſ. hoc eſt, in ſumma $855\frac{1}{4}$ ped. Pariſ. vel ped. Babyl. quibus Plinius utitur 783 proxime.

12 Excederet adeo altitudo hujus Pyramidis altitudinem turris Argentoratenſis, quæ noſtris regionibus maximam ea propter celebritatem habet, pedibus Pariſ. 410. Quandoquidem tradente *Eiſenſchmidio* in *Tr. de ponderibus & menſ.* hujus turris altitudo eſt 500 ped. Argentoratenſ. vel 445. Pariſ. hoc eſt, fere duplo major fuiſſet altitudo Pyramidis Babylonicæ, quam Germanicæ. Comparatio altitudinis hujus cum aliis.

Sub-

Subducto vero calculo deprehenditur ex hac altitudine, pedum nempe 805, qualis eſt duarum partium operis, excepto ſupremo ſacello, proſpectum futurum fuiſſe in horizontem omnimodo planum 8. mill. German. quindenariorum proxime, nempe $8\frac{3}{155}$.

*Alia hypotheſis de altitudine hujus operis.*

13. Quod ſi alia ſuppoſitio placeat; & ſcalas non ſymmetrice, ut dicere ſolemus, duplices vel biramias aut duorum ramorum faciamus, ſed unum ramum ſcalarum circumducamus, donec ejus exitus perpendicularis ſit initio ejusdem rami, in figura ſcil. Orthographica, adeoque in eodem latere turris v. g. anteriori conſpiciendi ſint initium & exitus ſcalæ unam turrim circum ambientis (cujus contrarium fit in priori hypotheſi, quam figura repræſentavimus) duplum altitudinis partis ſuperioris pyramidalis, usque ad VII. contignationem incluſive obtineri palam eſt, (poſita ſcilicet eadem acclivitate) foretque ea adeo $989\frac{6}{11}$ ped. Pariſ. Unde in ſumma totius Operis prodiret altitudo $1350\frac{1}{44}$ ped. Pariſ. vel 1172 ped. Babyl.

Hocque caſu, ut in tranſitu id quoque moneamus, paulo major triplo fuiſſet Pyramidis Babylonicæ altitudo, quam turris Argentoratenſis.

Proſpectus vero ex ejus ſummo ambulacro, cujus, excepto ſacello impoſito, altitudo fuiſſet $1300\frac{6}{11}$, haberi potuiſſet in horizontem planum 13 & $\frac{17}{150}$ mill. Germ. quindenariorum.

Num vero etiam eo caſu partis inferioris amplitudo ſuffecerit, & non potius ejus latitudo & longitudo pro ſuſtinendo rectius onere incumbente, major ſumenda fuerit, dubium eſſe poſſit; quare judicium cuique ſuum in eligenda una vel altera poſitione relinquimus.

Cæterum nobis placere priorem potius hypotheſin atque ſententiam eam potiſſimum ob cauſam, ut quam modeſtiſſimos nos exhibeamus, & minime ſtudere exaggerationibus videamur, diffiteri non poſſumus.

Quo vero facilius de indole utriusque harum hypotheſium & poſſibilitate earum, in comparatione etiam operis alius, quod magnum moliminum humanorum ſpecimen exiſtere creditur, pyramidis nempe Ægyptiæ majoris judicium fieri valeat, exhibemus Sect. III. TAB. III. non ſolum orthographicas deſcriptiones eorum juxta ſcalam majorem: ſed etiam juxta minorem ſcalam. Et hoc poſterius fecimus eo fine, ut non ſolum hypotheſis noſtra §. 9. cum ea, quæ §. 13. proponitur, ſed etiam cum deſcriptione interioris partis hujus templi, vel Turris Beli ad menſuram, quæ vulgo creditur, ſtadiorum facta, facilius conferri poſſit.

*Ædificium exterius*

14. Hæc de interioris Operis vel Turris ipſius dimenſionibus & proportionibus externis.

De exterioris Operis, & partis infimæ de interiori ſtructura ſupereſt, ut ſententiam dicamus.

*Forma ejus*

Et de priori quidem prius. Qualem vero ei formam tribuamus, ex ſchemate noſtro TABULA II. Sect. III. patet, quæ ſi aliis alia placuerit, noſtrum non eſt cum eis diſputare. Conjecturam enim ſaltem proponimus. Eam vero cum ratione factam inde poſſumus probare, quod ſimiles formæ obſerventur in aliis Gentium templis: Atrium, ſubdialia, Columnationes. Quibus jungenda videntur conclavia pro uſibus ſacerdotum & cuſtodum, quibus ſi aliam quamlibet diſpoſitionem & figuram quisquam velit tribuere, nobis non invitis hoc licebit ei ſumere.

*Dimenſiones ejus.*

Ejus ſtructuræ exterioris dimenſio latitudinis cum detur 2 ſtadiorum, huic proportionalem decernimus altitudinem $\frac{1}{3}$ ſtadii.

*Exornatio per columnas.*

15. Inde intelligitur columnarum quoque altitudo. Nam etſi non ex omni parte veteres noſtris proportionibus in diſtributione partium columnarum uſos fuiſſe facile demus, teſtantibus de mente noſtra etiam iis, quæ mox dicentur, in quibusdam tamen operibus etiam noſtras proportiones eos adhibuiſſe, vel non admodum ab illis receſſiſſe docent nos exempla columnarum Ægyptiarum in Labyrintho Temploque Hermonthitico, quas nobis *P. Lucas* delineatas dedit, in recondita & ſtructuræ hujus templi æquali ætate. Quod ſi admittatur,

erit modulus vel ſemidiameter Columnarum harum 4 ped. Pariſ. Diameter 8 ped. Diſtantia Columnarum 23 ped. Inter columnium adeo 15 pedum commodam, ut patet, deambulationem præbens, adeoque fini optime ſatisfaciens.

Cæterum diſtantiæ ipſæ columnarum ita quoque ſunt comparatæ, ut ſive Epiſtilium (Architravam vocamus alio nomine) ex trabibus continuis ligneis v. g. cedrinis (quales Semiramis in pontis conſtructionem adhibuit) fuerint, itemque vincula transverſa in Zophorum exeuntia pariter ex talibus trabibus facta ſupponamus, ſive ex ſolido quoque ſaxo exciſa (ut *Opus nullo addito ligno obtineretur*, quale Labyrinthus fuit teſte *Plinio*) tamen diſtantia hæc faceret poſſibilem executionem.

De trabibus ligneis res eſt extra controverſiam, trabes ex ſolido ſaxo vero 23 pedum Pariſienſium nempe, & ultra, veluti 24 vel 26, adhibitas in Labyrintho quoque ex *P. Lucæ* relatione novimus.

Craſſities columnarum expenſa.

Neque nimia videri debet Columnarum craſſities in opere hoc Coloſſeo. Diametro earum exiſtente 8 ped. Pariſ. circumferentia eſt paulum excedens pedes 25. Atqui memorat *P. Lucas* in Templo Tentyritano Ægyptiaco viſas ſibi columnas, quas octo viri vix brachiis complecti poſſent; quæ foret circumferentia 44 minimum pedum. Idem in ruderibus templi, quod Iſidis fuiſſe retur, prope magnam *Mahalleu* (recentiorem urbem Deltæ) columnas obſervavit, quarum diameter 7 pedum Pariſ. *J. F. Gemelli Carreri* in relatione itineris a duobus Miſſionariis, *Jacobo Albani* & *Joſepho Maria de Jeruſalem* ſuſcepti memorat ab ipſis viſas ad *Luchſerem* vel *Luxor*, ubi Hermonthis vel etiam Memnonii (quod Thebarum e regione fuerat) rudera extant, columnas 16 numero, quarum circumferentia 47 palmorum. Quos ſi intelligamus Romanos, (ſcilicet ne exaggerationibus ſtudere videamur minores palmos 99 partium ſumentes, etſi ipſe *Gemellius* Neapolitanis 117 partium uſus fuiſſe in aliis videatur) cedent circumferentiæ $32\frac{1}{3}$ pedes Pariſ. diametro $10\frac{1}{3}$ pedes Pariſ. proxime. Item in ædificio quadratæ figuræ 100 columnis ornato, columnas ipſas conſpectas 37 palmorum circumferentiæ; quæ cum foret $25\frac{2}{5}$ ped. Pariſ. fere æqualis (in ſuppoſitione palmorum Romanorum) daret diametrum 8 pedum Pariſ. proxime, proximeque adeo accedentem ad eam diametrum, qualem in ſtructura hac templi Beli ponimus. Porro referentibus illis obſervatum fuit ad urbem priori vicinam CHAK aliud opus 150 columnarum, quarum craſſities 60 palmorum, altitudine exiſtente 100 palmorum, excepto tamen capitulo. Prodirent reductione debita facta 19 palmi vel 13 ped. Pariſ. pro diametro. Verum eſt quidem, altitudinem illam 100 palmorum diametri columnæ 19 palmorum exiſtentis non plane reſpondere proportionibus, quales noſtro tempore adhibemus in ſcapis columnarum, earumque altitudine.

Sed apud veteres non plane easdem ac apud nos obtinuiſſe ſemper proportiones ſtatuere, aut partem aliquam columnarum ſub terra ſucceſſive aggeſta latuiſſe, dicere non videtur abſonum. Quod ſi vero proportiones easdem ac noſtro tempore adhibitas fuiſſe ſtatuamus in Columnis aliis, quæ theatrum in illa urbe CHAK extans ornabant, & quarum altitudo memoratur deprehenſa 150 pedes habere: hosque pedes intelligamus mediocres (nam vaga appellatione pedum utitur & hic *Gemellius*) verbi gratia Romanos 1318 vel 1320 partium, quales habet Pariſienſis 1440, porroque ſi ſtatuamus columnarum ordinem, ut vocant, Corinthium ex ornatiſſimis nempe, & tandem modulum vel ſemidiametrum columnæ 24 mam partem, diametrum vero 12 mam partem altitudinis totius, juncta trabeatione, orientur ſane iterum $12\frac{1}{2}$ pedes Romani vel $11\frac{2}{5}$ ped. Pariſ. pro diametro, qua quantitate minor eadem eſſe haud potuit.

Ædificii interioris inferior pars. Cava interius.

16. Quoad interioris partis ſtructuram inferiorem non ex ſolida continuaque maſſa eam factam palam

lam eſt. Unde enim aſcenſus in ſuperiorem partem, cum nullæ exterius adhibitæ ſcalæ memorentur? Fuere proinde ſcalæ interius applicatæ, atque inde & aliæ partes cavæ uſibus Operum in templis ſuſcipiendorum deſtinatæ.

Reliqua conſtitutio. 17. Quomodo vero hæ partes fuerint comparatæ, meræ fieri posſunt conjecturæ.

Quæ pariter ut ratione non deſtituantur, oportet mente verſari, quæ fuerit templorum Idololatricorum conditio. Illa vero pleraque modicæ latitudinis, unico conſtantes conclavi, in cujus fundo vel extremo locus pro ara atque imagine.

Pariter vero non amplum fuiſſe ſpatium ejus, quod pro templo inferiori ſerviebat, facit credibile *Herodoti* aſſertio, qui ſacelli nomine inferius hoc templum, in quo Statua illa Beli magnifica cum altaribus menſisque locum habebat, nominat.

Latitudo partium interiorum. Huic fini adeo videtur latitudo 24 pedum abunde ſatisfeciſſe. Quare in ſchemate TAB. II. hujus Sect. III. decuſſatim a nobis diviſa eſt area in porticus ejus latitudinis, quæ lucem acciperent a quatuor ſaltem partibus, nam plus lucis ad ejusmodi templi illuſtrationem non requirebatur, cum pleraque Ethnicorum templa plane feneſtris deſtituta fuerint.

Majorem vero latitudinem hiſce partibus propterea etiam dandam non cenſemus in genere, ne oneris ingentis incumbentis fundamentum cavitatibus nimiis juſto plus infirmaretur, partim quia ex ſtructura hac fornices proprie dictos ex arcubus conſtantes lapidum cuneiformium exulaſſe fere perſuaſi ſumus. Latitudo adeo talis fuerat ſumenda, ut lacunar vel cœlum trabibus non quidem ligneis, quæ oneri ferendo ſimpliciter impares futuræ erant, ſed ex ſolido ſaxo conſtantibus fieri poſſet.

Fornicum antiquitas inveſtigata. 18. Talem enim Architecturam vel ædificandi rationem obtinuiſſe illis temporibus, quibus Ægyptii magnificentiſſima ſua templa condiderunt, Tentyritanum Hermonthiticum, Labyrinthum extra dubium eſt. Atqui illa tempora vel eadem fuere cum his, quibus perfecta ſtructura Templi Beli, vel ſi qui ſunt, qui Templum Beli cum Babylonica illa turri comparant, & hanc remota adeo antiquitate conditam rentur, tempora ſtructuræ ægyptiorum templorum erunt recentiora. Proindeque ſi his recentioribus temporibus uſus fornicum ſive lacunarium arcuatorum nondum notus, ſed lacunaria omnia plana, eaque adeo ex ligno trabibusque ligneis ordinarie, ſed in operibus magnificis, quale Labyrinthus ex trabibus lapideis fieri ſolita, ſane nec in antiquiorum ætatum operibus fornices admitti poſſunt.

Notitiam hujus generis Ægyptiacæ Architecturæ vel ſtructuræ haurimus ex *P. Lucæ* Itineribus, & figuris ad eadem factis. Quo referente nobis conſtat, in templo Hermonthico magnificentiæ ſtupendæ, quod Apollini dicatum fuiſſe aliunde novimus, ſacellum extitiſſe lacunari plano ex lapide conſtanti inſtructum, lapides fuiſſe numero 5, ſingulos habuiſſe longitudinem 20, latitudinem 5, craſſitiem vero $2\frac{2}{3}$ pedum Pariſ. Ut adeo ſacelli latera fuerint 20 & 25.

Cujus verbis fides major accedit ex iis, quæ apud Gemellium extant in relatione itineris duorum Miſſionariorum ſuperius commemorato, qui notarunt ſcilicet inter veſtigia antiquitatis prope *Luxor* vel *Luxerem* occurrentia, quæ adeo cum Hermonthiticis eſſe plane eadem, probabilitas eſt maxima, ſibi viſum cœlum conclavis ex ſolidis lapidibus, quorum long. 30 palmorum vel (ſi Romanos palmos intelligamus, quia Miſſionarii ex Italia fuere) pedum Pariſ. $20\frac{2}{3}$ latitudinis 9 palmorum vel ped. Pariſ. 6[illegible] fere, & altitudinis 6 palmorum, hoc eſt, 4 pedum Pariſ. proxime.

Porro in Tentyritico templo magnificentiæ ejusdem vel majoris (utpote quod porticus habuerit ex 3 ſeriebus columnarum, & earum quidem, quas diximus, circumferentiam habuiſſe 8 virorum amplexum æquantem) pariter fornix plana a *P. Luca* viſa eſt ex lapidibus inſignis longitudinis, latitudinis ve-

ro 6 vel 7 pedum, adeoque craſſitiei proportionatæ.

Denique in Labyrinthi quoque celeberrimo ædificio hoc deprehendit *P. Lucas.* Nam cum idem ex ſolido ſaxo, nullo addito ligno, ædificatum eſſe, *Plinius* cum *Strabone* notent, atque hic imprimis luculentam deſcriptionem lacunarium ſubminiſtret, ita ut in tabulatum ſuperius aſcendenti, campum veluti lapideum ſolidum ſe viſui præbuiſſe dicat; recentior hic peregrinator in ſpecie obſervat, conclave ſe vidiſſe, & ad menſuras ſuas exegiſſe atque examinaſſe, quod ex marmore univerſum conſtaret, lapides lacunaris plani numero fuiſſe 12, longitudinem habentes 25 pedum, latitudinem 3 pedum (unde latus conclavis unum ſurgit ad 36, alterum ad 25 pedes) Altitudinem memorat fuiſſe 40 pedum, ſed non totam, quia pavimentum pulvere ad inſignem quantitatem repletum ejus altitudinis partem non modicam conſpectui ſubduxerit.

Aliud ſe ibi conclave deprehendiſſe memorat, cujus lacunar ex 13 ſaxis vel trabibus lapideis, ſed minoris magnitudinis conſtiterit.

Magis vero nos confirmat in ſententia noſtra, facitque, quo minus credamus veteribus Ægyptiis, & Architectis, qui ætati horum operum Ægyptiorum & Babyloniorum pares fuere, uſum fornicum notum extitiſſe, eſt hoc, quod obſervamus in cryptis ſuarum Pyramidum, cameras quidem vel conclavia habere lacunaria aut plana ex lapidibus prægrandibus. (Conſtat ſcil. lacunar conclavis Pyramidis maximæ infra deſcribendæ ex novem lapidibus 4 pedum latitudinem habentibus) aut talia, quæ formam habent, ſi ſtylo Architectorum modernorum utamur, Dorſi aſinini, conſtantia, ſcil. ex duobus ſaltem lapidibus inclinatis in vertice anguli, quem lapidum plana formant contiguis. Quam formam eſſe ſimpliciſſimam committendorum lapidum, ex qua demum ſucceſſu temporis profectum majorem in Architectura facientibus hominibus fornices arcuati pluribus cuneiformibus lapidibus conſtantes ortum duxerint, vero quam maxime eſt ſimile.

Sane pyramidis maximæ conclave minus, tria vero conclavia pyramidis alterius maximæ pariter inter eas, quæ prope puteos Mumiarum inveniuntur, talibus cœlis vel lacunaribus diſpluviatis conſtant, teſtante expreſſe *Gemellio*, & primi canales vel meatus quamvis anguſti, qui introitum præbent in prius commemoratam infraque deſcribendam pariter hac forma in parte ſuperiori gaudent atteſtante *Paulo Luca.*

19. Quodſi hæc exempla & rationes non ſatis aliquem condocent, ignotum fuiſſe uſum fornicum arcuatorum ex lapide conficiendorum, etiam illud non immerito allegari poteſt, quod legitur, Semiramidem, dum pontem ſuper Euphratem in urbe Babylone fecit e pilis lapideis, & ſumma arte ac labore factis, eas tamen non fornicibus junxiſſe, ſed trabes cedrinas prægrandes eis inſtraviſſe. Quo ſane in Opere quam maxime uſum facere potuiſſet fornicum, ſi quidem is tum ſatis notus fuiſſet. Ulterior conſideratio antiquitatis fornicum.

20. Non negamus, vocem Latinam fornicum vel Græcam Καμαρῶν apud autores veteres etiam uſurpari, cum de his Operibus Babylonicis ſimilibusque agunt, & hanc vocem plerumque de cameris & fornicibus arcuatis intelligi. Dubia circa hanc materiam.

Non citamus verba *Strabonis* L. XVI. de hortis penſilibus agentia paulo obſcuriora, quæ etiam ab interpretibus vel ſuis linquuntur tenebris vel magis obfuſcantur. Sed ejusdem *Strabonis* verba hoc inſinuare videntur, dum eodem L. XVI. paulo poſt ita ait: Portæ Babylone bituminatæ & altæ ſunt, tam ipſæ quam Domus, quæ omnes propter lignorum penuriam Καμαρωτοὶ, fornicatæ exiſtunt.

Ex quibus ſequi videtur, Babyloniis non ignotum fuiſſe artificium Camerationis per arcus, credibileque eſſe adeo idem in publicis æque ac privatis ædificiis adhibitum.

Sed hoc ipſum, an artificium ſit adeo antiquum ac Templi Beli ſtructura, itemque qualis tandem forma τῶν Καμαρῶν fuerit, ex hoc loco non poteſt concludi. Fornices enim

etiam

etiam planas intellexiſſe veteres ex loco *Plinii* L. 36 c. 13 manifeſtum; qui eo loco de ipſa Labyrintho Ægyptiaca diſſerens, in qua plana lacunaria fuiſſe oſtendimus: *Id quoque*, ait, *traditur*, *fulſiſſe trabibus ſpinæ oleo incoctæ*, *dum fornices quadrati lapidis aſſurgerent.* Fornicem adeo ex quadrato lapide factam agnoſcit, & fulturæ loco, dum opus ſtructum fuerit, lignum pretioſius, quam vulgo adhibitum fuiſſe memorat.

Latitudo partium interiorum confirmata.

21. Verum utut ſit, ſive cui placeat etiam fornices in ſtructura hujus templi adhibitos, ſive minus, perinde eſt nobis, nec propterea neceſſario danda foret latitudo major porticibus templi interioris, quam aſſignavimus in noſtra figura. Nam illam eſſe ſufficientem, & uſibus cultus idololatrici, quem Gentiles in templis exercebant, aptam, etiam exemplis Templorum Ægyptiorum mox commemoratorum convincimur.

Diſpoſitio interior operis.

22. Porro ſi cui viſa fuerit alia diſpoſitio concinnior, aut conſuetudini Antiquitatis aptior, pilasque plures fuiſſe credat & latitudinem partium interiorum majorem, ei hoc per nos licet; modo reſpectum habeat immenſi incumbentis ponderis.

Altitudo partium interiorum.

23. Altitudinem ſacelli & porticuum, quas deſignavimus, eam commodiſſimam fuiſſe credimus, quæ reſultat altitudine totius operis inferioris in 6 partes diviſa, quarum adeo duas infimæ contignationi tribuimus. Quod cum det 52 fere pedes, deductis aliquot, 4 nempe vel 6 pro lacunaris craſſitie, erit tota altitudo 48 vel 46 pedum ſatis accedens ad eam, quam Ægyptiæ Labyrinthi conclavibus competiiſſe vidimus.

Reliquas quatuor partes altitudinis totius duabus ſimilibus contignationibus relinquimus.

Interiora partis ſuperioris.

24. Partis vero ſuperioris pyramidalis interiorem diſpoſitionem fere ſimilem cum hac inferiori fuiſſe, nihil eſt, quod nos impediat ſtatuere, niſi quod contignationes vel turres ſucceſſive minorem altitudinem habentes, dividendæ fuerint in conclavia proportionaliter altitudine decreſcentia.

25. Hac diſpoſitione admiſſa, non eſt impoſſibile, mediam concavitatem, quæ eſt ad A B C D in TAB. II. Sect. III. excurriſſe per totam ſuperiorem partem turris usque ad ſupremam contignationem inſtar canalis altiſſimi. Sed ſive ſtet etiam hæc conjectura, ſive cadat, perinde eſt nobis.

26. Scalas in interiori parte inferioris operis, per quas ſuperior pars adiri poterat, loco eo fuiſſe, quo a nobis ſunt deſignatæ, nihil impedit, earum acclivitatem fecimus æqualem reliquis in ſuperiori parte.

Scalæ interiores.

27. Hæc de Architectura ipſius operis. De partibus, quæ ad officia Templi ſubeunda deſtinata erant, ſtatuat quisque, prout placuerit. Sufficientem enim eſſe locum pro Statua Beli, menſa ante Statuam, araque minori ab *Herodoto* memoratis, eſſe patet. Aræ majoris, in qua hoſtias cremari ſolitas idem *Herodotus* ait, locum ſive in atrio ſubdiali ſive intra ipſum templum deputari poſſe, pariter eſt ſatis manifeſtum.

Partes reliquæ pro uſibus cultus peragendi.

28. Quia vero præter orthographicas deſcriptiones, quales ſupra TAB. III. dedimus, etiam Perſpectivicæ vel Proſpectivicæ repræſentationes, utpote conſpectum plurium laterum & ipſam quaſi corpulentiam ſiſtentes, apprime faciunt ad judicium de hujusmodi operibus ferendum, viſum eſt non ſolum Perſpectivam comparatam turris vel pyramidis Beli, qualis ex mente noſtra fuit, & pyramidis Ægyptiæ exhibere in TAB. IV. Sect. III. Verum etiam Perſpectivam templi totius Beli jungendam duximus, graphice proſpectum tum exterioris tum interioris partis referentem, & ſimul portionem urbis Babylonicæ, ad veras proportiones & regulas Opticæ artis projectam atque deſcriptam TAB. V. Sect. ejusdem, in qua ædes non tam ornatus quam illuſtrationis cauſa adjectæ altitudinem habere 70 & 60 pedum intelligendæ ſunt.

29. De fatis hujus Templi, ſiquidem lectoribus hoc non ingratum viſum iri credimus, ex *Strabone* ſequentia annotamus. Ita vero ille libro

Fata hujus templi.

libro L. XVI. *Ibi etiam Beli ſepultura eſt nunc everſa, quod feciſſe Xerxes fertur.* Et poſt pauca, quæ in ſuperioribus citavimus: *Hanc Alexander inſtaurare voluit, ſed cum multi res laboris eſſet, & multi temporis (nam ad expurgandam duntaxat terram X millibus hominum duorum menſium opus erat) quod incepe-*
*rat perficere, non valuit, illico enim morbus & mors eum oppreſſit. Poſteriorum nemo curavit, quin etiam reliqua neglecta ſunt, & urbis partem Perſæ diruerunt, partem tempus & Macedonum circa iſthæc incuria, præſertim poſtquam Seleucus Nicator Seleuciam ad Tigrim condidit ſtadiis tantum* 300 *a Babylone diſſitam.*

# SECTIONIS III.

## PARS II.

## *DE PYRAMIDE ÆGYPTIA.*

Numerus Pyramidum Ægyptiarum.

30.

SEquitur alterum, de quo agere viſum: PYRAMIS nempe ÆGYPTIA, eaque quæ vocatur vulgo MAXIMA.

Sed de hac appellatione, ut primo paucis agamus, notum eſt jam ex recentioribus peregrinatoribus *P. Sicardo Gemellio*, *Paulo Luca*, Pyramidum tota Ægypto eſſe *maximum* numerum. Nam & de *Gravio* teſtatur *Marshamus*, ipſum jam monuiſſe, 18 hinc inde Pyramides in planitie Libyca ſparſas; intelligendam planitiem Cahirenſi urbi proximam, patet. Et diſerte etiam *Gemellius* memorat 11 alias, a reliquis celebrioribus mox recenſendis duarum horarum ſaltem ſpatio diſtantes, prope foſſas vel puteos, in quibus Mumiæ ſic dictæ inveniuntur. Et variis Ægypti locis usque ad *Syenem* vel *Aſſuanam* easdem occurrere teſtantur recentiores peregrinatores omnes. *Paulus Lucas* 3 vel 4 leucis vel milliaribus ſupra Cahirum memorat quasdam ad Sacara. Ulterius ex oppoſito Tebinenſis pagi 8 alias minores, præter 3 majores. Diſtantia majori inde vidit 2 alias prope Safa Meidon figura a Memphiticis vel Cahirenſibus differentes, utpote non in acutum cuſpidem deſinentes. Atque inde ulterius aliam formæ ſingularis, utpote habens apicem rotundum ad modum pilei, cujus altitudo ex æſtimatione 300 pedum. Hæ quidem omnes prope Nilum. Sed aliam quoque deprehendit 3 horarum diſtantia a Nilo, figura plane conica vel circulari arcuationibus inſtructa. Tacemus plurimas alias.

Inter veteres ipſe *Plinius* memorat plures, quaſi in tranſitu, quarum extent veſtigia, ſed inchoatas tantum retur. Unam in ARSINOITE nomo, duas in MEMPHITE non procul a Labyrintho, totidem ubi MOERIDIS LACUS, hoc eſt, foſſa grandis. Quas quidem, vel rudera earum, in ipſius illius lacus medio recognovit dictus *P. Lucas.* Addit *Plinius* præterea 3 mox memorandas. Et in *Catalogo Regum Manethoniana* memoratur aliqua ex vetuſtiſſimis ad COCHOMEN ſtructa. Locus vero Cochomes Geographis eſt ignotus.

Forma & magnitudo earum.

31. Jam quasdam harum Pyramidum miræ & plane ſingularis figuræ, cochleæ nempe in modum formatas, (de rotundis jam quædam monuimus) deprehenderunt noſtrates. Quasdam etiam magnitudinis ſpectandæ. Talem eſſe in regione, quæ pridem DIONYSIAS, ſed *Fium* hodie dicitur, in via ad lacum Mœridis, memorat *Paul Lucas* a ſe viſam, prope viam, cujus altitudinem 1000 ad minimum pedum judicavit, latitudinis adeo vel baſeos proportionatæ. Quinque vel ſex prope DANDER vel TENTYRAM idem memorat viſas, quæ magnitudine Memphiticas excederent.

Tres celeberrimæ pyramides.

32. Sed omnium maxime celebres ſunt tres prope MEMPHIM veterem, quam ex oppoſito Cahiræ recentioris in ripa occidentali Nili ſitam

tam

tam novimus ex antiquitate. Ea quæ proxima eſt 12 milliaribus Italicis, vel 4 leucis Gall. vicenariis, aut mill. Germanicis 3, Cahiro diſtat verſus occidentem, unde altera vix 200 paſſibus ulterius verſus occidentem removetur. Hæ quidem celebritatem ſuam habere videntur ſaltem a Romanorum temporibus ipſisque Romanis. Etſi etiam Græcorum ipſiusque *Herodoti* peregrinationes in ulteriora ſupra Memphim inſtitutæ vix videantur; ſaltem *Herodotus* præter tres pyramides circa Memphim, quas *Cheopi*, *Cephreni* & *Mycerino* tribuit, nullam memoret, excepta *Aſychis* lateritia, & duobus Mœridis regis in lacu cognomine. Romanos vero veriſimile eſt, non admodum inveſtigandorum interiorum Ægypti curioſos fuiſſe, contentos Memphim antiquorum ſcriptis celebratam & vicina loca inviſere. Unde primæ hæ ipſis occurrentes Pyramides ſatiando eorum appetitui remota noſcendi ſuffeciſſe quaſi videntur. *Ælium Gallum*, qui cum Strabone eo iter inſtituit, itemque *Germanicum Cæſarem* excipimus. De reliquis vero valere credimus judicium ipſius *Plinii* L. VI. c. 1. qui Romanorum equitum & ſenatorii ordinis virorum induſtriam in perveſtigandis regionibus externis admodum commendat.

Menſuræ harum trium pyramidum in genere.

33. Nec vero reliquarum hinc inde ſparſarum dimenſiones capere noſtris & recentioribus licuit, unde earum diſtinctiorem notitiam non habemus.

Veterum vero harum trium menſuras partim apud *Herodotum* aliosque veteres, partim *Plinium* annotatos habemus, noſtris recentioribusque peregrinatoribus demum etiam obſervatas.

Inter has vero etiam cum emineat maxima, deque ea potiſſimum valeat, quod dimenſiones ejus captæ a plurimis fuerint, de hac quoque agemus, eo potiſſimum fine, ut comparatio cum Templo Beli inſtitui poſſit.

Conditores harum pyramidum.

34. Nam quæ de Conditore aliisque quæri poſſent, tanquam minus ad hunc locum pertinentia mittimus. Hoc ſaltem notato, quod CHEOPI ab *Herodoto*, CHEMMI a *Diodoro* (quæ vero nomina eadem ſunt) tribuatur, *Plinius* autem teſtetur, de autore tam hujus quam duarum proximarum non conveni re, quod juſtiſſimo caſui, qui tantæ vanitatis autores obliteraverit, tribuit. *Catalogus Manethoniana* SUPHI aſſignat, ſecundo quartæ Dynaſtiæ. Quæ vero ſtare nobis poſſe videntur cum Herodotæa asſertione, nominum affinitate hoc indicante. Apud *Herodotum* quoque ſucceſſio Regum eſt: CHEOPS, CHEPHREN, MYCERINUS, *Manethoni*: SUPHIS, SUPHIS alter, MENCHERES. Omnes μακρόβιοι apud *Herodotum* & *Manethonem*.

Synopſis ſententiarum de dimenſione latitudinis pyramidis maximæ.

35. Quantum adeo ad dimenſionem majoris vel ampliſſimæ, ut vocat *Plinius*, Pyramidis, iterum inſignis ſe offert diſcordia autorum in eadem determinanda. De qua etiam queſtus eſt ſummus *Caſſinius* in *Comment. Acad. Reg. Scient.* Anno 1726.

Juvabit adeo opiniones vel traditiones de ea Tabula aliqua in conſpectum dare, reductas ad communem aliquam menſuram, poſito pede Græco 1380, Romano 1325, Anglico 1350 partium, qualium Pariſienſis eſt 1440.

Auto-

| | Autores. | Latus unum Pyramidis quadrangulæ in menſuris variis. | Idem latus in pedibus Pariſinis. |
|---|---|---|---|
| Veteres. | Herodotus. | Octo Jugera, Plethra quæ ſunt { $1\frac{1}{3}$ ſtad. 800 ped. græc. | 766 |
| Veteres | Strabo L. XVII | 1. Stad; vel paulo minus. Altitudo enim dicitur ſtadium habuiſſe; ſed laterum quodlibet paulo minus. Poſito quod latitudo fuerit 1 ſtadium, foret 600. pedum. | 575 |
| Veteres | Diodorus Siculus | Septem jugera, Plethra quæ ſunt { $1\frac{1}{6}$ ſtad. 700 ped. græc. | 670 |
| Veteres | Plinius<br>Idem diſerte | 1. Octo jugera diſerte, quæ ſunt $1\frac{1}{3}$ ſtad.<br>2. 883 ped. Rom. juxta manuſcripta erron. 833 ped. Rom. juxta mentem Plinii. Quia ſtadio exiſtente 625 p. R. jugerum eſt $104\frac{1}{6}$ p. Rom. unde 8 jugera $833\frac{1}{3}$ | 766 |
| Recentiores | P. Fulgentius Nointel & Jaugeon, P. Eleazar, & Thevenot, Gemelli, Monconyſius. | 682 ped. Pariſ. | 682 |
| Recentiores | Chazelles | 690 ped. Pariſ. & paulo minus | 690 |
| Recentiores | Gravius Anglus | 693 ped. Angl. | 649 |
| Recentiores | Fr. de Troilo | 650 ped. vag. | |

## OBSERVATIONES CIRCA HANC TABULAM.

36. Circa has dimenſiones obſervamus 1) *Plinio* & *Herodoto* vi notatorum in tabula exacte convenire. Nam patet, octo jugera, quæ *Herodotus* propoſuit, *Plinium* reductione maxime legitima ad menſuram Romanam revocaſſe. Quod non animadvertit Ill. *Caſſinius*, qui lectionem 883 pro legitima habet, quia tum temporis nondum legitima quantitas pedis Græci & Romani, quam *Eiſenſchmidius* ex ipſiusmet principiis & dimenſione terræ eruit, ipſi in mentem venit.

2) Maxime vero fidendum videri actuali dimenſioni tot recentiorum, eorumque peritiſſimorum virorum, qui lateris unius quantitatem 682 ped. Pariſ. prodiderunt.

3) Idque eo magis, quia & dimenſio Dn. *Chazeles* pariter quidem celebris Viri & Reg. Acad. Membri parum ab ea abludit; quin ipſe agnoſcit, demendum aliquid pedibus 690 a ſe memoratis.

4) Inter hancce dimenſionem 682 ped. Pariſ. & *Herodotæo-Plinianam* 766 ped. Pariſ. & *Diodori* 670 ped. Pariſ. eſſe quidem aliquam diſcrepantiam, quæ mediocris videri non poſſit; ſed eadem medium occupante inter utram-

utramque, ſcilicet 766, 682, 670, non improbabile eſt, tam *Herodotum* quam *Diodorum* (vel eum, a quo idem accepit) obiter in menſura capienda verſando, illum quantitatem juſto paulo majorem, hunc paulo minorem tradidiſſe, quarum adeo media verior. Scilicet quantitas ipſa vera eſt inter 8 Jugera *Herodoti* ſive 766 ped. & 7 Jugera *Diodori* ſive 670 ped.

Quin adjecta etiam aliqua portione ad pedes 682 (quia ſabuli altitudinem circa radices pyramidis auctam, & longitudinis & latitudinis circa radices dimenſio major fuiſſe videtur) numerum plane medium arithmeticum inter 766 & 670 nempe 718 vel proximum alium lateri uni pyramidis competiiſſe, pro improbabili plane habendum non eſt. Idque eo magis, quia *Plinius* ſecundæ pyramidis latitudinem facit 737 ped. Rom. hoc eſt, ped. Pariſ. 677, qui admodum accedunt ad illos 682 ped. pyramidis maximæ, cum tamen notabilem & majorem aliquam differentiam oportuerit eſſe inter eas. Imo ipſum hoc videtur plane neceſſarium, nempe, hiſce 682 pedibus aliquid addendum, quod forſan in terra lateat. Nam vento continuo arenam aggerante, humum circa radices altiorem factam, adeoque altitudini pyramidis aliquid detractum æque ac latitudini & longitudini omnes fatentur Peregrinatores: quo admiſſo valerent hi 682 pedes de præſenti ſaltem ſtatu pyramidis hujus.

5) Sed quod *Gravius*, qui in aliis & totius quoque pyramidis deſcriptione ſingularem & eruditionem & accurationem oſtendit, & præſentem omnia ſe dimenſum fuiſſe aſſerit, tantum a veritate recedat, mirum eſt. Verum nos rectiſſime facturos certum, ſi cum *Caſſinio*, numero tot teſtium aliorum fulto, faciamus, adeoque 682 ped. Pariſ. minimum ſtatuamus latus hujus pyramidis noſtro tempore.

37. De reliquis dimenſionibus varia eſt quoque autorum traditio. Synopſis ſententiarum de altitudine hujus pyramidis.

| Nomina Autorum | Altitudo | Planit ei in cacumine latitudo. Infra apicem adeo. | Numerus & dimenſiones graduum |
| --- | --- | --- | --- |
| *Strabo* | 1 ſtadio major paulo quolibet latere. | | |
| *Diodorus* | Amplius quam {6 Jugera. 1 ſtad. | 65 Cubiti | |
| *Plinius* | | 25 ped. Rom. | |
| *Chazelles* | 600 ped. Pariſ. | $16\frac{2}{3}$ ped. | |
| *Gemelli*, juxta relationem & dimenſiones a P. *Fulgentio* ſuppeditatas | 520 p. Par. | $16\frac{1}{2}$ | 208 Inferiorum altit. 4 ped. latitudo 3 ped. Superiorum usque minor altit. & latit. |
| *Thevenot*, *Monconyſ.* | 520 p. Pariſ. | 16 ped. | 208 |
| Fr. *de Troilo* | 552 | 13 | |
| *Gravius* ex ſuppoſitione, quod hedra quælibet Triang. æquilaterum & dimenſ. lateris 693 p. Angl. | 490 p. Ang. ad apicem h. e. 459 p. Par. | $13\frac{1}{4}$ ped. Ang. *Forſan ſphalma, & ſcrib.* $23\frac{1}{4}$ | 207 Inferiorum altitudo ſupra 4 p. Ang. Superiorum vix 3 |
| Ex ſuppoſit. hedrarum æquilaterarum & dimenſione laterum 682 ped. Pariſ. | 482, 246 ped. Pariſ. uſque ad apicem | | |
| *P. Lucas* ex ſuo calculo | 729 ped. Pariſ. usque ad planitiem ſuperiorem ab orificio, quo intratur Pyramis: ſub eo inſuper 40 ped. In ſumma adeo. 769 ped. | 20 ped. Par. | 243, ſinguli ſupra 3 ped. altitudinem, 1 ped. latitud. habentes. |

## OBSERVATIONES CIRCA HANC TABULAM.

38. Apparet ex hac tabula *Strabonem* & *Diodorum* minus accurate de altitudine ſenſiſſe. Et vero veteres eam dimenſos vix credibile. *Plinius* enim de ea quoque nihil habet, ſaltem monens, eam artificio a *Thalete* reperto menſuratam: hunc enim inveniſſe primum, ut umbram metiretur, qua hora par eſſe corpori ſolet.

*Pauli Lucæ* dimenſio ex minus accurata æſtimatione & falſa ſuppoſitione dimenſionis graduum & numeri eorum, quem præter juſtum auget, orta videtur.

*Gravii* ipſius dimenſio 490 ped. Anglicorum vel 459 ped. Pariſ. cum deducta ſit ex minus accurata determinatione

natione latitudinis, miſſa quoque a nobis facienda erit.

Suppoſitionem vero ejus, qua facit *latera hedrarum pyramidis æqualia*, vel *hedras ipſas triangula æquilatera*, tanquam veram aſſumemus, quod ſimplicitati veterum in proportionibus maxime conſentanea videtur.

Lemma de determinanda altitudine pyramidis quadratæ, data latitudine.

39. Ut autem in ſuppoſitione iſthac omnium linearum pyramidis ejusmodi proportio expedite habeatur, jungimus figuram A TAB. III. SECT. III. cum determinationibus linearum Algebraicis. Sunt autem in ea $AB = AD = BD = a$, $AC = CB = a\sqrt{\frac{1}{2}}$, $DC = a\sqrt{\frac{1}{2}}$, $CE = \frac{a}{2}$, $DE = a\sqrt{\frac{3}{4}} = \frac{1}{2}a\sqrt{3}$ Demonſtrationem vero horum ob facilitatem omitti poſſe judicamus.

Noſtra ſententia de altitudine.

40. Potius vero ex legitima latitudine 682 ped. Pariſ. & obſervatione illa Graviana deductam altitudinem noſtram facimus, nempe pedum Pariſ. 482.

41. Atque etiam hoc obſervamus, confirmari ipſam hypotheſin Gravianam proportione, quam inter altitudinem & latitudinem graduum obtinere ex Gemellio annotatum eſt. Nam cum vi præmiſſi lemmatis, ſi ponatur altitudo graduum perpendicularis, latitudo parallela ad horizontem, adeoque latitudo ad altitudinem in proportione CE & DC ſectionis DCE, invenietur proportio eadem, ut $\frac{1}{2}$ ad $\sqrt{\frac{1}{2}}$, vel ut 1 ad $\sqrt{2}$, vel ut 1 ad 1,414: adeoque latitudine exiſtente 3, erit altitudo 4, 242 proxime accedens ad proportionem latitudinis & altitudinis a *Gemellio* propoſitæ, ſcil. ſi minutiæ negligantur.

Eo vero magis proportionem latitudinis & altitudinis ſcalarum, quam P. Lucas facit 1 ad 3, & unde abnormiorem altitudinem totius pyramidis deduxit, repudiandam eſſe cenſemus.

Schema Orthographicum pyramidis.

42. Jam admiſſis dimenſionibus, de quibus diximus 682 ped. Pariſ. LATITUDINIS, 482 ALTITUDINIS, deſcriptio pyramidis ad ſcalam eandem, ac prius Templum Beli deſignavimus, facilis eſt. Quam, ut eo expeditius cum iſthoc templo comparare liceat, junctim utramque eadem TAB. III. SECT. III. Orthographice & TAB. IV. perſpectivice ſiſti intelligunt lectores noſtri ex ſuperioribus. Apparetque adeo ex oculari aſpectu & æſtimatione, quodnam horum in antiquitate celebratiſſimorum monumentorum altero majus ſit habendum.

Comparatio corpulentiæ pyramidis & templi Beli.

43. Quodſi non ex aſpectu, nec ex proportione altitudinis de magnificentia Operum horum comparativa judicare quis voluerit, ei proportionem corpulentiarum ſecundum hypotheſes noſtras exhibemus ſequentes, quæ intelliguntur de IPSIS PARTIBUS EXTRA TERRAM EXTANTIBUS. Eſt adeo TEMPLUM BELI, ſi ſolidum ſpectetur, a ſcalis tamen exterioribus abſtrahatur, 55628310 ped. Cubic. accurate; Pyramis vero 74768351 ped. Cubic. accurate. (Nempe in calculo non omiſſa partium pedis conſideratione, ſed hic in ſummæ expresſione abjectis minutiis, quæ ultra accuratum pedum numerum adhærebant). Quodſi hypotheſis placuiſſet, qua ſcalæ ſubdiales ſuperioris partis Templi Beli non duplices, ſed ſimplices forent, ejusdemque partis adeo altitudo duplo major, ut ſupra dictum, ejus templi corpulentia foret 81176389 ped Cubic.

Planum in Vetice pyramidis.

44. Ultimo memoramus circa hasce dimenſiones pyramidis primæ, 482 pedes valere de altitudine usque ad verticem ipſum. Quoniam vero truncata eſt pyramis, ejus quoque truncatæ partis rationem haberemus, & tum veram altitudinem pyramidis extantis, tum corpulentiam detracta illa particula ſuperiori remanentem determinaremus, niſi autorum diſcordia eſſet circa latus quadrati parvi in vertice nimia. Si foret latus quadrati illius 20, altitudini decederent 14 pedes, foretque altitudo integra 468. Excedens turris Argentoratenſis altitudinem (quæ eſt ped. Pariſ. 445 vel 500 Argentoratenſ. juxta Eiſenſchmidium) 23 ſaltem pedibus.

Reliqua memorabilia harum pyramidum.

45. Amplius quod adderemus non eſſet, niſi crederemus, gratum facturos nos lectoribus noſtris, ſi de hujus pyramidis reliquis memorabilibus, quæ eſſent ex veteribus pariter ac recentioribus notiſſima, brevibus exhiberemus, & illuſtrationis cauſa de majore ex reliquis duabus, vel ei proximis reliquis quædam jungeremus.

Primæ.

De prima adeo hoc ſupplementi loco ad ſuperius dicta ex veteribus erit addendum: Structam eam fuiſſe ſaxis, quorum nullum minus 30 pedibus. Saxa ex monte Arabico ſive montibus ſecundum Nili ripas, qua ipſe jam ramos Delta formantes finditur, procurrentibus in latere Arabico petita. Hæc *Herodotus*. (Montem Troicum vocatum a Trojanis exulibus poſtea ibi confidentibus, *Strabo* ait).

Nilum in eam per foſſam intromiſſam ait *Herodotus*. Diſertius *Plinius*: In pyramide eſt maximus intus puteus 86 cubitorum, flumen illo admiſſum

miſſum arbitrantur. Extra vero ſunt gradus, ſcalæ vel arulæ quibusdam dictæ, ut ait *Herodotus*.

Opus feciſſe 10 myriades hominum *Herodotus* aſſerit, 6 *Plinius*, 36 *Diodorus*. Viginti annos inſumtos, uterque conſentit.

Artificium inſigne in ea conſtruenda adhibitum *Herodotus* memorat, de quo quale fuerit, qui judicare voluerit, recte faciet, ſi *Diodorum* L. 1. c. 2. & *Plinium* L. 36. c. 26 conſuluerit.

Impenſarum fuiſſe immenſam ſummam, quæ ipſum Cheopem ad paupertatem & ad filiæ corpus quæſtui meretricio exponendum adegerit, memorat *Herodotus*. Judicium de iis fieri poſſe, quod idem tradit, in cepas & allium, item raphanos, quibus inter alimenta uſu fuerint opifices, inſumta 1600 Talenta, pro quibus 1800 habet *Plinius*. Quamvis *Diodorus* aſſerat, ad ſecundæ Pyramidis conſtructionem pro oleribus & herbis impenſas 1600 talentorum factas fuiſſe. De impenſis in reliquas nihil extat.

Hæc etiam prima vel maxima habuit, habetque etiam nunc orificium vel portam, quæ 16 gradibus noſtro tempore ſuper horizontem extat. Ducit ea ad meatus internos, quæ ſubterranea ædificia quibusdam autoribus dici videntur, & ex quibus cognoſcitur, eam deſtinatam fuiſſe ſepulchro. Quanquam etiam hodie usque ad interiora adiri poſſit, nullum tamen cadaver conditum ibi reperitur. Argumento, quod Ægyptii odio Regis, qui eos dura ſervitute ad inſanum ejusmodi opus efficiendum adegerat, (de quo plures circumſtantiæ lectu dignæ in *Herodoto* occurrunt) cadaver ejus tanquam ſepultura indignum ex eodem ejecerint. Nam illatum fuiſſe certum eſt, quia filius & ſucceſſor *Cheopis* fuit *Cephren*, vel *Chephus*, qui ſecundam Pyramidem ſtruxit. Qui & ipſe ob ſimilem duritiem Ægyptiis una cum Patre ita odio habitus eſt, ut duarum pyramidum ab ipſis ſtructarum non illos, ſed paſtorem Philitionem autorem contendant, *Plinio* annotante.

De præſenti ſtatu, quo eas invenit *Gravius*, verba ejus hic repræſentare rectiſſimum eſt. Vid. *Marſham*. p. 51. *Mons ſaxeus, a planitie Ægypti facili ſtadiorum duorum aſcenſu ſupra centeſimum pedem tumeſcens, pyramidi maximæ ſitum ſpectabilem ſtabilemque exhibet. Baſis quadrata eſt, lata pedes* 693; *ita ut circuitus ſit pedum* 2772; *area pedum* 480249 *contineat Acras terræ Anglicanas XI, cum parte Acræ paulo plus* 40. *Latera quatuor triangularia, mutuo inclinantia, infra ſpectantibus in punctum ſuperne deſinere videntur. Triangulorum æqualia ſunt latera pedum ſcil.* 693. *Altitudo autem perpendicularis pedum* 490. *Aſſurgunt circum circa gradus* 207 *paulatim decreſcentes; inferiores craſſi pedes fere quatuor, ſuperiores vix tres. Cacumen latitudinem habet pedum* 13 *cum quadrante ex lapidibus novem, præter angulares duos, qui deſiderantur.*

*Meatus internus declivis pedes* $92\frac{1}{2}$ *in locum ducit defoſſum & rudem ped.* 89. *Inde per tranſitum acclivem ped.* 110 *itur ad puteum rotundum hodie pedum* 20, *olim vero* 86 *cubitorum; flumen illo admiſſum arbitrantur. Hinc via duplex: quæ ad lævam plana eſt pedum* 110, *ad minus ducens penetrale, longum vix pedum* 20, *latum* 17, *altum* 15, *arcuatum & ruderibus ſemiplenum: altera via acclivis eſt ped.* 154 *ex politiſſimo marmore, alta pedes* 26 *lata fere* 7, *quæ ad majus penetrale ducit in meditullio pyramidis: ejus longitudo latitudini dupla eſt pedum* $34\frac{380}{1000}$; *altitudo pedum* 19 *cum dimidio. Laquear ex junctis* 9 *trabibus marmoreis conſtat. In medio ſtat ciſta marmorea aperta, vacua ad menſuram corpuſculi regii cavata; longa ſcil. pedes* 6 *cum dimidio fere, lata ped.* 2 *cum quadrante fere, alta minus* 3 *pedes.*

Difficile eſt ex deſcriptione ejusmodi, in qua plagarum, verſus quas diriguntur, & menſuræ inclinationis, quam habent canales iſti vel meatus, mentio nulla exiſtit, perfectam ſibi formare de interna conſtitutione partium harum ideam. Paulo magis, etſi non plane, perfecta eſt notitia, quæ ex delineatione & figura a *Gemellio* juxta *P. Fulgentii* mentem deſcripta habetur. Ut adeo lectores noſtros, quantum licet, juvemus, eandem *P. Fulgentii* figuram in adjecto ſchemate orthographico pyramidis, quod etiam pro ſectione profilari ſervire poteſt TAB. III. SECT. III. hic exhibemus, cum explicatione partium, qualis apud *Gemellium* extat.

Eſt

... Eſt adeo

A introitus vel porta pyramidis 16 gradibus ſupra horizontem elevata, $3^{1}$ pedum Par. *altitudinis*, $3\frac{1}{4}$ ped. Par. *latitudinis.*

B Meatus declivis pedum 76 *longit.* 3 ped. 3 poll. *latit.* 3 ped. 6 poll. *altitudinis.*

C Locus vel camera 10 ped. *latitud.*

D Meatus acclivis pedum 76 *longit.*

E Meatus horizontalis ad cameram F ducens 12 paſſuum *longit.*

F Camera vacua.

G Meatus valde acclivis $6\frac{1}{3}$ ped. *latitud.* 162 ped. *longit.*

H Via ad cameram ſuperiorem ducens 8 vel 10 paſſuum *longit.*

I Camera *longit.* 32 ped. *lat.* 16 *altitud.* 19.

K Sarcophagus *Longitud.* 7 ped. 2 poll. *Latitud.* 3 ped, 1 poll. *Altitud.* 3 ped. 3 poll.

L Putei, qui figuram Lamed hebræi habet, pars ſuperior, profunditatis 77 ped.

M Putei pars inferior profunditatis 123 ped.

Hanc vero non eſſe ad horizontem perpendicularem oſtendunt verba autoris in fuſiori deſcriptione, cum ait, poſt 77 pedes primæ partis inveniri feneſtellam quadratam, quæ ducat in cryptam parvam verſus occidentis plagam directam. Quindecim pedibus infra eum locum exiſtere viam obliquam, ſaxo vivo inciſam, altitudinis & latitudinis duorum pedum cum ſemiſſe, longitudinis in deſcenſu declivi pedum 123. Cujus extremum vel exitus ſabulo & lapidibus obturatus deprehendatur. Quæ adeo cauſa eſt, cur in figura noſtra hanc etiam putei partem, incertum quo directam, etiam delineatam accuratius ſiſtere haud poſſimus.

Secundæ. 46. Hæc de prima ex majoribus. De ſecunda conſtat, eam ab *Herodoto* CEPHRENI CHEOPIS filio (aliis fratrem eum prioris fuiſſe placet) qui CHEPHUS vel CHABREUS eſt *Diodoro*, tribui. Etſi, ut dictum, *Plinius* ejus autorem quoque incertum facit.

Ceterum, nulla habere ſubterranea ædificia, nec eo deductum Nilum memorant. Gradus tamen etiam habet exterius, nullum orificium.

47. Tertiam *Herodotus* & *Diodorus* MYCERINO, quem alii CHERINUM vocant, CEPHRENIS filio, mitioris, quam pater & avus, ingenii exiſtenti, tribuit. Refutat etiam *Herodotus* eorum ſententiam tanquam ineptam, qui eam a RHODOPE meretrice conditam ajunt, ex quæſtu, quem corpore fecerit, oſtendens, non fuiſſe contemporaneos conditorem hujus pyramidis, & ſcortum illud, quodcunque illud fuerit. Tertiæ.

Quin ſi *Catalogo Manethonianæ* fidimus, neque Mycerinus hujus pyramidis autor exiſtit, ſed NITOCRIS celeberrima Regina.

Minorem ceteris quidem, ſed quod ad medium usque ex lapide Æthiopico, ut *Herodotus*, hoc eſt, Thebaico ut *Diodorus*, talique, ex quo mortaria fiunt, ut *Strabo* teſtatur, facta, ceteris auguſtiorem & pretioſiorem eſſe obſervatur. Sitam quoque in majori montis altitudine, vel ſupercilio, ac proinde æque bellum proſpectum ac reliquas dare. In inferiori parte, quousque marmor Æthiopicum pertingit, nullos eſſe gradus, ſed in ulteriori parte, quoque certum eſt. Orificium vel portam in medio habet nullam.

48. Ait *Diodorus*, junctim poſitas fuiſſe quoque tres alias minores, Uxoribus horum Regum honori ſtructas. Reliquæ pyramides veteribus memoratæ.

*Herodotus* ex quæſtu illo meretricio FILIÆ CHEOPIS quoque factam aliquam memorat ex traditione Ægyptiorum, lepida forſan & bella; propter odium in Parentem conficta, quandoquidem & ajunt ſingulos amatores ſingulos lapides illi pyramidi contuliſſe.

49. Quicquid ſit, ut facilius judicare poſſimus de ipſarum magnitudine, earum omnium dimenſiones tabella ſequenti proponimus ex Veteribus. Dimenſiones omnium.

| | Latitudo & Longitudo. | Latitud. in ped. Pariſ. | Altitud. |
|---|---|---|---|
| II. Pyramis | 1 ſtad. *Diodorus*<br>Paulo minor ſtadio, *Strabo*,<br>737 ped. Rom. *Plinius* | 575<br>677 | Stad.<br>*Strabo* |
| III. Pyramis | 3 Jugera<br>½ Stad. } *Diodor. Herod.*<br>363 ped. Rom. *Plinius* vicenis pedibus in ſingula latera minor paterna, vel prima. *Herodot. Gemelli* | 287<br>341 | Quarta parte minor reliquarum altitudine. *Gemelli* |
| III. aliæ pyramides uxoribus priorum horum Regum ſtructæ | 2 Jugera, *Diodor.*<br>⅓ ſtad. vel 200 ped. Græc. | 191 | |
| Filiæ Cheopis | Seſquijugerum *Herod.*<br>150 ped. Græc. | 143 | |

50. Quæ dicta ſunt, ſpectant ad pyramides in veteribus ſcriptis memoratas. Monitum eſt vero, alias eſſe etiam undecim ab illis celebrioribus paulo majori diſtantia, etſi non ultra bihorium remotas, adeoque in vicinia Cahiri & Memphis pariter extantes, prope puteos nempe vel cryptas, in quibus Mumiæ inveniuntur.

An inter has quædam ſint ex iis, quæ in TAB. præcedenti uxoribus Regum priorum ſtructæ notantur, neſcimus. Neque eſt noſtrum, ſingularum deſcriptionem completam proponere, cum in magnitudinum comparatione potiſſimum nunc verſemur. Proinde & hæc ſolum enotamus a *Gemellio* memorata.

Primam eſſe, quæ meatus etiam internos & canales habeat fere ſimiles, ac in illa maxima ſupra delineati fuerant, minus tamen difficilis tranſitus; habeatque etiam cameras tres, quarum una conditorio inſtructa. Hujus latus quodlibet eſt pedum 643 Paris. Secundæ vero itemque tertiæ 631 ped. Pariſ. Ex quo cum appareat, magnificentia easdem fere accedere ad tres ſuperiores, mirum magis nobis eſt, a veteribus earum nullam factam accuratiorem commemorationem.

Reliquæ inſigniter minores eſſe dicuntur. Cæterum & de altitudine omnium harum nihil, ſaltem apud *Gemellium* obſervatum invenimus.

SECTIO-

# SECTIONIS III.

## PARS III.

## *DE MONUMENTIS NINI,* ZARINÆ, & MEXICANIS.

51.

HÆc de monumentis antiquis magnitudinis fama celebribus, quæ primario ſpectare atque excutere viſum erat. Sunt vero pauca alia, quæ utut minus celebritatis habeant, tamen de magnitudine certare cum hiſce, quin & eadem vincere valent, modo de earum veritate accuratius conſtet. Horum adeo deſcriptionem hic quoque ſi daremus, & his unum ex recentioribus Operibus majoribus ſimilis generis jungeremus, gratum nos noſtris lectoribus facturos credidimus.

## *MONUMENTUM NINI.*

52.

Figura & dimenſio monumenti Nini.

DE hoc *Diodorus* L. II. c. 3. SEPULTUS eſt NINUS in regio ſepulchro ingentis molis, altitudine novem ſtadiorum, latitudine, ut ait Cteſias, decem, ei conſtructo.

Cum urbs juxta Euphratem (*Tigrim dicere debuit*) ſit in plano condita, conſpicitur velut arx quædam ea moles, licet multis ſtadiis diſtans, quam nunc etiam ſtare DICUNT.

De genere & figura hujus monumenti nihil diſerte *Diodorus*, arci enim ſaltem comparat. At ædificii genus idem fuiſſe vix credibile. Quapropter pro pyramide quadrangula potius habemus, ſimili Ægyptiis monumentis mortuis Regibus ſtatui ſolitis. Cujus vero moles ſane ſtupenda, niſi Cteſias eam more ſuo auxit. Interim, quia aliis ad hoc negandum rationibus deſtituimur, licebit hactenus fidem ei adhibere.

Quantum vero ad dimenſiones, has quidem a *Diodoro* dari in menſuris veterum ſtadiorum remur, ita ut altitudo 9 ſtadiorum veterum habeat 2799 vel 2800 ped. Pariſienſes, latitudo vel latus 3110 tales pedes.

Portentoſum hoc opus dici multo magis mereri, quam pyramides Ægyptias, imo portentoſiſſimum, nemo non vel ex his intelligit.

Cujus adeo ut comparatio etiam ſenſuum judicio fieri poſſit, cum aliis a nobis deſcriptis & alias celebribus, eadem ſcala, qua reliqua, idem deſcriptum damus orthographice in Fig. III. TABULÆ ultimæ.

Corpulentia

Magnitudinem ejus abſolutam, ex qua & comparativa ad alia ſimilia Opera intelligitur, invenire, facile, eſtque pedum Pariſ. Cubic. $90270266666\frac{2}{3}$.

Veſtigia ejus.

53. Mirum vero, quod peregrinatores noſtri hujus monumenti veſtigia nulla memorant, cum locus ejus certo demonſtrari poſſit MOSULE vel MAUSILE urbe, de qua ſupra, etſi cis Tigrim ex altera parte ſita, eundem ſignante: contra ac de templo Beli res ſe habet, cujus veſtigia ideo incerta ſunt, quia & notitia loci Babylonis urbis adeo periit, ut eundem demonſtrare certo nemo poſſit.

MONU-

# MONUMENTUM ZARINÆ

## REGINÆ SCYTHIÆ.

Diodori relatio de monumento Zarinæ.

54. Etiam Scythas morem famoſarum gentium ſecutos, nomenque ſibi feciſſe in extruendis monumentis principum ſuorum, patet ex eodem *Diodoro* L. II. c. 9.

Ubi cum retuliſſet de bello, quod inter Medos tum rerum potientes, & Sacas (qui ſunt ipſiſſimi Scythæ, a Perſis & Orientalibus gentibus tum ita dicti) de Parthia geſtum, poſtquam Parthi a Medis deficientes ſe in Sacarum tutelam tradiderant, quod pace finitum eſt, qua Parthi quidem Medorum iterum poteſtatem agnoverunt, Medi vero & Sacæ perpetuam amicitiam ſocietatemque ſanxerunt, ita pergit: *Sacarum tum Regina erat mulier, Zarina nomine, bellorum appetens: audacia quoque & rebus geſtis cæteris fœminis inter Sacas longe præſtantior. Habet ea regio mulieres robuſtas, quæ viros appetunt, præſertim belli gloria illuſtres. Fertur hæc tum pulchritudine tum conſilio prudentiaque mirabilis extitiſſe, propinquasque gentes barbaras ſuperbia elatas, ac Sacis imperantes expugnaſſe, majoremque ejus regionis partem ad mitiorem traduxiſſe vitam. Multas inſuper condidiſſe urbes, quas reddiderit ceteris vicinis gentibus feliciores. Poſt ejus obitum memores beneficiorum ejus virtutisque ſubditi ſepulchrum ei ſtruxerunt omnium, quæ apud ipſos erant, magnificentiſſimum. Pyramis ea fuit triangularis, cujus latus quodque tribus ſtadiis protendebatur: altitudo ſtadii erat unius, vertice in arctum conſtricto. Addiderunt ſepulchro auream ſtatuam inſtar coloſſi, honores inſuper heroicos: aliaque ad ſepulchri magnificentiam impenderunt, quæ ſuis majoribus conſueverunt largiri.*

Obſervatio de nomine Reginæ.

55. Nihil eſt, quod circa hanc *Diodori* hiſtoriam monendum nobis ſit, niſi quod videatur ex appellativo nomine ZARINA, quæ Reginam ſonabat, ſua lingua proprium feciſſe. Multa enim ſunt etiam alia veſtigia Antiquitatis, quæ inſinuant, linguam, quæ nobis Slavica vel Slavonica dicitur, Ruſſisque imprimis & reliquis gentibus Slavicis hodienum familiaris exiſtit, jam tum Scytharum vel Sacarum horum propriam fuiſſe. Unde quia & hæc vox CZARINA lingua Ruſſica Reginam notat, quod nemo hodie neſcit, nomen commune omnibus Reginis fuiſſe credibile eſt: quemadmodum CZAR vel CHAN Regum appellationem continebat.

Dimenſiones monumenti.

56. Menſuram abſolutam hujus monumenti æſtimamus pariter menſuris & ſtadiis antiquis.

De magnitudine ejus comparativa ad alia ſimilia, ideam dabit Fig. VII. a TAB. ultimæ quæ Ortographice, & Fig. VII. b TAB. ejuſd. quæ Perſpectivice eam repræſentat.

Corpulentia.

Qui corpulentiam ipſam diſtincte deſiderat in numeris, inveniet eam pedum Cubic. 11722604, cum digitis aliquot, quos hic merito negligimus.

MONU-

# *MONUMENTA SOLI & LUNÆ*
## DICATA MEXICANA.

57.

SUpereſt, ut dicamus de Monumentis vel Operibus, quæ materiæ quidem ratione non plane cum antecedentibus poſſunt comparari, probe tamen magnitudine.

Quorum adeo commemoratio, vel ſaltem ob noſcendam indolem populi alias barbari, ſed inter ceteras illius orbis gentes cultiſſimi, lectoribus non ingrata futura videtur.

Deſcriptio monumentorum Mexicanorum.

58. Refert ſcil. ſæpius laudatus *J. Franciſc. Gemelli Carreri*, qui Periegeſin mundi abſolvit rariſſimam deſcripſitque, a priſcis Mexicanis Pyramides binas Solis atquæ Lunæ tanquam deaſtrorum ſuorum honori dicatas, fuiſſe extructas. Fuiſſe ſane earum maſſam ex lapidibus informibus & terra, ſed gradibus æque ac Ægyptias pyramides inſtructas. In utraque vel una ſaltem earum fuiſſe fornices, unde intelligi potuerit ſepulturæ regum vel principum eas etiam inſerviiſſe. Statuas quoque abnormis magnitudinis in apice earum locatas fuiſſe ex duriſſimo ſaxo, ſed auro intectas, quo ſpoliatæ non ſolum ab Hiſpanis, ſed etiam inverſæ & confractæ, *Sumarica Epiſcopo Mexicano* veſtigia idololatriæ Indorum ſeverius tractante. Jacere interim Lunæ idolum confractum ad pedes ipſos pyramidis ſibi dicatæ. De Solis vero idolo truncum ob nimium pondus ad mediam ſaltem altitudinis partem dejectum ſubſtitiſſe, brachiis & pedibus ad imum provolutis.

Dubia de dimenſionibus eorum.

59. Quæ de artificio a barbaris in horum conſtructione adhibito, cum non machinis ſolum a noſtratibus inventis, ſed & animalibus ad onera portanda caruiſſent, & ad inſignem diſtantiam ea regio lapidibus, ejus inprimis duritiei, deſtituatur, diſputat dictus autor, noſtra nunc non ſunt; ſed de dimenſionibus ſaltem diſpiciendum venit, quæ diverſis quidem menſuris in diverſis libri ejus editionibus proponuntur, quantum ad Lunæ pyramidem.

Nam in editione Italica recentiori eædem exhibentur in Varis Hiſpanicis, ſuntque eæ

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Longitudinis | 200 | *Vararum Hiſpanicarum*, quæ adeo forent | 512 | ped. Pariſ. |
| Latitudinis | 150 | | 384 | |
| Altitudinis | 200 | | 512 | |

In editione vero anteriori, ejusque Gallica verſione eædem traduntur

| | | | |
|---|---|---|---|
| 650 | *Palmorum* | quoad | Longitudinem |
| 500 vel 488 | | | Latitudinem |
| 200 | | | Altitudinem |

Altitudinem ex æſtimatione, cum inſtrumentis Geodæticis caruerit *Gemellius*, determinatam fuiſſe memorat idem. Sed major circa ipſos numeros altitudininis hujus dubitatio relicta eſt in diverſis editionibus ejusdem libri, minor difficultas eſt circa longitudines & latitudines. Nam etſi ipſe quidem autor, plebejo more ſcribens, quali genere *Palmorum* utatur, divinandum reliquit, *Neapolitanos* tamen intelligendos, admodum eſt rei conſentaneum.

Cum vero compertum ſit, palmos Neapolitanos eſſe 1170 partium, Varas vero Hiſpanicas 3686, qualium ſunt 1440 in pede Pariſienſi, forent ſane

| | | | |
|---|---|---|---|
| 650 | *Palm. Neapolitani longitudinis & latitudinis* | 206 | *Varis Hiſpanicis reſpective* |
| 500 | | 158 | |
| 488 | | 155 | |

proxime æquales.

Sed dum altitudini ibi 800 palmi, hic 200 Varæ Hiſpanicæ tribuuntur, mendum eſſe alicubi patet. Videri poterat in priori minusque curata editione illud exi-

ſtere, & altitudini adeo potius 200 Varas Hiſpanicas juxta poſteriorem editionem, vel 630 aut rotundiori 650 palmos Neapolitanos, ſive 512 pedes Pariſienſes tribuendos.

At vero eo caſu non eſt diffitendum, altitudinem futuram eſſe ſatis magnam in proportione ad baſin, ſi hoc opus comparetur cum pyramidibus Ægyptiacis, aliisque e ſolidiori materia conſtantibus, imo & Scythica. Unde quid eligendum ſit, non eſt quidem in expedito; ut tamen figuræ pyramidis deſcriptionem abſolvere poſſimus, ponemus altitudinem minoris harum 100 *Vararum Hiſpan.* vel *ped. Pariſ.* 256.

Hæc ſi ita ſint, dimenſiones pyramidis Solis habebuntur ita; ſcil. *Gemellius* hanc, pariter ac alteram, baſeos facit rectangulæ inæqualium laterum, facitque longitudinem in dicta priori editione, quæ ad manus nunc eſt, 1000 palmorum, latitudinem 650, altitudinem quarta fere parte majorem ejus, quam habet pyramis Lunæ, unde conſequeretur, hanc altitudinem cenſendam 125. Vel dimenſiones ſingulas ad Varas Hiſpanicas reductas eſſe, ut ſequitur

Nempe

| | | | | |
|---|---|---|---|---|
| Longitudinem | 316 | *Vararum Hiſpanicarum* | 808 | *ped. Pariſienſ.* |
| Latitudinem | 206 | | 527 | |
| Altitudinem | 125 | | 320 | |

60. Quibus admiſſis producitur corpulentia pyramidis lunæ 16777416. Pyramidis Solaris 45420340 *ped. cub. Pariſ.*

Comparatio earum cum aliis ſui generis ſupra recenſis fieri poteſt ope Figurarum V. a & b, nec non IV. a & b TAB. Ultimæ. Corpulentia.

Comparatio earum cum aliis ſui generis ſupra recenſis fieri poteſt ope Figurarum V. a & b, nec non IV. a & b Tab. ultimæ.

# ADDENDA
## QUÆDAM.

### *Ad pag.* 20. *ſub finem.*

Aliquid ad deſtructionem & vaſtationem Babylonis quoque contulit Himerus ille Phrahatis II. Parthorum regis Satrapa, quia *Juſtino* memoratur Babylonios vexaſſe, in *Prologo Trogi*, in Babylonios & Seleucienſes ſæviiſſe. Et de quo *Excerpta Valeſiana* ex *Diodoro Siculo* diſerte: cum plurimos Babylonios levibus de cauſis ſervituti addictos cum omni familia in Mediam diſtrahendos miſiſſe. Forum quoque & delubra nonnulla urbis eorum igni tradidiſſe, ac pulcherrima quæque ejus loca evertiſſe.

*Pauſaniæ* tamen Geographi, qui Hadriano æqualis fuit, tempore & templi Beli & murorum aliquas reliquias etiam nunc extitiſſe patet ex verbis, quibus utitur *Libro VIII.* vel in *Arcadicis.*

*Babylone Beli tantum templum eſt relictum. Hujus autem Babylonis, quam urbem omnium eo tempore maximam ſol vidit, reliquiæ fuerunt nullæ præter murum, quemadmodum & Tyrinthis Argolicæ.*

Et ſane videtur fieri vix poſſe, quin noſtra quoque ætate quædam ſaltem partes & veſtigia illius muri inveniantur, modo debito loco eadem quærantur. Non ut vulgo fit ab imperitioribus peregrinatoribus in *Bagdadi* vicinia, vel in via ab Euphrate ad Bagdadum; ſed potius inferiori, eoque loco, quem mappæ noſtræ demonſtrant, & qui eſt prope *Hellam* recentiorem urbem, circa quam etiam eadem inveniri ſtatuit acutiſſimus eorum, qui ea loca inſpexerunt, *de la Valle.*

Uſus foret non contemnendus in Geographia ab iis inventis. Nam ſi, quod non improbabile, partes quædam murorum oppoſitæ & parallelæ extarent, dimenſio lateris unius hujus urbis ex diſtantia earum Geodætice determinari, adeoque vera magnitudo ſtadiorum in illa antiquitate ſimul cum ipſa magnitudine totius urbis haberi poſſet.

### *pag.* 32. *poſt.* §. 33.

SUSA juxta *Strabonem* 120, juxta *Polycletum* 200 ſtadiorum, memorante ipſo *Strabone* L. XV fuere.

### *pag. ead. poſt* §. 34.

*Strabo* ait, CARTHAGINEM in peninſula ſitam fuiſſe, quæ ambitum habuerit muris cinctum 360 ſtadiorum. Quia, ſi ſtadia intelligantur recentiora, ambitus reſultaret 45 milliar. Rom. potius hæc pro veteribus ſtadiis capienda venient, quorum 360 dant $24\frac{1}{2}$ mill. Rom. proxime. Quo pacto conſenſus inter autores exiſtit melior.

### *Ad pag.* 54. *poſt* §. 71.

Memoratur & alius murus, cujus veſtigia extant in latere orientali montium ſuperioris Ægypti, qui catenæ inſtar ſecundum alveum Nili extenduntur. Autor eſt *Dominus Maillet*, *Conſul Negotiatorum Gallicorum Alexandrinus*, cujus ſchedas edidit *Dn. Maſcrier.* Refert, latitudinis eum deprehenſum fuiſſe 24 pedum circa baſin, viderique quibusdam totam Ægyptum cinxiſſe, & ad hoſtes arcendos

dos factum. Verum quod in latere occidentali nulla plane muri talis veſtigia inveniuntur, & ipſa adeo res eſt incredibilis, Ægypto talium munitionum vix egenti, cujus latus utrumque in ſuperiori parte inacceſſum faciunt deſerta vaſtiſſima ſecundum totam ejus longitudinem extenſa, ad aditum ſaltem mineræ Smaragdorum circa illa loca cuſtodiendum facta non inepte cenſetur *Mailleto*.

## *Ad pag.* 121. *poſt* §.

Conſona valde noſtris habere deſcriptionem Pyramidis hujus maximæ accuratam a *Dn. Maſcrierio* datam ex ſchedis & notitiis *Dn. Mailleti* ſupra laudati, deprehendent ii, quos cum noſtris eam contuliſſe non piguerit.

# EMENDANDA.

***Etiam in hac parte operis abſentia autoris excuſabit Sphalmata quædam typographicæ, quorum potiora ſenſum alias turbatura ſaltem enotata exhibemus.***

p. vel col. 11. l. 13. *Nabonaſſarenus*, Nabonaſſaræus. p. 22. l. 2. 135000. lege 13500. p. 23. l. 2. *ſummam*, ſummum. p. 29. l. 16. *incidendas*, incidendi. p. 36. l. 32. *Islæi Sicilia*, Cluveri Sicilia, ex quo & Islæus eam habet. p. 38. l. penult. *Transtiberim*, Transtiberinam. p. 40. l. antepenult. *quamvis*, quantumvis. p. 42. l. 10. *ſpeciem*, ſpecimen. p. 44. l. 11. *ſolito*, ſoliti. p. 56. l. 7. *Toſtat*, Foſtat. p. 59. l. ult. *PET CHELI*, PE TCHELI. p. 60. l. 45. ſ. *Kants-cheu*, Kan-tſcheu. p. 68. inter 32. & 33. lineam vel ante §. 23. debuerat ſcribi titulus peculiaris: Meaco & Yedo. p. 76. l. 5. 5000 lege 4000. p. 83. l. 24. & 29. *Sazcheu*, Sazchen. p. ead. l. 44. *recentius &*, & recentius. p. 85. l. 26. *BITURGI*, BITURIGUM. p. 92. l. 31. *Noachium*, Noachicum. p. 99. l. 10. *Epiſtilium*, Epiſtylium. p. ead. l. 35. *admodum*, non admodum. p. ead. l. 45. *annotatos*, annotatas. p. 111. l. 25. $833\frac{1}{3}$ lege $833\frac{1}{3}$ p. Rom.

SHELF NO.

[Jan., 1884, 20,000]

BOSTON PUBLIC LIBRARY.

One volume allowed at a time, and obtained only by card; to be kept 14 days (or seven days in the case of fiction and juvenile books published within one year,) without fine; not to be renewed; to be reclaimed by messenger after 21 days, who will collect 20 cents besides fine of 2 cents a day, including Sundays and holidays; not to be lent out of the borrower's household, and not to be transferred; to be returned at this Hall.

Borrowers finding this book mutilated or unwarrantably defaced, are expected to report it; and also any undue delay in the delivery of books.

***No claim can be established because of the failure of any notice, to or from the Library, through the mail.

The record below must not be made or altered by borrower.